









Theorem. med. z philos.




lb. 15 di [illegible] mona £ 3. 10
lb. 13. di [illegible] [illegible] £ . 2. . . 2 33. 4
lb. 14 di [illegible] £ 3.
lb. 34. [illegible] [illegible] £ 17.
lb. 30 di [illegible] £ 7. 10

N. 525

Paulus de Setas [illegible]

A D Ubio Ant.o Benedeti





THEOREMATA MEDICA ET PHILOSOPHICA,

MIRA DOCTRINAE
varietate, nouoque ſcribendi ordine donata,
& in tres libros digeſta,

AVCTORE

EPIPHANIO FERDINANDO
MESSAPIENSI HYDRVNTINO.
PHILOSOPHO, ET MEDICO.

Cum triplici Indice, vno Theorematum, altero Auctorum, & tertio Locupletiſſimo rerum memorabilium.

Ad Nobiliſsimum Ordinem, & Honestiſsimum Populum Meſſapienſem.

CVM PRIVILEGIIS, ET SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, MDCXI.

Apud Thomam Ballionum.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



NOBILISSIMO ORDINI,
HONESTISSIMOQVE
POPVLO MESSAPIENSI.



Epiphanius Ferdinandus Ciuis. S. D.



OGITANTI mihi, cui nàm potissimum has in Philosophiam, & Medicinam lentè, ac fastidiosè probatas Lucubrationes, quas amicorum tandem rogatu ad studiosorum vtilitatem typis mandare constitui, ipse dicarem; vnum præ cæteris omnibus antiquissimæ, atque nobilissimæ patriæ nomen statim occurrit. Quod quidem postea haud fortè fortuna, sed consideratè à me constitutum esse in animum induxi meum. Nam si literarum monimenta alicui Principi viro consecrantur, vt eius, & nomine, & gratia, & auctoritate suffulta maiorem ab hominibus sibi concilient æstimationem, & gloriam, itaque critici, & nasuti homines se maledictis, & contumelijs abstineant; quo mihi mentis acies, & consilij ratio dirigenda fuit, quàm ad vrbem illam, quæ ab heroicis vsque temporibus à Messapo illo Euboico fortissimo Duce, qui Turno Rutilorum Regi aduersus Aeneam suppetias venit, post belli illius casum, & res fortissimè ac strenuè gestas, constructa, vniuersæ Iapygiæ, & nomen, & leges dedit? quæ semper, & armis, & literis floruit? quæ suorum clientum publice, & priuatim iniurias propulsauit, fortunas defendit? Sin verò id vel amoris fit, vel grati animi testandi causa, cui nam hoc studium tribuere, & æs alienum dissoluere oportebat prius, quàm dulcissimæ, & suauissimæ Patriæ, quæ mihi parentes, conceptum, natalem, educationem, vitam ferè ipsam formauit, & dedit? quæ me sibi tot annos magno conductu, amplissimis præmijs donauit, omnibusque quantum in se fuit, muneribus, honoribusque affecit, atque in dies affice-

re, & augere dignatur. Quapropter, & eius perspecta nobilitas, & beneficiorum magnitudo acceptorum à nobis, vt hoc opus ipsi potissimum donaremus exegit. Quod quidem munus, si patriam dignitatem, & vestram, præstantissimi, & honestissimi Patres, æstimationem spectetis, paruum, & leuidensæ, si vires nostras, vel mediocrè, vel magnum, vel haud omnino floccipendendum, si verò offerentis animum, maximum, atque dignissimum proculdubio erit. Qualecumque sit tamen, vos oratos volo, vt id tanquam primum Medici vestratis ingenij fætum, atque symbolum erga vos beneuolentiæ singularis tranquilla fronte suscipiatis. Dabitis enim nobis ansam vt alia, quę nunc prę manibus habemus, sub patrio etiam nomine, quod perinde, ac sub vestro est, propediem fauente omnium bonorum largitore Deo palàm in lucem proferantur. Valete.

D. THO.

D. THOMAE CAMPI I. P. D. MESSAPIENSIS AD AVCTORIS LIBRVM EPIGRAMMA



I, liber, i magnum haud timeas errare per orbem;
Peruigili lima namque politus abis.
Culmina summa petas redimitus tempora fronde,
Ne dubita duplici, floribus, & varijs.
Tu sophiæ nodos, tu cæca ænigmata soluis,
Tu medicæ nobis fundis, & artis opes.
Te cupit, & Cholchus, Dacus, flauusque Sicamber.
Messapi auspicio tutus adire potes.
Inuidia maior velocibus Æthera pennis
Perpetuò feries, I, liber, atque Vale.

SCIPIONIS PVTEI VIVI V. I. D. HEXASTICHON ad Auctorem.

Nec melius quisquam te, Ferdinande, medetur
Quos mala vis ferri, vel mala febris agit:
Nec facile inuenias, doceat qui rectius artes;
Quarum mille locos explicat iste liber.
Ad te igitur veniat quicunque aut doctus haberi,
Aut fieri sanus cum ratione velit.



Phlebotomia

DE EPIPHANIO FERDINANDO MEDICO, ET PHILOSOPHO

Præstantissimo,

AVCTORE OPERIS IOAN. ANTONII Catiniani Messapiensis ἐρωτηματικὸν Carmen.





Vis SVPER APPARENS splendor? Quæ
fulget in orbe
Lux noua? Terrigenum quæ genus Astra beant?
Nescis Apollineo Fernandum à sanguine cretum?
Nescis EPIPHANVM nomen habere suum?
Luminis ille parens, artis medicesq; repertor,
Hæc mundo nati lumina clara dedit.
Quidnam igitur mirum tanto si fulget honore
Hæc ætas Medico prædita Apollineo?
Lumina ceu superat fulgentia sydera, clarum
Tethyos ex gremio cum micat Orbe, Iubar:
Sic Medices quoscunque dedit gens prisca libellos,
Vnicum EPIPHANI nobile vincit opus.
Non ergo immerito tam claro is nomine fulget,
Sors quippe officio nomina digna dedit.



Eiusdem ad librum.





PHœbæis opibus libelle diues,
Et gazis simul omnium Sophorum,
I totum pede garrulo per Orbem,
Et furare oculos, virumque mentes:
Extingues auidam sitim legentum,
Et quisque hinc latices bibet salubres,
Qualis sub rabie caniculari
Lymphas irriguas anhelus æstu
Ceruus per nemorum vireta quærit;
Si quem fluminis audijt susurrum
Euris ocyor, ac leui sagitta
Ad riuos properat loquacis vndæ.
Tu morbos medica leuabis arte,
Et quotquot mala lethifer Promethèus
Terris intulit, axis æstuosi
Tentare ausus inhospitos meatus:
Nec solum querulos fouebis ægros,
Et languentia membra roborabis,
Sed mente Stygia lue peresas,
Insanoque agitata corda fluctu
Curabis sapientiæ medela.
Si quis te laceret cruentus ore,
Illum dira cohors aget malorum,
Coniurataque tussis, & senecta;
Idem dogmata docta si momordit,
Infelix animo iacebit ægro,
Et pestes Erebi reum vorabunt:
Ergo si sapiet, memor salutis
Quicunque est, geminam lucem cauebit.



Aucto-

AVCTORIS PRAEFATIO AD CANDIDOS, & benignos Lectores.



ON me quidem latet, amici, ac eruditi Lectores, statim, ac foras hæc mea Theoremata prodierint, quam plures futuros esse, qui hosce meos labores, has meas lucubrationes audacter paruipendent, atque damnabunt, hi quidem docendi, scribendique nouum modum, seu potius ordinem maledictis insequentes, quod contra tantorum seculorum antiquatam, communi Scriptorum consensu receptam, & ab Aristotele pluribus in locis confirmatam consuetudinem scribere hæc mea commenta sum aggressus, vt prius veritatem, seu meam opinionem veram, vel saltem probabilem in medium afferre, deinde aliorum dogmata contemplari voluerim; Alijj aduersus Auctorem mussitantes, quod multa transcripserit, & proprias Auctorum sententias de verbo ad verbum adducens furatus fuerit, & quæ scripsit longe melius ab alijs sapientissimis viris summo studio fuere prius conscripta: Alij tandem erunt, qui auctorem mordacitus increpabunt, quod iuuenis, quæ in senectute sunt exaranda, & tanquam homo nouus, vix intra proprios lares cognitus, & in vltimis Italiæ angulis vitam degens Theoremata Physica, & Medica publicare, & aduersus medicinæ, & philosophiæ coryphæos insurgere quandoque fuerit aggressus, & ausus. Sed hæc obiecta, istasque calumnias, & obtrectationes non miror, neque mirari debeo, cum ea sit temporum conditio, vt in deterius labamur, ac quisque in maledictis, & calumnijs lætus exultet, & reprehendendi, ac obiurgandi nunquam finem faciat. Ego verò, vt breuiter, & simul omnibus satisfaciam, primo mihi sic ob strepentibus responsum volo, me ab re non fecisse, vt illa docendi ratione, illoque scribendi ordine sim vsus, nam cum veritas secundum Patres Theologos sit intellectus obiectum, & cum sit animi nostri cibus, placuit prius legentium intellectum veritate, seu ea, quæ magis probabilis mihi visa fuerit sententia informare, & veriori, hoc est meliori cibo, tanquam magis grato, & suaui lectitantium animum cibare. Nec a peruetusta, priscorum, & ab Aristotele confirmata consuetudine desciui, cum Peripateticæ disciplinæ Princeps primo Topicorum, primo Cęli, & Mundi, primo de anima, & tertio Metaphysicæ non expresse iubeat semper ab aliorum sententijs tractationem esse exordiendam, cum hoc parum sit, an prius, an posterius efficiatur. Maximum tamen habere momenti secundum Aristotelis mentem confiteor veritate inuenta, & confirmata aliorum sententias rimari, ac subtiliter contemplari, vt opposita iuxta se posita magis elucescant, & ob alias commoditates, quæ ex locis supra allegatis colligi possunt. Ij verò qui secundo loco garriebant, sciant, illud ab orbe condito semper viris doctis fatale fuisse, vt quæ sedulò ij conscripserint, aut summis vigilijs, laboribus, & studijs elaborauerint aliorum fuisse commenta statim maleuoli testentur. Sic Terentio, Plinio, & ipsimet Galeno, Oribasio, Arabis omnibus, & Græcis Scriptoribus contigisse compertum habemus. Non ne Galenus noster, vt cæteros omnes silentio inuoluam, secundo de crisibus octauo capite ore rotundo fatebatur, se non verecundari quæcunque recte à veteribus sunt tradita, transcribere, & quæ obscure sunt dicta faciliora reddere, & ijs, quæ ab illis sunt prætermissa, aliquid addere. Non ergo mirum, cum dici soleat. Nihil est iam dictum, quod non dictum sit prius. Quinimo benignum, & plenum pudoris est, Plinius inquit, fateri, per quos profeceris, aliter ingratitudinis vitio fores accusandus, vt Aristoteli contigisse videmus, qui omnia ab Antiquis, & ab Hippocrate nostro præsertim, cuius nunquam, quod ego sciam honorificam mentionem fecit, mutuatus est. Desinant igitur aduersarij, si qui fuerint, me lacessere. Et vt ingenuè, fatear, ab antiquis non omnia scripta sunt, nec omnia possumus omnes, quæ tamen in antiquis sunt obscura, & tenebricosa, sat fuerit, faciliora reddere, & quæ ipsi sparsim, confuseque scripserunt, in vnum colligere, multaque de nostris addere, aliorum opiniones infringere, ratione semper duce, quis vnquam vetat, ac vetuit? Vtiliora, & pulchriora magisque necessaria seligendo, & inutilia prętermittendo. Fateor tamen, & semper donec viuam fatebor, me multum in his laboribus, atque lucubrationibus fuisse adiutum à meis doctissimis, & amantissimis præceptoribus Ioan. Berardino Longo, & Antonio Mazzapinta eminentissimis philosophis, Cæsare Scannapeco, Ioanne Altimaro, Quintio Bonioanne, & Latino Tancredo consummatissimis medicis. Sed quid tandem ijs, qui postremo loco me carpebant, aut me carpere potuissent, dicatur? An leuis, & exigui momenti est obtrectatio præsens, & quis (vt cum Seneca loquar) tam diuos habuit fauentes crastinum vt sibi possit polliceri? Et Boetius nonne decantauit primo de consolatione philosophica.

Venit enim properata malis inopina senectus.

Non ne etiam auctore superstite aduersariorum calumnijs, si quæ fuerint per otium respondebitur? Illud certè Lectores monitos velim, antequam dicendi finem faciam, me non inanis gloriæ, aut auræ popularis aucupandæ gratia hæc Theoremata conscripsisse, & in propatulo exarasse voluisse, vt fortassis nonnulli autumabunt, sed potius meum ingenium exercendi, & tyrones iuuandi gratia in hanc arenam me discendisse sciant. Si verò studiosi, & candidi Lectores hæc Theoremata tranquillo animo accipietis, ac bene consulatis, & animi vestris grata fuisse aliquando intellexero, alia quidem his vtiliora iam fere elaborata præsertim circa Medicinæ praxim communicare non recusabo. Valete.

INDEX OMNIVM THEOREMATVM, QVAE IN PRAESENTI

Opere exagitantur.

Theoremata Medica, et Philosophica Primi Libri.



MEdicinam multis scientijs antecellere, vbi de eius origine, nobilitate, necessitate, & vtilitate disputatur. Theor. 1
De medicinæ genere, an sit scientia, an ars, an aliud. Theor. 2
Quod nam sit medicinæ subiectum. Theor. 3
Quæ nam sit medicinæ recta diuisio. Theor. 4
De nomine, & essentia elementorum. Theor. 5
De numero elementorum. Theor. 6
An hæc elementa mundi, quæ sensibus percipiuntur, vt terra, aqua, aer, ignis sint simplicia, an mista. Theor. 7
De modo, quo elementa manent in mistis. Theor. 8
An elementa simplicia nutriant. Theor. 9
An elementorum qualitates sint substantiæ, an accidentia. Theor. 10
An aer sua natura sit calidus, an frigidus. Th. 11
Sit ne aqua frigida, an calida. Theor. 12
Quæ nam sit optima aqua. Theor. 13
De fluxu, & refluxu aquarum. Theor. 14
An detur elementum ignis in concauo orbis Lunæ existens. Theor. 15
Quid sit temperamentum. Theor. 16
An reperiatur mistum, seu corpus temperatum ad pondus, vbi de numero prius temperamentorum breuiter disputatur. Theor. 17
An corpus temperatum ad pondus habeat operationes perfectiores corpore distemperato, & an hoc corpus magis resistat causis ægrotare facientibus, & quæ deinde sequuntur ordine temperamenta. Theorema. 18
Quot sint ætates, & de earum tēperamento. Th. 19
De Autumno quas qualitates habeat. Theor. 20
Quis sit naturalis senectutis terminus, & an possit retardari. Theor. 21
Qua ætate homo sit temperatior. Theor. 22
Viri ne, an fœminæ sint calidiores. Theor. 23
Quid sit humor. Theor. 24
Quot sint humores. Theor. 25
Quis sit locus generationis humorum. Theor. 26
Differant ne inter se humores, & si differunt qua differentia differunt Theor. 27
An simul, an successiue generentur humores. Th. 28
Solus sanguis, an alij humores nutriant. Theor. 29
Sint ne humores animati, nec ne. Theor. 30
De sanguine sit ne calidus, an frigidus, an temperatus. Theor. 31
An differat sanguis à phlegmate naturali, & de sanguinis speciebus cum multis problematis. Theorema. 32
De phlegmate vbi generatur, & de eius speciebus. Theorema. 33
De bili, quotuplex ea sit, deque eius natura, vbi multa dubia examinantur. Theor. 34
Sit ne bilis necessaria in intestinis pro expellendis fæcibus. Theor. 35
Nutriatur vesica fellis bili, nec ne. Theor. 36
De bili præter naturam, & eius speciebus, an bilis porracea gignatur in ventriculo. Theor. 37
De humore melancholico naturali, & eius speciebus cum multis dubijs. Theor. 38
An lien nutriatur melancholia, & ob quid factus est lien. Theor. 39
An in perfectè sanis necessarium sit, vt melancholia ad ventriculum tendat. Theor. 40
A qua causa fiat humor melancholicus naturalis. Theorema 41.
De humore melancholico præter naturā, & an atra bilis fieri possit à pituita. Theor. 42
De humorum ichoribus, & quatuor humiditatibus. Theorema 43.
De partibus, primo quid sint. Theor. 44
De partium numero, seu diuisione, & quot sint principes partes. Theor. 45
An cerebrum, an cor sit principium motus, vbi disputatur, an nerui à corde, an à cerebro ducant originem, vbi etiam de natura sensuum internorum non nihil tractatur. Theor. 46
Quæ sint aliorum dogmata. Theor. 47
De partibus similaribus, & dissimilaribus. Th. 48
An actiones à similaribus, an à dissimilaribus proueniant. Theor. 49
An spermaticæ partes incisæ possint regenerari. Theorema 50.
De oculis problemata 54. satis curiosa, vbi multa de oculorum natura, proprietate, & præstantia disputantur. Theor. 51
De facultatibus, & primum de nomine facultatis. Theorema 52.
An facultates animæ sint accidentia, an substantiæ. Theor. 53
Quot sint animæ in corpore animalis. Theor. 54
Quot sint facultates. Theor. 55
Sit ne anima humana rationalis immortalis nec ne, & primo quid secundum antiquos, & præsertim secundum Plat. deinde secundum Arist. & tertio quid secundum Gal. & tandem quid secūdum naturæ lumen. Theor. 57
Quid senserit Gal. de animæ humanæ substantia, sit ne immortalis, an mortalis. Theor. 58
Anima rationalis immortalis secundum naturę lumen. Theor. 59

De

De animæ mortalitate aliorum dogmata. Theor.60
De actionibus, an respiratio actio sit animalis, an naturalis. Theor.61
Generatio quid, an sit perfectior, & naturalior, & magis necessaria nutritione, & augumentatione. Theor.62
An generatio vnius sit alterius corruptio. Th.63
De nutritione quid sit, an per ipsam humidum radicale restauretur, & an à simili fiat. Th.64
An alimentum in nutritione agat in alitum, & quo modo agat. Theor.65
De augumentatione quid sit, & quot requirantur motus, & quomodo distinguatur ab alijs. Theorema 66
De spiritibus sint ne spiritus, & quid sint, & quomodo generentur. Th.67
Quot sint spiritus. Th.68
An animalis spiritus sit. Th.69
Solà ne facultas influat per neruos arterias, & venas, an cum facultate spiritus. Th.70
Sint ne spiritus animati, nec ne. Th.71

Theoremata Medica, & Philosophica Epiphanij Ferdinandi Messapiensis Hydruntini Philosophi, & Medici. Secundi Libri.

De rebus non naturalibus, & primo quot sint. Theorema 1.
An res non naturales incessanter nos alterent, & quomodo alterent corpora nostra. Th.2
De aere, & eius necessitate, bonitate, malitia, & quomodo putrescat. Th.3
De fame quid, & quod nam sit eius obiectum. Theorema 4
Sitis quid sit. Th.5
De cibo & potu. Th.6
An diutius sine cibo viuere naturaliter contingat. Theorema 7
An melius, salubriusque sit sæpius in die, seu bis, an semel comedere, & an in epilepticis cœna debeat esse gracilior prandio. Th.8
De potu, & quod nam temperamentum vinum fuerit sortitum. Th.9
De cibo, & potu, vbi nonnulla curiosa problemata dissoluuntur. Th.10
De motu, & quiete, & primo quid exercitatio, & quies. Th.11
Quæ sint exercitationis commoda, & quomodo sit necessaria. Th.12
De motu proiectorum. Th.13
Quomodo motus sit causa caloris. Th.14
De somno, & vigilia. Th.15
De insomnijs. Th.16
De excretis, & retentis, & primo de concoctionibus, & quid sit coctio. Th.17
Quot fiant coctiones in animalibus, & præsertim in hominibus. Th.18
De excretis, & retentis, & primo de fæcibus, quid sint fæces, & vbi generentur. Th.19
An intestina habeant vim attractricem, & retentricem, concoctricem, & expultricem. Th.20
Quæ sint fæcum differentiæ, & causæ. Th.21
Quid sint vermes, eorumque differentiæ. Th.22
Ex qua causa generentur vermes. Th.23
Quis locus generationis teretum lumbricorum. Theorema 24
De natura, & essentia colorum, & primum de lumine, & perspicuo. Th.25
Quæ sit colorum essentia, naturave. Th.26
Quis sit modus generationis colorum extremorum. Theorema 27
Quis modus generationis colorũ mediorum. Th.28
Quid vrina, eius vtilitas, & generationis modus. Theorema 29
An vesica vrinam trahat, & quæ actio sit retẽtio, et vrinæ expulsio. Th.30
De sudore quid sit. Th.31
De sudoris differentijs, & an sudor sit euacuatio naturalis, an præter naturam. Th.32
Quæ sint sudorum causæ, eorumdemque præsagium. Th.33
De semine quid sit. Th.34
Sit ne semen animatum, nec ne. Th.35
A quibus partibus decidat semen, vbi multa de sectione arteriarum retro aures disputantur. Theorema 26
An mulieres semen emittant, nec ne. Th.37
An semen mulieris actiuè, & passiuè ad generationem concurrat. Th.38
Quid agat in corpus venus, & quibus, & quomodo conferat. Th.39
De tempore Veneri incumbendo, & cur tanta delectatio. Th.40
De animi perturbationibus. Th.41
Voluptas quid. Th.42
De dolore quid sit. Th.43
Quæ sint dolorum causæ. Th.44

Theoremata Medica, & Philosophica Epiphanij Ferdinandi Messapiensis Hydruntini Philosophi, & Medici. Tertij Libri.

De rebus præter naturam. Theor.1
In quo genere, seu prædicamento sit morbus locandus. Th.2
De causis, an detur causa coniuncta. Th.3
De symptomatibus. Th.4
An morbus maior sit in principio, in augumento, an in statu. Th.5
An habeant morbi causam finalem. Th.6
In quo morbi acuti essentia consistat. Th.7
An contrarijs contraria curentur. Th.8
An morbus curandus sit contrarijs in gradu æqualibus. Th.9
A quo sumendum morbi principium pro curatiuis indicationibus in puerperis. Th.10
An ob aliquam causam liceat sterilitatem inducere. Th.11
An senex, & iuuenis æqualiter febricitantes sint æquè alterandi potu aquæ frigidæ. Th.12
Differant inter se specie, an numero, seu subiecto febrilis, et naturalis calor. Th.13
Sit calor naturalis influens elementalis, an cælestis originis. Th.14
De causis periodorum, seu periodicationis in febribus putridis. Th.15
Quotuplex crisis, et quid sit, et quæ ad ipsam requiruntur. Th.16

In

In quibus morbis, & quomodo sit expectanda crisis, & de temporibus morborum dignoscendis. Theor. 17
Quid sit pulsus, & an Hippoc. *cognouerit pulsum.* Theor. 18
An cum cor dilatatur, arteriæ quoque dilatentur, & cum cor constringitur, arteriæ quoque constringantur, an è contra, & cur pulsus bonus quandoque in febre maligna. Th. 19
Quid sit morbus in deprauata visione. Th. 20
An hydrops fiat ex intemperie frigida hepatis, an ex calida & sicca. Th. 21
An apertio venarum hæmorrhoidum sit vtilis, & quomodo facienda. Th. 22
De medicamentis, an electiue trahant humores. Theor. 23
An medicamenta assumpta remaneant in ventriculo, an ad vniuersas corporis partes contendant. Theorema 24
An post medicamentum assumptum conueniat aquam superbibere. Th. 25
De saporibus, & primo quid sint. Th. 26
Quæ nam sit præcipua saporum causa efficiens, vbi de saporum principijs exactius disputatur. Theorema 27
Quo pacto fiant singuli sapores. Th. 28
Quot sint saporum species, & quid sit eorum ordo. Th. 29
De salsedine maris. Th. 30
Quæ contradicta de salsedine maris pugnant. Theorema 31
An amara omnia interficiant fœtum. Th. 32
De Aloes temperamento secundum primas qualitates quid sentiendum. Th. 33
De Aloes temperamento secundum secundas qualitates & tertias, & alias. Th. 34
De Aloes temperamento aliorum dogmata. Theorema 35
De Venenis quid sint. Th. 36
Cur venenorum quædam non interimant, & cur aliqua citius, alia tardius interimant. Th. 37
An venena nutriant, & quomodo interimant. Theorema 38
Quæ sit causa materialis, efficiens, & finalis venenorum. Th. 39
A quibus fontibus venenorum differentiæ sumantur. T. 40
Quæ sint venenorum signa in vniuersum, & quod eorum præsagium. Th. 41
An veneno alta animalia comedi possint, & an in humano corpore possit generari venenum. Theorema 42
An incantatio, quæ species veneni est aliquid in nostro corpore possit, vbi non nulla obiter de fascinatione tanguntur. Th. 43
De Antimonio. Th. 44
An Antimonium præparatum venenum sit. Theorema 45

Finis Indicis Theorematum omnium trium Librorum.

INDEX AVCTORVM QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

A

Chesilaus.
Actuarius.
Adelādus Ammonij discipulus.
Aelianus.
Aeneas Syluius.
Aegidius Romanus.
Agathon.
Albertus de Saxonia.
Albertus Magnus.
Albumazar.
Alcidamas.
Alcmeon.
Alexander Trallianus.
Alexander Massaria.
Alexander Achillinus.
Alexander Aphrodisæus.
Aloysius Mundella.
Alpetragius.
Alphonsus Tostatus.
Aluernita.
D. Ambrosius.
Abrosius Paræus.
Amatus Lusitanus.
Ammonius.
Anaxagoras.
Andræas Laurentius.
Andræas Vesalius.
Androcydes.
Andronicus.
Antigonus.
Antiphron Sicyonicus.
Antipho.
Antonius Fumanellus.
Antonius Panormita.
Antonius Monetta Medicus, & Poeta.
Antonius Gueuara Episcopus Hispanus.
Antonius Musa Brasauolus.
Antonius Plorentinus.
Antonius Aluarez.
Apollonius Thyanæus.
Apollonius.
Apuleius.
Arabus.
Archagatus Medicus.
Archangelus Mercenarius.
Archigenes.
Aretæus.
Argenterius.
Ariminensis.
Aristoteles.
Aristippus.
Aristophanes.
Aristoxenus.
Arnandus de Villanoua.
Asclepiades.
Athenæus.
Auctor perigrinarum quæstionum.
D. Augustinus.
Augustinus Niphus Suesanus.
Auerroes.
Auicenna.
Aulus Gellius.
Ausonius Gallus.

B

Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Gaionus.
Battholomæus Chassaneus.
Beda.
Benedictus Pererius.
Beneuenius.
Berardinus Medicus Florentinus.
Berardinus Longus.
Berardinus Telesius.
Berardinus Felicianus.
Bezar.
Boetius.
Buridanus.

C

Cadmus Milesius.
Camillus Maffeus.
Capreolus.
Cardanus.
Carolus Clusius.
Cato.
Cato Vticensis.
Cælius Aurelianus.
Cælius Rhodiginus.
Cæsar Quaranta Medicus Cryptaliensis.
Chiron.
Christophorus à Vega.
Christophorus Claudius.
Christophorus Columbus.
D. Chrysostomus.
Chrysostomus Iauellus.
Claudius Galenus.
Claudianus.
Collutius Pierus.
Columella.
Comes Montanus.
Concilium Lateranense.
Concilium Tridentinum.
Consaluus Berreda.
Contarenus.
Cordeus.
Cornelius Gemma.
Cornelius Celsus.
Costæus.
Couarruuia.
Curtius.
D. Cyrillus.

D

D. Damascenus.
Daniel Prŏpheta.
Dauid Rex, & Propheta.
Democritus.
Diagoras.
Dicearchus.
Diocles.
Diodorus Siculus.
Diogenes Cynicus.
Dionysius Carthusianus.
Dionysius Heracleotes.
Dioscorides.
Dominicus Bannes.
Donatus Antonius Altimarus.
Donatus Marcellus.

E

Ecclesiasticus.
Eliseus Propheta.
Empedocles.
Ennius Poeta.
Erasistratus.
Eratostenes Geometra.
Esaia.
Esdra.
Euclides Mathematicus.
Euripides Tragicus.
Eusebius.
Eustachius Rudius.
Euthimenes Massiliensis.
Eustatius.

F

Franciscus Parellus Parisiensis.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Toletus.
Franciscus Vicomercatus.

G

Gabriel Cuneus.
Gabriel Fallopius.
Gandauensis.
Gaudensius Merula.
Genesis libri.
Gentilis de Fulgineo.
Georgius Agricola.
Gerardus Columba.
Glosa interlinearis.

Gor-

Gorgias.
Gratiopolitanus.
Gregorius in libris sententiarum.
D. Gregorius.
Gregorius XIIII. Pontifex.
Gregorius Nyssenus.

H

Haly Abbas.
Heliodorus.
Heraclitus.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Herophilus.
Heruæus.
Hesiodus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Fracastoreus.
Hieronymus Capiuaccius.
Hieronymus Gabuinus.
Hieronymus Confortus Brixiensis.
D. Hieronymus.
Hieronymus Albę Episcopus.
Hippocrates.
Hippon Philosophus.
Hollerius.
Homerus.
D. Honuphrius Regna Puteanësis Sacræ Theologię Professor.
Horus Philosophus, & Rex Aegyptiorum.
Horatius Augenius.
Horatius Flaccus Poeta.
Hugo Senensis.
Hyppolitus Iureconsultus.
Hyppolitus Brillus.

I

Iacobus Greuinus.
Iacobus de partibus.
Iacobus Pacinus Bononiensis.
Iamblicus.
Iandunus.
Icetes Pythagoricus.
Ieremia.
Ioannes Altimarus.
Ioannes Bacconius.
Ioannes Langius.
Ioannes de Vigo.
Ioannes Maioron.
Ioannes Huartes.
Ioannes Antonius Pisanus.
Ioannes de Sacrobosco.
Ioannes Grammaticus Philoponus.
Ioannes.
Ioannes Baptista Porta.
Ioannes Baptista Theodosius.
Ioannes de Neapoli.
Ioannes Baptista Montanus.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Ioannes Franciscus Picus Mirandolanus.
Ioannes Fernelius.
Ioannitius.
Iob.
Iosephus Acosta.
Isidorus.
Isis.
Isocrates.
Iudicum Libri.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iulius Alexandrinus.

L

Laertius.
Laurentius Grillus.
Laurentius Iobertus.
Leonardus Fuchsius.
Leonicenus.
D. Leo.
Leuinius Lemnus.
Leucippus.
Leuiticus.
Liuius.
Lucanus.
Lucretius Epicurus.
D. Lucas.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Duretus.
Ludouicus Buccaferrus.
Lycus Macedonicus.

M

Macrobius.
Magister sententiarum.
Malleus Maleficorum.
Manardus.
Marcellus Donatus.
Marcellus.
M. Tullius Cicero.
M. Antonius Zimara.
Marinellus.
Marsilius Ficinus.
Marsilius.
Martinus Scotus.
Marsilius Cagnatus.
Martius.
Megetius Medicus.
Meleager.
Mercurius Trismegistus.
Mesue.
Metrodorus.
Michael Sauanarola.
Montuus.
Moses.
Mundinus.
Musa.

N

Nabucdonosor.
Natalis de comitibus.
Nauarrus.
Nemesius.
Nicander.
Nicolaus Boetius.
Nicolaus Cupernicus.
Nicolaus Medicus.
Nicander.
Numenius.

O

Occhan.
Octauius Horatianus.
Olympiodorus.
Olympius.
Oribatius.
Orpheus.
Orus.
Ostiensis.
Ouidius.

P

Pacuuius Poeta.
Pamphilus Montius.
Paralipomenon libri.
Paris de Puteo.
Parmensis.
Parmenides.
Paternus.
Paulus Aegyneta.
Paulus.
Paulus Soncinas.
Petrus Andræas Mattiolus.
Petrus Charmensis.
Petrus Pomponatius.
Petrus de Apono.
Petrus Crinitus.
Pharo.
Pherecydes Syrus.
Philotheus.
Pius Aeneas Caprilius.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Plusquam Commentator.
Polus Agrigentinus.
Porphyrius.
Proclus Platonicus.
Propertius Poeta.
Prosper Alpinus.
Prosper Aquaticus.
Ptolomæus.
Pythagoras.

Q

Quintilianus.
Quintius Bonioannes.

R

Rabanus.
Raphael Volateranus.
Rasis.
Realdus Columbus.
Regum libri.
Robertus Dodoneus.
Rogerius Bacconitanus.
Rondoletius.
Rorarius.
Rosa Anglica.
Rufus Ephesius.

S

Saluus Sclanus.
Sanctis de Ardoinis.
Sapientiæ libri.

Schola Salerni.
Scotus.
Scipio Mercurius.
Sebastianus Paparella.
Sebastianus Montuus.
Seleucus.
Seueca.
Serenius Samonius.
Serapion.
Seruius Honoratus.
Sextus Empirius.
Simon Portius.
Simplicius.
Socrates.
Solinus.
Solon.
Speusippus.
Strabo.
Strabus.
Stephanus.
Suetonius.
Summa Syluestrina.
Syluius in Mesuem.
Symphorianus Campegius.
Synesius Platonicus.
Sixtus V. Pontifex.

T

TEbit Philosophus, & Astrologus.
Thaddæus Florentinus.
Thales.
Themistius.
Theodorus Priscianus.
Theodoretus.
Theodorus Gazza.
Theophrastus.
Thessalus.
Theuta Empiricus.
Thomas Erastus.
Thomas Minadous.
Thoma de Vio Caietanus.
D. Thomas.
Thomas de Garbo.
Tiberius Coduncus.
Tiraquellus.
Tobia.
Torquatus Tassus.
Trincauellus.

V

VAlesius de Taranta.
Valeriola.
Valerius Maximus.
Vallesius.
Virgilius.
Vitruuius.
Vlmus Pictauissensis.

X

XEnocrates.

Z

ZAbarella.
Zeno.

Finis Indicis Auctorum.

INDEX
RERVM OMNIVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc operæ continentur.

A

Ab æqualibus quomodo proueniat actio l.1.Th.17 44
Ab æqualibus quomodo proueniat actio l.3.Th.9 227
Abstemij magis comedunt, quàm vino si l.1.Th.9 23
Abortum prouocare quandoque licet, & maxime quando fœtus non est animatus anima rationali ex varijs summistis l.3.Th 11 229
Accessiones aliquando longiores, & aliquando breuiores, & cur l.3.Th.15 236
Accessionum ordo cur quandoque peruertitur in febribus l.3 Th.15 236
Acerbus, & acetosus sapor quomodo fiant l.3.Th.28 251
Acida pituita quomodo distinguitur ab atra bili libro 1. Theorema 33 76
Actiones aliæ sunt communes, aliæ priuatæ lib.2. Theorema 20 175
Actiones omnes tàm animales, quàm vitales, quàm naturales in iuuenibus sunt perfectiores libro 1. Theorema 22 52
Actiones quomodo à similaribus, & quomodo à dissimilaribus fiant l.1.Th 49 101
Actio est motus actiuus, qui à se editur l.1.Th.49 101
Actus est, qui separat, & distinguit l.1.Th.27 62
Acutum vnde dicitur l.3.Th 7 225
Acutus sapor quomodo fiat l.3 Th.28 251
Acutus, & ponticus sapor sunt oppositi sapores ratione caloris l.3.Th.29 252
Adagium de sua Bœtica l.1.Th.32 72
Adamantis puluis non est venenum contra vulgi confirmatam opinionem l.3.Th.40 264
Adolescentia quæ ætas l.1.Th.19 47
Aegyptij cur sunt longioris vitæ Europeis l.1.Th.21 51
Aeni fundum cur tepidum l.1.Th.31 70
Aer nec in prima, nec in secũda, nec in tertia regione est syncerus l.1.Th.7 16
Aer est calidus est, & humidus, & nunquam est qualitatum expers l.1.Th.11 26
Aer per leuem infrigidationem conuertitur in aquam, & cur l.1.Th.11 27
Aeris media regio quomodo frigida sit, libro 1. Theorema 11 27
Aeris secunda regio à motu diurno non circumfertur, vt perperam Zabarella autumauit l.1.Th.11 28
Aer in secunda regione non est densus, & cõpactus semper, vt Vicomercatus habet l.1.Th.14 36
Per Aerem quandoque ignem Arist. intelligit l.1. Theorema 15 37
Aer quomodo alterat corpora nostra l.2.Th.2 145
Sine aere, nec sanitas seruari, nec morbus curari potest, l.2.Th.2 145
Aer varijs modis afficitur l.2.Th.2 145
Aer variè, & diuersimode affectus producit morbos epidemicos, pestes, variolas, morbillos & cet. libro 2. Theoremata 3 146
Aer est vitæ, & mortis auctor l.2.Th.3 146
Aer quis laudabilis, & quas conditiones debet habere, lib.2.Theor.3 146
Aeris bonitas, & malitia quomodo cognoscatur libro 2. Theor.3 146
Aer quando putrescat, & alteratur in tota substantia, & quomodo ex parte putrescat ibid.
Aesculapij templum extra Vrbem Romam erat ædificatum, & cur l.2.Th.3 146
Aestimatiua non discurrit contra Auer. libro 2. Theorema 16 166
Aetatum contemplatio vtilis est ad temperamentorum, humorum, & morborum cognitionem, necessaria quoque est in purgationibus, sanguinis missionibus, præsagijs, & crisibus l.1.Th.19 47
Aetates quid, & quot sint, variæ sententiæ libro 1. Theorema 19 47
Aetates duæ, vel tres sunt, ibidem ætates quatuor secundum alios, septem secundum Astrologos ibid.
Aetates numero annorum non rite missurantur libro 1. Theorema 19 47
Aetas consistentiæ, seu status, an reperiatur ibid.
Aetates, & mores quomodo alterant corpora nostra lib.2. Theor.1 144
Agaricus quia amarus, an tuto grauidis mulieribus possit exhiberi l.3.Th.32 256
Agens in generatione prius qualitates, quàm formã introducit l.1.Th.8 17
Agens omne prius agit in passum propinquum, deinde remotum l.1.Th.31 71
Alba omnia non sunt frigida, nec nigra omnia sunt calida l.2 Th.27 187
Alberti Magni oscitantia asserentis nullum esse inter Auicen. & Auer. discrimen in formis elementorum l.1. Theor 8 19
Alexander Aphrodisæus rectè dixit, non eadem numero esse elementa in mistis & l.1.Th.8 19
Alex. Aphrodisæus ignem nostrum specie differre ab elementari autumauit, sed perperam l.1.Th.15 37
Alexãder Aphrodisæus explicatur, an qualitates elementorum sint formæ, nunc l.1.Th.10 25
Alexandri Massariæ sententia de venarum hæmorrhoidalium apertione confutatur l.3.Th.22 213
Alexandri Tralliani, Trincauelli, & Vallesij sententia de causis circuituum in feb. confutatur, libro 3. Theorema 15 236.237
Alimentum vni, alteri est venenum l.2.Th.10 158
Alimentum quomodo agat in altum l.1.Th.65 134
Alimentũ quotuplex, & præsertim triplex l.1.Th.24 56
Aloe succus est herbæ & triplex est aloe secundum triplicem succi varietatem l.3.Th 33 257
Aloe calida, & sicca ibidem, quomodo sit aliquantisper frigida ibid.
Aloe tertio gradu est calida, & sicca 257
Aloe adstringit, spissat, sanguinem sistit, amara est, & apertiua l.3.Th.34 258
Aloe quomodo aperiat ora venarum hæmorrhoidaliũ 258
An magis aperiat, quàm adstringat 258
Aloe lota minus purgat, sed magis roborat 258
De aloes temperamento variæ sententiæ l.3.Th.35 259
Alpetrugij sententia de fluxu, & refluxu maris confutatur l.1.Th.14 35
Amara, & acuta cur inteficiant fœtum, & quæ sint ista, & cur l.3.Th.32 256
Amarus sapor quomodo fit l.3.Th.28 251
Amarus, acidus sũt oppositi ex natura rei l.3.Th.29 252
Amarus, & dulcis sunt oppositi ratione gustus l.3. Theorema 29. 252

INDEX.

Ambulãtes per niuem offensam in oculis sentiunt, & cur l.1.Th.51 107
Ambulantes vident res moueri & cur l.1.Th.51 107
Amicus Socrates amicus Plato, sola tamen veritas magis amica est l.1.Th.11 37
Anaxagoræ, & Anaximandri opinio de salsedine maris reiecta l.3 Th.31 255
Andreas Albritius 24. diebus sine cibo vixit solũ aquam ebibens l.1.Th.9 23
Andreas Laurentius confutatur de partium principatu, l.1.Theor.45 92
Andreas Laurentius carpitur in seminis diffinitione l.2. Theor.34 198
In Angina aliqui deglutiunt potius rem crassam, quàm tenuem l.2.Th.10 158
Anima quæ est principium omnium operationum vtitur organis in obeundis operationibus l.1.Th.18 45
Anima est actus corporis organici, naturalis, potentia vitã habẽtis, & est tota in toto, & tota &c. l.1.Th.30 67
Anima sensitiua educta, non corrumpitur vegetatiua, l.1.Th.54 112
Anima rationalis virtute non continet vegetatiuam, & sensitiuam 113
Anima rationalis immortalis sm̃ antiquos l.1.Th.56 116
Animam omnem multi immortalem fecerunt, sed non recte lib.1.Th 59 121
Anima rationalis immortalis secundum naturæ lumen, lib.1.Th 59 121
Animæ gradus quid sint l.1.Th.54 261
Animæ plures sunt in animanti secundum Aristot. l.1. Theorema 54 112
Animi affectiones sunt veluti educati dæmones, libro 2. Theorema 41 209
Animi affectionum varij affectus, & mirãda symptomata, vbi quã plures enumerãtur animi affectiones 209
Animalis actio quid sit, & quod naturalis sit 128
Animalia ex putri materia cur non generent 129
Animalis appetitus est cum cognitione, econtra naturalis lib 2.Th 147
Anticipatio accessionum quid significet l.3.Th.17 240
Antimonium vnde dicatur l.3.Th.44 269
Antimonium quid, ibid. antimonium est de genere fossilium, antimonium ex quibus constat ibid.
Antimonium venenum est ex multis l.3.Th.45 270
Quamuis tamen venenum est, tamen ad multa est vtile, & necessarium, & manus Dei in quibusdam morbis solet appellari, f.271. quibus non est dandum, & quo tempore ibid.
Antiphon semper sui imaginem ante oculos conspiciebat, & cur l.1.Th.51 106
Annus climactericus qui sit, & cur periculosus, vt plurimum putatur l.1.Th.21 51
Antonius Aluarez notatur l.1.Th.3 10
Appetitus multiplex l 2.Th.4 147
Aqua vocatur τῆς τροφῆς ὄχημα ab Hip. & cur 24
Aqua Nili pinguefacit refrigerat, prouocat sudorem, vrinam, & alui profluuium l.1 Th.21 51
Aqua videtur nutrire, quia mistionis alicuius est particeps l.1 Th.7 10
Aqua quomodo quidam sint nutriti, ex Alberto Magno, & Cælio Rhodigino l.1.Th.9 23
Aqua edax, vigilia edax, & cur l 1.Th.9 23
Aqua Tyberis pinguefacit equos, mulos, & quomodo, l.1. Theorema 9 24
Aqua qũo nutriat, & qũo concoquatur l.1.Th.9 24
Aqua si calida est Medicorum antiquatum dogma peruertetur l.1.Th.12 28
Aqua producitur ex vapore tanquã ex materia trãseunte, non tanquam ex materia permanente, & quomodo lib.1.Theor. 12 28
Aqua per accidens condensatur frigido l.1.Th.12 29
Aqua edax, vigilia edax, & cur l.1.Th.40 85
Aqua vehiculum nutrimenti dicitur l.2.Th.18 173
Aqua fontis cæteris omnib. est melior & cur l.5.Th.13 30
Aqua optima est, quæ non est admista cũ peregrinis materiebus l 1.Th.13 30
Aqua, quæ res est pratiosissima vilissimo pretio vẽditur 30
Aqua salsa quomodo fieri possit dulcis l.1.Th.13 30
Aqua pluuialis licet sit satis leuis, tamen non cito calescit, & refrigeratur, vt aqua fontis l.1.Th.13 31
Aqua pluuialis cur non sit ex omni parte laudanda, & quæ magis laudatur l.1.Th.13 31
Aqua an debeat coqui, & ob quid cõcoquitur, & an cooperculo, an sine cooperculo sit elixanda l.1.Th.13 31
Aqua putealis circa oppida non omnino laudatur 32
In aqua denarius, vel pomum maiora videntur, quã sunt & cur l.1.Th.51 120
Aquæ optimæ, & præstantissimæ conditiones l.1.Th.23 30
Aquæ fluuiales cur non sunt salsæ l.3.Th.31 255
Aquæ gutta mille congijs aquæ non permiscetur, sed destruitur l.1.Th.8 17
Aquæ secreta, seu destillatæ non sunt verum elementum aquæ l.1.Th.8 18
Aquam super bibere ab assumpto pharmaco quandoque conuenit, si modo sequatur sitis ingens, æstuatio, & nulla euacuatio, & quædam alia l.3.Th.25 247
Aquam Aegyptij tanquam Deam venerabantur 30
Aquarũ facultates dẽt medicus cognoscere l.1.Th.13 29
Aquarum naturam cognoscere vitæ multum interesse Plinius fatebatur l.1.Th.1 29
Aquas omnes similes esse in pondere dixit Plin. sed non recte ex Paulo, Athenæo, & Seneca l 1.Th.13 30
Aquila intuetur solis radios, & cur l.1.Th.51 108
Argẽterius fallitur in subdiuisione medicinæ l.1.Th.4 11
Argenterius negat medicinam à Deo habuisse originem, sed male sentit l.1.Th.1 2
Argenterius fallitur, inquiens omnes antiquos sensisse medicinam esse artem l.1.Th.2 6
Argenterius conuellitur asserens non dari secundum rei naturam temperatũ corpus ad pondus l.1.Th.17 44
Argenterius conuellitur asserens cerebrum sentiendi facultatem tribuere l.1.Th.46 96
Argenterius nodum in scirpo semper quæritabat libro 2. Theor.34 196
Argenterius erroneè autumauit semen hominis esse actu hominem l.2.Th.35 78
Argenterius in essentia doloris carpitur l.2.Th.43 211
Argenterius fallitur asserẽs medicinam esse facultatem lib.1.Th.2 6
Argenterius non est assecutus intentum circa sensum cerebri l.1.Th 46 95
Argenterius fallitur asserens spiritus visiuos non deferri per neruos, sed per Arterias l.1.Th 51 106
Argenterij diffinitio de dolore cauillatur l.2.Th.43 211
Argenterij mala expositio de parte instrumentaria 90
Argenterij lapsus in explicanda partis diffinitione lib.1. Theorem. 44 90
Argenterij lapsus, & Salui Sclani l.2.Th.18 172
Argenterij, & Sclani lapsus l 2.Th.29 191
Ariminensis confutatur de cinere l.1.Th.8 18
Arist. encomion l.1.Th.9 21
Arist. ore potius naturæ, quã hominis dixit esse mistionem miscibilium alteratorum vnionem l.1.Th.5 13
Arist. quàm plura ab Hip commutuatus est, & nunquam de ipso mentionem fecit l.3 Th.23 244
Arist. existimauit animam humanam immortalem l.1. Theorem. 57 117
Artis principium est in artifice, scientiæ verò principium est in re, seu natura l.1.Th.21 6
Ars quædam facit, quæ natura non facit, nec facere potest l.1.Th.17 44
Arteriarum sectio propè tempora apud Aegyptum frequẽs est ad diuturnas oculorũ fluxiones l.1.Th 50 103
Arteriæ sunt sextuplo venis crassiores l.1.Th.50 104
Asclepiades falso sibi imaginatus est pharmacum sibi generare similem humorem l.1.Th.29 65
Asclepiadis sententia detractione medicamentorum tanquam ridicula confutatur, neque mirum si errauit, nã repente ex Oratore factus est medicus l.3.Th.23 245
Astrologi faciunt septem ætates l 1.Th.19 47
Aratrea videtur habere optimum tactum, & cur 45
Athenienses Hip. ludos construxerunt ob liberatam patriam a peste l.1.Th.1 3
Atra bilis naturale temperamẽtum per se est frigidum, & sic-

& siccum, sed per accidens est calidum, & siccum, & an atra bilis fiat a pituita, & affirmatiuè respondetur contra Manardum, & Valletium l.1.Th.42 88
Auctor se excusat si ab Hip. & Galen. recessit semel l.1. Theor.46 94
Auctor miratur Gal. cur dixerit mortem, & senium a accidere experientia, nulla duce ratione l.2.Th 2 145
Auctor miratur Arist. in saporibus oppositis, quod posuerit dulcem, & amarum l.3.Th.29 252
Auctoris filius ortus est cum stigmatis, quæ auctor habebat l.2.Th.36 199
Auctoritati confidit auctor, sed multum rationi, longe autem plurimum experientiæ tribuit l.1.Th.8 17
Aues non sitiunt, & cur l.2.Th.5 150
Augenius notatur de vinorum temperamento l.2. Theorema 9 156
Augumentatio propter quid sit, & quæ in corpore prestet, l.1.Th.62 129
Augumentatio quotuplex sit, & quo requirantur ad eam l.1.Th.66 135
Augumentatio quid ibid.
Augumentum in viuentibus quousque fiat libro 1. Theorema 66 136
Augumentatio quot præsupponat l.1 Th.55 115
Auerrois sententia de causis doloris confutatur, libro 2. Theor.44 213
Auerrois notatur de æstimatiua l.2.Th.16 166
Auerroes confutatur de formis elemẽtorum l.1.Th.8 20
Auerroes confutatur de causa fluxus, & refluxus maris l.1.Th.14 35
Auerroes confutatur de causa periodicationis in febribus l 3.Th.15 237
Auerroes rationes soluuntur de generatione bilis porraceæ l.1.Th.37 80
Auerroes, & Turisanus confutantur volentes respirationem esse omnino naturalem l.1.Th.61 128
Auicenna male dixit, Hip. non probasse numerum elementorum l.1.Th.6 13
Auicennæ diffinitio partis est satis angusta libro 1. Theorema 44 91
Auicennæ lapsus de concoctionibus l.2.Th.18 173
Auicennæ sententia de causis doloris confutatur libro 2. Theor.44 213
Auicennæ dictum quoquomodo carpitur l.1.Th.62 130
Austerus sapor quomodo fiat l.3.Th.28 251
Autumnus non est temperatus in actiuis contra non nullos l.1.Th.20 49
Autumnus vitæ nostræ contrarius, & in ipso est paruus sanguis in homine ibid.
Autumnus, an æstas magis sint sicca ibid.
Autumnus quorum malorum fons, & origo 50
Autumno, an melius sit, vt vigeat siccitas, an humiditas fol. 50
Autumno parum Veneri incumbendum, & sanguis paucus extrahendus, idem, etiam fornarijs, & Capucinis Auctor obseruat l.2.Th.40 207

B

Bibentes æstiuo tempore statim sudant, & cur libro 2. Theor.33 194
Bilis multiplex, & per bilim omnis humor apud Hippoc. quandoque intelligitur, & quis nam sit bilis naturalis calor & quomodo leuis dicatur, & quomodo semper in corpore gignitur l.1 Th.34 76
Bilis quandoque multa, quandoque pauca in corpore gignitur l.1.Th.34 76
Bilis, an maior sit quæ vadit ad cistam fellis, quàm illa, quæ vadit cum sanguine ibid.
Bilis non est in potentia in corpore, vt perperam Iacobus de Partibus, sed in actu, & in sanis non est amara multum, & quæ vadit cum sanguine crassior est illa, quæ vadit ad cistam fellis l.1.Th.34 77
Bilis in substantia est subtilior sanguine l.1.Th.34 77
Bilis calidior sanguine calore adscititio l.1.Th.34 77
Bilis non est vere spuma, sed veluti spuma 77
Bilis rubea nunquam visa est ex Valleriola, sed oscitanter lectitauit Galen. ibid.
Bilis rubea non concrescit, è contra sanguis 77
Bilis est necessaria in corpore sano pro facibus expellendis & irritandis l.1.Th.35 78
Bilis quæ est in venis cum sanguine benignior est illa, quæ vadit ad cistam fellis l.1 Th.36 79
Bilis trahitur à vesica fellis, & ab hepate pellitur l.1. Theor.30 79
Bilis præter naturam plures sunt species, alia vitellina, porracea, æruginosa, rubiginosa, casia, glastia, cærulea, indica, Ginaria l.1.Th.37 80
Bilis porracea in ventriculo, an in venis generatur lib.1. Theor.37 80
Biles hæ duæ specie differunt 80
Bilis Ginaria an detur 80
Bilim trahentia simplicia, & composita medicamẽta quæ sint l.3.Th.23. 245
Brasauoli index multis dedit ansam errandi lib.1.Theorema 58 119
Brassica minus incocta lubricat, magis cocta stipticat ex Gal.l 1.Th.1 5
Brassica alioquin praui, & melancholici nutrimenti, tamen Neapoli contrarium obseruatur l.2.Th.40 208
Buccaferreus non recte explicat, quomodo motus sit causa caloris l.2 Th 14 163
Buccaferrei error l.1 Th.9 22
Buccaferreus perperam asserit in fornacibus Cypri esse materiam humidam, & vitiosam pro nutrimento quorumdam animalium l 1.Th.9 22
In butiro biliosa, & sanguinea portio prædominantur l.1. Th.25 59

C

Cacandum semel, an bis, an pluries l.2.Th.21 176
Cæci non possunt ad officia ascendere & cur libro 1. Theor.51 105
Calor naturalis cum veneno se habet per modum passiui venenum autem per modum actiui l.3.Th.36 260
Calor naturalis influens est elementalis & non cælestis originis, & quomodo dicatur cælestis, & quomodo naturalis l.3.Th.14 235
Calor solis mense Augusti, & Septẽbris maior est, quam in Iunio, & Iulio, & cur l.3 Th.5 223
Calor non semper omnia denigrat l.1 Th.42 88
Calor vitalis comparatur soli l.1.Th.49 101
Calor febrilis, & naturalis specie differunt lib.3.Theorema 13 234
Calor alius est naturalis, seu insitus, & alius influẽs, seu adscititius l.3.Th 14 234
Caloris proprium est homogenea congregare, & etherogenea separare l.1.Th.32 73
Camilli Maffei opinio confutatur de fluxu, & refluxu aquarum l.1.Th.14 34
Canis leuis aere non nutritur, vt Iulius Cæsar Scaliger existimauit l.1.Th.9 23
Capite ablato, seu obtruncato incessit animal per aliquot passus l.1.Th.47 98
Capiuaccij, & Caprilij sentẽtia de causa periodicationis in febribus putridis confutatur l.3.Th.15 237
Capiuaccius, & Eustachius notantur de causis doloris, l.2.Th 44 213
Caput cur membrum diuinum l.1.Th 45 93
Caput cur factum sit ob oculos l.1.Th 51 105
Castellani faciunt turres rotundas, & cur l.1.Th.51 105
Casus duo notandi, in quibus sterilitatem inducere licet l.3.Theor.11 230
Causa coniuncta, an detur, & quomodo detur, & in quibus morbis, causa coniuncta alia est vniuersalis, alia particularis l.3.Th.3 219
Causæ externæ, internæ, coniunctæ quæ l.3.Th 3 219
Centrum terræ secundum communem Astrologorũ consensum sunt plus minus 3579. milliaria l.1.Th.7 16
Cerebrum frigidum, sed in comparatione, & multis probatur l.1.Th 46. 94
Cerebrum est insensile, & sanguine caret libro 1.Theorema 46 96

Cerebri magnam molem habent inter cætera animalia homines l.1.Th.46 94
Chamæleon aere non nutritur, & quomodo nutritur, & cur diuersi color l.1.Th.9 23
Chylus in prima coctione generatur l.1.Th.24 56
Cibarum superfluitas cane peius, & angue fugienda est l.2.Th.6 151
Cibus quomodo veneno est contrarius, & medicamẽtum medium 131
Cibus triplex, & multiplex quoque ibid.
Cibi facilioris coctionis debent præcedere l.2.Th.6 152
Gibi abstinentia naturalis est ad plures dies, & quæ sit hæc causa naturalis l.2.Th.75 152.153
Cibum capere bis in die, & quandoque ter, & quandoq; quater in die non est inconueniens l.2.Th.8 154
Cibum qui semel capiunt in die amarulentiores habent mores ex Arist. 154
Cibus delectabilis post satietatem sit indelectabilis l.2. Theor.10 158
Cicadæ rore cælesti nutriuntur l.1.Th.9 23
Cinis non differt à terra contra Ariminensem lib.1.Theorema 8 18
Climactericus annus, seu scalaris quis sit, & cur periculosissimus l.1.Th.21 51
Colliquatio est toto genere præter naturam, & est febris pestilentis signum l.2.Th.34 196
Color viridis maxime oblectat oculos, & cur lib.1.Theorema 51 107
Color viridis gratus est aspectui l.2.Th.28 188
Colorum contemplatio vtilis, & necessum est medico l.2. Theor.25 182
Color quid l.2.Th.26 187.188
Colores fictitij, seu non permanentes qui sint lib.2.Theorema 27 186
Colores extremi quomodo fiant, scilicet albus, & niger, fol. 186
Colores non arguunt primo, & per se qualitates, seu temperamenta, sed per accidens 445
Colores medij quomodo generentur l.2.Th.28 188
Colorum mediorum species sunt finita, & cur 188
Colorum species ibid.
Colorum mediorum ordo, & situs ibid.
Color cæruleus est in diapente, puniceus in diapason, & eadem est ratio de rubro, & purpureo ibid.
Colores medij non exoriuntur ex extremis secundum formam, & actum, sed secundum virtutem libro 2.Theorema 28 189
Cometæ multum calefaciunt ob materiæ densitatem, & in tertia regione aeris generantur l.1.Th.15 38
Conceptus in vtero prius viuit vitam plantæ, deinde animalis, tertio vitam hominis, & quomodo hic Arist. locus intelligitur l.1.Th.54 111
Conciliatoris sententia de causa periodicationis in febribus putridis confutatur l.3.Th.15 237
Conciliatoris diffinitio partis non est numeris omnibus absoluta l.1 Th.44 41
Conciliatoris sententia de motu cordis, & arteriarum confutatur l.3.Th.19 242
Conciliatoris sententia de differentia humorum non probatur l.1.Th.27 61
Conciliatoris commentum non est magnifaciendum circa generationem humorum 61
Conciliatoris sententia de causis doloris non est cur recipiatur l.2.Th.44 215
Concoctio quid l.1.Th.28 64
Concoctio non omnis incrassando procedit l.1.Th.34 77
Concoctio quid l.2.Th.17 170
Coctionis terminus est humidi consistentia 171
Coctionis causa efficiens immediata, & mediata 174
Morbi quomodo concoquantur 175
A generatione differt, nec non à coagulatione.
Coctionis tres species, & eius excrementa l.2.Th.18 176
Cælum Vritanum pessimum est l.2.Th.3 146
Cælum constare ex elemẽtis apud Platonẽ quomodo intelligitur l.1.Th.15 37
Cælorum constitutiones vim habent in alterandis nostris corporibus maximam l.2.Th.2 145
Cœna, an prandium in epilepticis maius, & minus debet esse l.2.Th.8 154
Consistendi ætas quæ dicatur l.1.Th.19 48
Consuetudo quantum possit in omni statu, hæc enim superat rationes indicationis aliorum l.3.Th.12 232
Contraria plura possunt esse in vna, eademque particula non in esse summo sed inesse refracto l.1.Th.8 21
Contraria contrarijs curantur, quomodo à posteriori, non autem à priori probari possit l.3.Th.8 226
Corallina non generat vermes l.1.Th.29 65
Corallus oritur à terra humidissima, & tamen est siccissimus l 1.Th.47 98
Cor est principium sensus, & motus ex Arist. l.1.Theorema 46 94.95
Cor non est principium motus naturalis tantum, sed voluntarij l.1.Th.46 96
Cor diuerso modo secundum Arist. est principium motus naturalis, & animalis l.1.Th.47 98
Cor spirituum omnium fons secundum Arist. ibid.
Cor potest dici similare, & dissimilare l.1.Th.48 100
Cor dum dilatatur, & constringitur eodem tempore, & arteriæ l.3.Th.19 242
Corde extracto ab animali per aliquot passus animal incessit l.1.Th.47 98
Corpora quæ cito crescunt, cito senescunt l.1.Th.23 54
Corpus nostrum est perforatum veluti cribrum l.1.Theorema 43 89 & l.3.Th.20 251
Corruptio optimi pessima lib.2 Th.6 111
Crisis quotuplex, & quid sit l.3.Th.16 238
Crisim quæ præcedunt, cur crisis fallat imperitos medicos. ibid.
Crisi accedente non sunt multum nutrienda corpora. ibidem.
Crisis bonæ conditiones ibid
Crisis non est expectanda in morbis malignis, libro 3. Theor.17 239.
Crisis nocturna, an diurna melior l.3.Th.17 240
Cur inter comedendum vetitum sit loqui l.2. Theor.10. fol.158
Curatio dicitur etiam causæ abscissio l 3.Th.9 229
Curæ seniores sunt sapientiores l.1.Th 59 121
Cutis est temperata ad pondus, constat enim ex neruo, & carne l.1.Th.17 43

D

Delectatio ex coitu ex qua causa sit lib.2. Theorema 36 199
De nominatio a forma & a nobiliori est facienda, lib.1. Theor 31 70
Dentes tripliciter renascuntur in vtero a lacte, & a solidis nutrimentis l.1.Th.50 103.104
Destillatio ferina fit a pituita salsa l.1.Th.33 76
Deus Opt.Max. sanat omnes, verum secundis causis, vt plurimum ipsum vti non est abnegandum lib.1. Theorema 1 4
Deus Opt.Max sitienti populo Israelitico dedit aquam fontis, & non pluuialem, & cur l.1.Th.13 30
Dextra sunt fortiora sinistris, sed Manardus oppositum de oculo sinistro voluit l.1.Th.23 54
Diacatholicon omnes purgat humores, & eius etymon l. 3.Th.23 245
Dicerium in Telesium l.1.Th.12 28
Differentia vltima rerum latitant l.1.Th.52 109
Differentia quo ad rem cum Scoto est substantia, non autem quoad modum l.1.Th.31 71
Diocles ab Atheniensibus Hip.iunior vocabatur 194
Dioscoridis lapsus de Aloe l.3.Th.33 257
Diuisio Dei donum, & philosophia ornamentum vocatur, & qui eam inuenit, aut Deus fuit, aut Deo similis l.1. Theor.4 11
Diutius tolerare famem ventriculum replet malis humoribus l.2 Th.8 154
Dolor quid, & vbi eius natura consistat l.2.Th.43 211
Dolor non est actio læsa 8
Dolor quando fit ibid.
Doloris causa quandoq; est solutio continui, quandoque intem-

intemperies, & quantoque vtraque causa, non tamen æque primo l.2.Th.44 212
In doloris causa notantur Capiuaccius, Eustachius, Rudius Auic. Auer. Concil. & alij 214
Dolor dolore curatur, vomitus vomitu, & fluxus fluxu, l.3.Th.8 226
Dormientibus paruus strepitus videtur tonitruum, l.2. Theor.16 168
Dulcia an omnia percocta sint amara l.1.Th.32 72
Dulcia an omnia sint calida, & cur in bilim vertantur, l.1.Th.33 75
Dulcedo multos habet gradus ibid.
Dulcis sapor quomodo fiat l.3.Th.28 251
Dulcia nutriunt l.1.Th 29 65
Δύναμις semper potentiam, facultatem, virtutem, & operationem significat apud Græcos, & nunquam formam l.1.Th.8 21

E

EAdem est materia proxima nutritionis, & generationis l.1.Th.9 21
Ebrij gemina vident, & cur l.1.Th.51 245
Effectus contrarij causas arguunt contrarias lib.1.Theorema 27 61
Elementum est vox ambigua, multiplexque, lib.1. Theorema 54 118
Et de quatuor, vel quinque rebus dicitur l.1.Th.5 12
Elementorum tractatio vtilis, & necessaria est medico rationali, & arte Hippocratica digno ibid.
Elementorum inuentor, & veluti parens fuit Hip. sed ante Hip. fuere alij ibid.
De elementis multa in sacra Genesi Moses tetigit. ibidem.
Glementum quid sit, vbi tres diffinitiones assignantur, fol. 12
Elementum est illud corporum ex quo fit aliquid, & in quod postremo alia corpora resoluuntur per se, in quibus inest, aut potentia, aut actu, ipsum autem est indiuisibile in diuersa specie
De elementorum numero neutiquam cum Auic. diximus debere medicum physico credere l.1.Th.6 13
Elementorum quaternarius numerus non ab Aristotel. tantum, vt male Toletus inquit, fuit inuentus. 14
Elementorum quaternarius numerus ab Hipp. probatur sufficienter, nec alieno habitu indutus ibid.
Elementorum quaternarium numerum Aristot. magis eleganter, & luculenter ostendit, ab Hip. cuncta commutuando 14
Elementa infinita voluit natura, seu Deus Opt. Max. facere, & cur non duo, nec tria 14
Elementa non sunt vnum ibid.
Elementa singula duas sibi determinant qualitates. fol.32.15
Elementa secundum rei naturam considerata, aut difficile, aut impossibile est, vt reperiantur, vel potius mente sunt concipienda l.1 Th.7 15
Elementa mundi quæ videntur mista sunt, l.1.f.15.16. & l.1.Th.9 23
Elementorum impuritas prouenit, ex calorum, stellarum, planetarum, &c. influxu, motu, & lumine, Theorema 7. 16
Elementa manent in mistis secũdum formas integras, & secundum qualitates refractas l.1.Th.8 17
Elementorum formæ non corrumpuntur illæsis qualitatibus, seu virtutibus ibid.
Elementa segregantur à mistis, vnde actu sunt in mistis fol. 18
Elementa quatuor sunt in rosa elambicata, quorum duo apparent, duo verò nequaquam 18
Elementorum formæ non sunt medium quid inter substantiam, & accidens, nec suscipiunt magis, & minus. fol. 26
Elementorum formæ possunt remanere sine quibusdã gradibus qualitatum, non tamen sine omnibus 20
Elementa simplicia non nutriunt ex Hipp. & Platone, & Arist. & Gal. 21
Elementorum alterum alteri quomodo possit esse nutrimentum ex Hip.l.1.Th.9 21
Elementorum aliquod nutrit vt quo, mista vero nutriũt vt quod l.1.Th.9 23
Elementa an possint augeri in infinitum, an moueantur secundum locos a se ipsis, an ab alijs, an alterum altero sit magis necessarium, an elementum terra habeat pro loco suo superficiem aquæ, an centrum, an qualitates elementorum duæ sint actiuæ, & duæ passiuæ, & alia theoremata relinquit Auctor. ibid.
Elementa omnia putrescunt excepto igne l.2.Th.3 147
Elephantes intellectum habere perperã existimauit Plinius l.1.Th.59 119
Elephantes quomodo religionem habere dicuntur 120
Elleborus fugat insaniam l.3.Th.39 264
Empedocles, & Stoici aerem frigidum existimarunt l.1. Theor.11 25
Empedocles versibus conscripsit philosophiam 25
Empedoclis, Heracliti, & Antiphonis opinio de salsedine maris refutatur l.3.Th.30 254
Epicurus cur Venerem vituperauit l.2 Th.39 206
Erasistratus hallicinatus est dum asserit humorum tractationem esse inutilem l.1.Th 24 55
Erasistratus frustra cõditum esse lienem autumauit, sed male l.1.Th.39 84
Erasistrati sententia de purgantibus medicamentis confutatur l.3.Th.23 245
Errores primæ coctionis non corriguntur a secunda lib.3. Theor.20 242
Eustachij Rudij sententia de causa periodorum in febribus confutatur l.3 Th.15 238
Exemplorum non est exquirenda veritas l.1.Th.31 70
Exercitatio quid l.2.Th.11 376
Exercitationis vtilitas l.2.Th.12 160
Exercitatio lima est naturalis caloris, & entelechia ibid.
Exercitationis quis nam sit terminus ibid.
Exercitatio cur tantum est necessaria 161
Εὔκρατον temperamentum, seu quadratum quale, & quotuplex l.1.Th.17 42

F

FAcultatum inuestigatio dubia fuit apud antiquos, & varia sententia de ijsdẽ facultatib. l.1.Th.52 110
Facultas, potentia, vis, potestas idem sonant 110
Facultas quid ibid.
Facultas non est agens medium inter animam, & operationem ibid.
Facultas non est proximum, & immediatum principium operandi aduersus Toletum 110
Facultas differt a temperamento aduersus Saluum Scanum. ibid.
Facultas quomodo reponatur in prædicamento qualitatis, & relationis ibid.
Facultates animæ sunt accidentia l.1.Th.53 110
Facultates vegetatiuæ quot sunt l.1.Th.55 114
Facultates animæ sensitiuæ quot sunt 114
Facultates animæ rationalis quot sint ibid.
Facultas cum spiritu commeat ad corporis partes singulas l.1.Th.70 149
Fames quid, & quot sint necessaria p fame l.2.Th.4 148
Famẽ citius, quam sitim ferimus, & cur l.2.Th.10 158
Famem sedantia simplicia l.2.Th.10 159
Fascinatio quid possit in corpore l.3.Th.43 267
Fascinatio quomodo fiat 268
Fascinationis ratio ex causis amoris eccidentius conspicitur. ibid.
Fascinant quidam, & quidam nequaquam 269
Fascinantur sæpius pueruli, & mulierculæ, & cur ibid.
Fascinant familiæ quædam integræ 269
Fascinantur Dæmones, nec ne ibid.
Febris quandoque conuulsione finitur l.1.Th.70 141
Febris ex sanguine quæ sit l.1.Th.25 59
Feles, & noctuæ habent oculos lucentes, & cur libro 1. Theor.51 107
Felle carent multa animalia, vt equus, mulus, asinus, ceruus, & columbus l.1.Th.34 77

INDEX.

Fernelius, & Fuchsius confutantur in temperamenti dif finitione l.1.Th.16 41
Fernelius conuellitur de essentia partis libro 1.Theor.44 fol.91
Fernelius de colore calesti impugnatur l.3.Theorema 14 fol.235
Fernelij lapsus de spiritu l.1.Th.67 136
Fernelij sententia de causa periodicationis in febribus putridis confutatur l.3.Th.15 237
Fernelij lapsus de ictero l.3.Th.20 242
Ferro viam aperit qui per contraria transit, inquit iure consultus l.3.Th.2 217
Ficubus recentibus assumptis, ac ingestis vinum, an aquam superbibere conueniat l.2.Th.5 150
Fibræ quid, vbi generantur, quot sint & ob quid facta sint l.1.Th 31 69.70
Flabellum est causa frigiditatis, quia vnitur aer, & quia nouus, & nouus introducitur aer libro 1. Theorem 11 fol.27
Flamma, seu ignis exit ab oculis l.1.Th.8 18
Fæcum alui tractatio maxime vtilis, & necessaria est, l.2 Th.19 175
Fæces alui quid, & vbi generentur ibid.
Fæces optima quæ 178
Fæcum differentia à multis fontibus sumuntur libro 2. Theor.21 176
Fæces duras non nulla animalia reddunt, & cur. fol.176
Fæces liquida a qua causa fiunt 177
Fæces nigræ, quandoque bonæ, quandoque malæ 177
Fæces cur fætent, & maxime hominis ibid.
Fæces si morantur, cur minus fætent ibid.
Fæminæ semen emittunt l.2.Th.37 201
Fæminarum semen non est adeo concoctum 202
Fætus formationis, motus, absolutionis & egressus in lucem non possunt assignari præfiniti termini lib.1.Theorema 21 51
Fluuiales aquæ quo magis mouentur, magis infrigidantur l.2.Th.12 160
Fluuij pauci, & exigui sunt in principio, in progressu augentur l.1.Th.46 97
Fluxus, & refluxus maris aquarum satis est difficile, & admirabile problema, etiam testante Regio Propheta Dauid l.1 Th 14 32
Fluxus, & refluxus aquarum mentionem nullam fecit Aristot. 32
Fluxus, & refluxus septies in die in Euripo causam Arist. indagare, vt aiunt aon valens, viribus, & vita destitutus interijt ibid.
Fluxus, & refluxus varij obseruantur 32
Fluxus, & refluxus causa probabilis quæ ibid.
Fluxus aquæ est naturalis, refluxus non item 72.73.76
Fluxus quibusdam locis fiunt quatuor horarum spatio, refluxus spatio octo horarum 33
Fluxus, & refluxus maris Adriatici æqualis est. fol. 33
Fluxus, & refluxus possunt esse aliæ causæ accidentales, scilicet flatus ventorum, radij solis, lunæ, stellæ, cælum, ibid.
Fluxum & refluxum cur non habeant maria omnia, & cur seruetur, quandoque ordo, & quandoque non, fol. 33.34
Fluxus, & refluxus Euripi ignorat Auctor causam. fol. 34
Fluxus, & refluxus cur maiores in oppositione lunæ, & æquinoctijs, & è contra in solstitijs 33
Fluxus a veteri Hispania ad nouam quæ sit causa, fol. 34
Fluxus, & refluxus causa à Strabone assignata reijcitur. ibid.
Fluxus, & refluxus causa non potest esse influentia contra Diuum Thomam, Scotum, Conciliatorem & cet. fol. 34
Fluxus, & refluxus causa non est motus firmamenti. ibidem.
Fluxus, & refluxus causa non est lumen solis, & lunæ cū motu firmamenti 78.35
Fluxus, & refluxus causa non est terra, non venti, nec Platonis illa elatio 35.36
Fluxus, & refluxus causa non possunt esse fluuij. fol. 36
Fomes quid sit l.3.Th.15 236
Forma substantialis in mistione resultat, post quam miscibilia se redigunt ad aliquod temperamentum lib. 1.Theor.8 20
Forma misti resultans non aduenit enti perfecto. ibidem.
In fornacibus Cypri an sint animalcula quædam volantia, nec ne l.1.Th.9 22
Fracastoreus conuellitur de antiperistasi, scilicet quod sit causa quare aeni fundum sit tepidum libro 1.Theorema 37 71
Francisci Parelli sententia de causa circuituum in febribus confutatur l.3 Th.15 237
Frigus quomodo concurrat ad operationes naturales, & quomodo dicatur naturæ inimicum libro 1.Theor.18. fol.45.173
Frigus an induret faces l.2.Th.21 179
Frigus an faciat faces nigras l.2.Th.21 176
Frons facile sudat, & cur l.2.Th.33 194
Fructus quomodo saporosiores fieri possint libro 3. Theorema 27 250
Fructus si gelauerint, & insipidi fiunt, & putrescunt. l.3.Th.26 248
Fuchsij sententia de ictero confutatur l.3.Th 20 243
Fumus est compositus ex terra, & aere ex Aristo.libro 1. Theor.6 16
Fumus maxime oculos infestat, & cur l.1.Th.51 106
Fungos esse fugiendos meus auus Epiphanius dicere solebat, & cur l.3 Th.40 264

G

Galenus apertè causam humoris melancholici naturalis non aperuit l.1.Th 41 87
Galenus quid senserit de anima rationalis immortalitate, & potius ad immortalitatem declinasse confitendum l.1.Th.58 117
Galeni lapsus de gradibus aloe l.3.Th 33 257
Galenus notatur de tempore generationis pituitæ libro 1. Theorema 33
Galeni cauillus de cerebri frigiditate l.1.Th.46 94
Galeni subterfugium 95
Gallus cur Esculapio sacrificatur l.1.Th.1 3
Gazæ versio non probatur l.1.Th.30 68
Generatio vnius est alterius corruptio, & quomodo propositio intelligatur l.1.Th.63 131
Generatio quid sit, & an sit perfectior nutritione, & an sit propria quarto modo sumpto proprio l.1.Th.62 129
Generatio animalium multiplex est, alia est ex coitu, alia ex putredine, alia medio modo l.1.Th.62 130
Generatio viuentis à generatione non viuentis in quibus differat l.1.Th.62 130
Generationem mistorum aliquando deficere non est timendum contra Telesium l.1.Th.15 39
Gentilis, & Fulginei lapsus de calore naturali, & febrili l.3.Th.13 234
Gentilis de Fulgineo sententia de causa periodicationis in febribus confutatur l.3.Th.15 237
Gentilis sententia confutatur de loco generationis sanguinis l.1.Th.26 61
Glyres, & ranæ magna per sex menses subtus terra thesaurizant l.1.Th.45 92
Gorgias cum 108.annum vixisset interrogatus, quandoque cur tamdiu vixit, rectè respondet ὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πράξας l.1 Th 21 52
Gutturis tumores, seu totia ob aquarum prauitatem, malamque conditionem in quibusdam locis fiunt libro 1. Theor.13 31
Gypsea pituita quomodo fit, & vnde dicitur l.1. Theorema 33 77

H

Habitus, & dispositio an specie differant lib.3. Theorema 2 218

He-

INDEX.

Hebenus, tuxus, lignum guaiacum, seu lignum sanctum cur aquis non super natant l.1.Th.13 44
Hectica febris principium, seu prima species, seu primus gradus quando sit, & quando secunda species, & tertia l.1 Th.43 89
Hectica febris tertiæ speciei non est curabilis, & tamen reducitur ad medicinæ subiectum l.1.Th.3 9
In hectica cur non est delirium, sed in ardenti libro 1. Theor.47 984
Hæmorrhoidum apertio satis est utilis pro multis morbis l.1.Th 22 244
Hepar est membrum generationis totius sanguinis lib.1. Theor.26 219
Herodianus vir infirmissimus, attamen vitæ multa prouidentia utens centesimum annum impleuit, libro 1. Theor.21 52
Herodotus nigram esse Aethiopum genituram dixit, sed perperam l.1 Th.36 199
Hipp. demonstrationibus est usus in suis monumentis l.1. Theor.1 3
Hip. fuit tempore Democriti, cuius, vel fuit discipulus, vel coætaneus, & fuit ante Platonem. ibid.
Hipp. nil pronunciauit de animæ immortalitate libro 1. Theor.58 118
Hipp. & Democritus excusantur de loco generationis seminis l.2.Th.3.6 200
Hippoc. tamquam Deo fuit acclamatum ab Abderitis, l.1.Th.1 3
Hirudines trahunt sanguinem fæculētum, & venenosum l.3.Th.22 244
Homerus quomodo intelligatur quando dixit aquam esse τροφιμότατον l.1.Th.9 23
Homini tantum ex animantium genere fluit sanguis ex naribus & cur l 1.Th.32 32.33
Homo medium est in cunctis speciebus animalium lib.1. Theor.18 45
Homo non procul olfacit, vultures vero ad 500 milliaria. 45
Hominem absque humano semine gigni posse quomodo, quandoque intelligatur l.1.Th 62 130
Homonyma sunt prius distinguenda, deinde diffinienda, l.1.Th.16 40
Horatius Augenius carpitur l.3.Th.3 219
Horus Aegyptius, & Parmenides perperam fœminas esse viris calidiores autumarunt l.1.Th.23 54
Hostunei ut plurimum claudi generant filios claudos l.2. Theor.36 199
Humiditas mater putredinis vocatur l.1.Th.18 46
Humiditas ineptos facit homines l.1.Th 32 72
Humiditates secundæ quatuor sunt, quæ nostrū nutriunt corpus l.1.Th.43 89
Humiditates secundæ sunt animatæ 89
Humiditatum secundarum Gal. inuentor & Auic. explicator fuit. ibid.
Humiditates secundæ specie non differunt ab humoribus. ibidem.
Humiditas, & siccitas quomodo sunt actiuæ, & quomodo passiuæ l.3 Th 26 248
Humorum contemplatio utilis, & necessaria est in medicina l.1.Th.24 55
Humor multiplex ibid.
Humor quid. 56
Humoris imperfectæ, & variæ assignātur diffinitiones 57
Humores quatuor sunt in corpore l.1.Th.25 57
Humores dicuntur filij elementorum. ibid.
Humores ubi generātur, & an in venis, an in arterijs, an in gibba, an in concaua parte hepatis, an alibi libro 1. Theor.26 60
Humores inter se specifica differentia differunt, unde male conciliator asseruit humores numero, & per accidens differre l.1.Th.27 62
Humores simul generantur, & ly simul quomodo intelligatur l.1.Th.28 63
Humorum massa comparatur musto l.1.Th.29 65
Humores sunt animati l.1.Th.30 67
Humores sunt corporis partes sine quibus, & sunt in actu. 67
Humores sunt animati anima vegetatiua 68
Humores nostri corporis ex parte putrescunt l.2. Theor.3. fol.147
Humorum motus quomodo est l.2.Th.8 154
Hydropici cur sitiunt l.2.Th.5 150
Hydrops quomodo ex causa calida, & frigida producatur l.3.Th.21 243

I

Iacobus de Partibus refutatur l.1.Th.34 77
Iacobus de Partibus conuellitur de generatione humorum l.2.Th.37 203
Icetes Pythagoricus duas terras posuit, sed male libr.1. Theor.6 15
Ichores quid l.1.Th.43 199
Ichores omnium humorum dantur ibid.
Ichores non nutriunt corpus ibid.
Ichores non sunt præter naturam ibid.
Ichores ardentem febrem pariunt ibid.
Ichores quot sunt 89
Ichores sanguinis mitiores sunt ibid.
Icterici nigri unde l.1.Th.39 85
Icterici faces habent albas, & colicis doloribus laborare solent, & cur l.1.Th.34 78
Idea morbi quæ sit l.3 Th.17 239
Idea morbi quæ sit l.3.Th.17 239
Ieiunium cur verno tempore à Sacrosancta Romana Ecclesia fuerit stabilitum l.2.Th 4 207
Ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus l.1.Th.8 17
Ignis in propria sphæra fortassis est purum elementum, saltem secundum partem conuexam, non autem, secundum partem concauam l.1 Th.7 16
Ignis à quodam dolore coxendicum patiente exiuit, qui omnia combussit, & statim cessauit affectio lib.1. Theorema 8 18
Ignis mira potentia, ut etiam salamandram consumat, l.1.Th.9 23
Igne nemo fuit nutritus, nec in illo se conseruauit lib.1. Theor.9 23
In igne præter caliditatem, & siccitatem est alia operatio, quæ est formam substantialem inducere, & ignem generare l.1.Th.10 25
Ignis in concauo orbis concedendus est l.1.Th.15 37
Ignem in medio mundi esse asseruere Pythagorici, & Iouis carcerem appellarunt, & quid de hac opinione sentiendum l.1.Th.15 37
In igne caliditate, & siccitate posita non primo ponitur ignis, sed ipsius forma l.1.Th.10 25
Ignis quadruplex, carbo, seu anthrax flamma, & lux, & ignis elementalis, & quomodo differunt libro 1. Theor.15 38
Ignis in concauo non est res ardentissima, ut perperam Cardanus, & propter raritatem non lucet 39
Ignis, quomodo descendat ad rerum productiones. fol.39
Ignis sicut est actiuissimus, ita est minima resistentia. fol.39
Ignis noster est potius exarsio, & feruor 40
Ignis magnus tam cito comburit materias siccas, quàm viridis l.1 Th.28 64
Ignis non proprie nutritur l.1.Th.55 114
In angina aliqui deglutiunt potius rem crassam, quam tenuem l.2.Th.10 158
Infantia prima ætas, & cur sic infantes dicantur 43
Infantes facile adfletum, et risum mouētur l.1.Th.11 28
Infinita elementa non sunt, & cur l.1.Th 6 30.31
Infinita non sunt multiplicanda sine necessitate 15
Influentia non est causa fluxus, & refluxus maris 35
Influentia est causa uniuersalis, & occulta, æque participata ab elementari plaga ibid.
Influentia repugnat ad aures Peripateticorum ibid.
Insomniorum contemplatio satis utilis, & necessaria est pro medicina l.2.Th.16 165
Insomnia sunt concedenda in rerum natura ibid.
Insomniorum multæ acceptiones ibid.

INDEX.

Insomnium quid. 166
Insomnij causa efficiens ibid.
Insomnia varia,& cur ibid.
Insomnia quandoque non fiunt 395
Insomniant nequaquam pueri ibid.
Insomnia quomodo generentur ibid.
Insomnium cuius est facultatis ibid.
Insomnia sunt in brutis 167
Insomniū est primi sensitiui affectio,& potest esse insomnium abstractorem,& quomodo 168
Insomnia matutina vt plurimum vera 169
Insomniant ignari magis,quam sapientes,& cur ibid.
Insomnia ἐκ Διός ἐστιν ibid.
Insomnia plura dantur,scilicet animalia,naturalia, fortuita,diuina,dæmoniaca 169
Insomnia sanguinei,biliosi,melancholici,pituitosi,putredinis,libidinosi ibid.
Insomnia naturalia vt plurimum vera sunt, animalia non item ibid.
Instrumentum quid ad aures Gal.1.Th.49 101
Intellectus,quandoque ad impossibilia se extendit,& cur l.1.Th.17 42
Intellectus puerorum est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum l.1 Th 22 53
Intellectus nihil intelligit,quin sub sensus cognitione nō viderit l.2.Th.16 166
Intestina an trahant chylum,nec ne l.2.Th.20 175
Ioannes Picus Mirandulanus quid de mundi origine sentiat l.1.Th.20 50
Ioannes Picus nullum elementum esse simplex autumauit l 1.Th.7 16
Ioannes Picus nūquam satis laudatus multo contra Astrologos conscripsit l.3.Th.15 237
Ioan. Berardinus Longus Auctoris præceptor aquam fontis non esse incoquendam putabat, & cur l.1.Th.13.fol.32
Iobertus confutatur de nutritione vesicæ follis l.1. Theorema 36 79
Iridis color quomodo fiat l.2.Th.27 186
Irridendus est ille philosophus, qui homines immortales factorum esse pollicebatur l.2.Th.2 145
Iuuentus ætas quæ,cur flos ætatis dicitur l.1.Th.19 48
Iuuentus est ætas temperata l.1.Th.22 52
Iuuenis potest esse peritus medicus.
Iuuenes mulieres sunt medicina paralysis l.1.Th.23 55

L

Lac habet quatuor partes,phlegmaticam, melancholicam,sanguineam,& biliosam l.1.Th.25 59
Lapis in vesica dicitur morbus,& causa morbi l.3.Theorema 3 220
Leges non sunt scientia,sed ars,pendent enim a voluntate principis l.1.Th.5 4
Lenicenus male vertit 13.Aph.1. particula l.1. Theorema 19 48
Leuitas,raritas,& tenuitas calorem arguunt l.1. Theorema 11 26
Lex ratione rei tractata dicitur medicina nobilior, non autem ratione modi tractandi l.1.Th.1 4
Liber decimus de historia animalium an sit Aristotelicus l.2.Th.37 201
Lien od quid factus est, & an nutriatur humore melancholico l.1.Th.39 82
Lien nutritur tenuiori,& subtiliori parte sanguinis melancholici. ibid.
Lien scirrhosis affectibus, & obstructionibus efficitur. ibidem.
Lien quibus intumescit,corpus gracilescit 83
Lienem dixerunt ueteres esse ritus instrumentum. ibid.
Liene non fuit necessaria cauitas,& cur. 84
Liene multa arteria videntur.
Ligna nigrescunt ab igne, & ossa albescunt, & cur l.2. Th.42 88
Locus debet esse conseruatiuus locati l.1.Th.11 27
Ludouici Mercati præceptam in exhibendo Rhabarbarum,& agaricum mulieribus grauidis commendatur l 3.Th.32 256
Lumbricus quid sit l.2.Th. 22 177
Lumbricus cur sit toto genere præter naturā 178
Lumbrici differentia 178
Lumbrici,seu vermis cucurbitini historia 179
Lumbrici ex putredine generantur 179
Lumbrici ex pituita cruda generantur 180
Lumbrici ex sanguine non fiunt. ibid.
Lumbrici maxime in ætate puerili gignuntur. ibid.
Lumbrici an generentur ex dulcibus 180
Lumbrici a quo calore generentur ibid.
Lumbrici teretes in intestinis generantur l.2. Theor.24. fol.180
Lumen quid l.2.Th.21 182
Lumen, lux, radius, & splendor quomodo differunt, & quid sint. ibid.

M

Macies ex coitu l.2.Th.36 189
Macrocephali ex macrocephalis,& cur. ibid.
Magi varijs vtuntur modis in eorum maleficijs l.3.Th. 43. fol.267
Magis,& minus non variant speciem l.1.Th.10 24
In Maiori quanto maior virtus l.3.Th.37 267
Manardi sententia de vini temperamento non probatur, l.2.Th.9 157
Manardi oscitantia l.1 .Th.23 54
Manardi sententia,quod philosophia tantam ad ornatā sit vtilis medicinæ non probatur l.1.Th.2 7
Manentes in loco aliquo obscuro vident a longe res in loco lucido,& econtra l.1.Th.51 107
Manucodiata artis aere tantum non nutritur l.1. Theorema 9 13
Marcellus Donatus hallucinatur. ibid.
Marinellus confutatur 23
mare vt nunc non est simplex corpus l.3.Th.31 255
mare rubrum cur sit rubrum l.1.Th.12 29
mares fiunt ex calidiori semine l.1.Th.23 53.54
mares triginta diebus fæminæ quadraginta formantur. ibidem.
maris salsedinis causa est euaporatio partis tenuis, & sicca exhalatio l.3.Th.30 252.253
maris aqua calida & obsiccas exhalationes. ibid.
maris salsedinis causa, quod scilicet sit propter fluuios confutatur 254
materia cæli, & inferiorum non est eadem l.1.Th.15 38
materia nunquam recipit formas, nisi sit bene disposita. l.1.Th.10 24
materiæ conditiones innumeræ, & infinitæ sunt l.1.Th. 21.fol.51
mathematica disciplina in nobilitate non superatur a medicina l.1.Th.2 4
matthæus Curtius asseruit qualitates elementorum esse substantias,sed perperam l.1.Th.10 24
maxima pars eorum, quæ scimus, & minima eorum quæ ignoramus l.1.Th.59 120
medicamenta assumpta cur quandoque non operantur l.3.Th.24 248
medicamentum hæmagogum difficile reperitur l.1.Th.6. fol.15
medicamentum trahens sanguinem reperitur, sed Deus celat l.1.Th.21 15
medicamenta trahunt humores electiue l.3.Th.23 244
medicamenta non solum ad ventriculum,sed ad vniuersas corporis partes contendunt aduersus Auicen. Mesuem,& Fernelium &c.l.3.Th.24 56
medicamenta parti cuidam familiaria, atque dicata. l.3.Th.36 261
medici Neapolitani multum laudantur in vsu, seu apertione venarum hæmorrhoidalium l.3.Th.22 244
medicina est certior physica l.1.Th.1 4
medicina dicitur quandoque incerta,& quomodo. ibid.
medicina difficillima est,& quomodo. ibid.
medicina in se est habitus certus, & constans ex veris principijs. ibid.
medicina habet omnia requisita ad scientiā l.1.Th.1 2

INDEX.

Medicina necessaria est, & ob quid. 3
medicina honores, & fructus. 3
medicina habet demonstrationes quia, & propter quid, vbi multa adducuntur demonstrationes l.1.Th.1 1
medicina non habet demonstrationes illas, de quibus conscripsit Arist. lib.1. Poster. 1
medicina scit res per causas 2
medicina finis est sanitatis vel deperdita recuperatio, vel eiusdem conseruatio. ibid.
medicina antiquitas ex multis probatur. ibid.
medicina a Deo est, & fuit. 2
medicina origo multiplex est apud varios ibid.
medicina maximos habet fructus, & quaestus 3
medicina non est superuacanea 5
medicina ignorantia quamplures ocyus moriuntur, quam ferat natura ratio ibid.
medicina non est aliquis illorum quinque habituũ, quos ponit Arist. l.1.Th.2
medicina est scientia. 5
medicina non est frustratoria, & cur 6
medicina non est ars ibid.
medicina vel est eadem cum physica, vel ab ipsa non est separata, sed solum per accidens differat 7
medicina est scientia communiter dicta, & quomodo hoc dictum intelligatur 7
medicina non est facultas, vt habet Argenterius ibid.
medicina vocatur ars largo modo, & resarcitiua quomodo. 8
medicina non primariè sanitatem facit, sed instrumentaliter ibid.
medicina non est reponenda inter artes liberales, vt fecit Hugo. ibid.
medicina non est medium quippiam inter scientiam, & artem contra Turisanum, Conciliatorem, & Argenterium. 8
medicina non peruenit ad primam causam. ibid.
medicina non est scientia practica contra Montanum 9
medicina includit in se in ratione rei considerata artem vrteri nariam 9
medicina subiectum totale est corpus viuens, & principale humanũ corpus natura, vel arte sanabile l.1.Theorema 3 19
medicina subiectum non est sanitas contra Manardũ, & Montanum, non sanum, contra Curtium 9
medicina prima diuisio est in duas partes l.1.Th.4 10
medicina alia diuisio in tres partes 11
medicina plures alia diuisiones assignantur, sed insufficientes sunt 11
medicus per causam propinquam, Astrologus per remotam procedit l.1.Th.2 5
mel cur nimis coctum amarum euadit l.1.Th.32 72
melancholia generatur ab immodico calore, & quid per hỹ immodicum intelligatur l.1.Th.41 86
melancholia cur fiat in autumno 83
melancholiam trahentia simplicia, & composita medicamenta qua l.3.Th.23 245
melancholia naturalis causa a Gal. non explicita libro 1. Theor.41 66
melancholia naturalis origo ex Vega qua sit, & eius confutatio l.1.Th.41 82
melancholici multum somniant l.2.Th.16 168
melancholici ingenio, literis, & c. praualuere, & cur l.1. Th.18. & l.1.Th.42 88
melancholici humoris naturalis causa est calor temperatus l.1.Th.41 86
melancholici per accidens in scientijs pollent, atque excellunt l.1.Th.42 198
melancholici sunt luxuriosi 89
melancholicus humor prater naturam vel generatur ex humore melancholico naturali adusto, vel ex assata bili, & qui nam existis peior l.1.Th.42 87
melancholicus humor quadruplex l.1.Th.38 81
melancholicus humor alius est naturalis, alius prater nat uram 81
melancholicus humor naturalis generatur in hepate, est crassus, frigidus, siccus, & sanguinis limus, & atra bilis vocatur, acidus, acerbus, terra similis, vita contrarius, latitia amulus ibid.
melancholicus humor crassus est, sed non viscosus 82
melancholicus humor non est frigidior pituita, & est excrementum, & humor, cuius maior portio vadit ad venas, quàm ad lienem, & nutrit ossa 78
melancholicus humor tendit ad ventriculum, tum propter meliorem coctionem, & retentionem, tum propter appetentiam, & cur non semper famescimus l.1.Theorema 40 84.85
memoria quomodo sit in corde secundum Arist. & quomodo in cerebro l.1.Th.46 97
mercenarius hallucinatur l.2.Th.17 170
mercurialis confutatur de diffinitione exercitationis l.2. Theor.11 160
mercurialis lapsus de causa efficiente saporis l.3.Th.27. fol.249
mercurialis sine causa recessit ab Arist. in diffinitione coloris l.2.Th.26 186
mercurialis fallitur de vini temperamento l.2.Theor.9. fol.157
mercurialis non rectè defendit Arist. de illis animalibus, qua in fornacibus Cypri reperiuntur l.1.Theorema 9. fol.22
mercurialis impugnatur l.2.Th.21 176
mercurialis confutatur? 176
mercurialis in materia vrina claudicat l.2.Theorem.29 fol. 191
mercurialis impugnatur in materia sudoris l.2. Th.33. fol.192.193
mercurialis impugnatur l.2.Th.33 196
mercurij non mediocris quantitas in ossibus mortuorum reperta est l.3.Th. 24 246
mesuis lapsus de Aloe, quod sit primo gustu dulcis l.3. Theor.33 257
metalla, & lapides cur diuturniores alijs mistis l.2. Theor.18 46
metaphysica nobilior est medicina l.1.Th.1 4
metrodori sententia de causa salsedinis maris reijcitur, l.3.Th.30 254
militia inter artes liberales reponenda est l.1.Theorema 1 4
minus calidum respectu maioris calidi videtur frigidum l.1.Th.11 27
mista dupliciter considerantur, vel ratione forma, vel ratione materia l.1.Th.31 69
mistio quid sit, & qua ad ipsam requiruntur l.1. Theorema 8 17
In mistione maior vnio miscibilium, quam in congregatione congregatorum 20
In mistione remanent elementorum virtutes, non sine formis substantialibus 21
mistionis duplex modus l.2.Th.28 188
mistum quatuor habet formas elementorum, & prater has est forma misti, qua non est alia à formis elementorum l.1.Th 8 18
moises, & Helias cur, & quomodo tandiu sine cibo vixerunt l.2.Th 7 152
montanus lapsus est asserens medicina diuisionẽ in theoricam, & practicam non fuisse Gracorum l.1. Theorema 4 11
montanus errauit asserens Plat Arist. Galen. & Auer. totam medicinam practicam fecisse ibid.
montanus carpitur l.1.Th. 3 11
montani sententia medicinam esse scientiam practicam asserentis non recipitur l.1.Th.3 9
montes sunt in mari l.1.Th.14 34
montes, turres, & vrbes &c. a longe tota videntur, non autem è longinquo, & cur l.1.Th.56 107
morbus quid, & quomodo differat διάθεσις ἀπὸ τῦ πάθους l.3.Th.2 216
morbus est qualitas l.3.Th.2 227
morbus maior est in statu, quam in alijs temporibus l.3. Theor. 5 222
morborum tempora sunt veluti atates in animantibus, ibidem.
De morbi maioritate aduersus Turisanum disputatur, fol.223

Morbi habent causam finalem, libro 3. Theorema 6. fol. 224
Morbi acuti essentia in quo consistat libro 3. Theorem. 7. fol. 224. 225
Morbus acutus non semper periculum includit. ibidem.
In morbis duo exerceas, vt prosis, aut ne quid noceas, l. 3. Th. 9 227
morbus est curandus contrarijs æqualibus, & quomodo intelligitur hoc axioma. ibid.
morbi principium triplex l. 3. Th. 10 2
morbi magnitudo, quomodo cognoscitur libro 3. Theorema 17 232
morbi motus in morbis est considerandus. ibid.
morbi mos valde est attendendus. ibid.
morborum tempora, quomodo cognoscenda libro 3 Theorema 17 240
morbus in ictero, vel est intemperies, vel obstructio in cista l. 3. Th. 20 242
moribundi futura prædicunt, vt de Socrate patet lib. 1. Theor. 56 114
mors cum est in propinquo oculi sursum contorquentur, & cur l. 3. Th 41 265
motus est causa caloris, & quomodo corpus alterat l. 2. Theor. 2 145
Inter motus contrarios cadit quies media, & cur libr. 1. Theor. 14 34
motus est causa caloris attrito, extenuato, & rare facto aere l. 2. Th. 14 163
motus violentus est causa caloris contra D. Thomam. fol. 163
motus nō est causa caloris ratione distractionis aeris contra Buccaferreum 163
motus firmamenti non peruenit ad secundam aeris regionem l. 1. Th. 14 35
motus ignis in sua sphæra nec pure naturalis, nec pure violentus, sed medius est, qui dicitur præter naturam l. 1. Th 15 39
motus tonicus oculorum qui sit l. 1. Th. 51 107
muli cur non generant, & muli in Syria cur generant, l. 1. Th. 62 130
mulieres monstruatæ quos pariant mirandos effectus, sed non de omnibus res intelligitur l. 3. Th. 42 266
mulieres timidæ, frigidæ, & raro hepatis caliditate laborant ab aquis producuntur, nec non a frigidis, & humidis, & crudis, & vita breuioris sunt lib. 1. Theorema 23 53. 54
multiplicia sunt prius distinguenda, deinde diffinienda, l. 1. Th 5 12
mundus ab ornatu dicitur, ornatus ab ordine, ordo ab æqualitate ex Theophrasto l. 1. Th. 15 37
mundus a verno tempore potius incepit, quàm ab autumnali, & cur l. 1. Th 20 50

N

NApellus nullam habet partem alimentalem, vnde illa puella contra Auic. non fuit napello nutrita l. 3. Th. 38 262
Natamus commodius in aqua maris, quam in aqua fluuiali ob maris aquæ crassitiem l. 3. Th. 30 253
Nationes multæ sunt, quæ quamuis medicina rationali non vtantur, vtuntur tamen naturali libro 1. Theorema 1 4
Natura medicatrix morborum, medicus autem minister l. 1. Th. 2 6
Natura non fuit impia, nam a maiorem partem sanguinis separauit in cista fellis, terrestriorem in liene, l. 1. Th. 15 58
Natura procedit ab imperfecto ad perfectum lib. 1. Theorema 28 64
Natura quomodo vtitur re vna ad varia opera, libro 1. Theor. 47 100
Natura ex possibilibus elicit id quod melius, l. 1. Theorema 50 104
Nauigantibus terra, & quæ quiescunt mobilia videntur l. 1. Th. 51 105
Nauigia onusta facilius in aqua maris, quam fluuialis substinentur l. 3. Th. 30 253
Nemesius oscitanter Gal. lectitauit de anima humanæ immortalitate l. 1 Th. 88 117
Nemo certe mortalium omnibus horis sapit ex Plinij auctoritate l. 1. Th. 1 5
Nemo appetit id, quod habet l. 1 Th. 14 36
Neotericus quidam consutatur de temperamento æquali ad pondus l. 1. Th. 17 43
Nerui a corde propagantur cum Aristotel. libro 1. Theorema 46 96. 97
Nerui tripliciter oriri dicuntur a corde, & quomodo intelligatur. ibid.
Nerui optici quomodo dicantur concaui, & quando fit in illis gutta serena l. 1. Th. 51 105. 106
Nerui optici cur bifurcati oriuntur, deinde vniuntur, & cur, nec incruciantur contra Albertum Magnum. ibidem.
Nerui quos habeant meatus, & cur manifestos meatus non habuerunt l. 1 Th. 70 42. 43
Neruo læso quomodo sequatur maximus dolor, & maxima inflammatio l. 1. Th. 41 100
Nicolaus de Palauicinis generauit filium in centesimo anno l. 1. Th. 62 129
In niue præsertim veteri vermes quidam rubidi, & hirtos habentes pilos generantur l. 1. Th. 9 23
In niue est aliquis calor l. 2. Th. 21 183
De nominibus philosophi non debent esse multum solliciti l. 1. Th. 44 90
Non omnium quæ ab antiquis dicta sunt potest reddi ratio inquit iureconsultus l. 1 Th. 26 79
Non possumus cognoscere id quod est præter naturam, nisi cognoscamus id, quod est secundum naturam l. 3. Theor. 1 215
Nutritio propter quid sit, & quid præstet lib. 1. Theorema 62 129
Nutritio quid, & cur cum generatione sit valde affinis, & in quo differant l 1. Th. 64 133
Nutritio quomodo fiat a simili, & quomodo non. fol. 133
Nutritio quatuor habet necessaria libro 2. Theorema 4. fol. 150

O

OBtuse videntes paruas litteras scribere consueuerunt l. 1. Th. 51 107
Oculi cur sunt eminenti loco positi l. 1. Th 51 104
Oculorum visum maxime exoptamus & cur 105
Oculi vocantur luminaria diuinum organum, & sol animalis, & cur. ibid.
Oculi rotundi sunt, & cur 105
Oculos cur claudimus quando volumus, non autem nares, aut aures 105
Oculi cur duo sunt facti 105
Oculis duo inseruntur nerui, & cur 105
Oculi septem motibus mouentur. ibid.
Oculi cur habent adipem, & cur non rigent 106
Oculi cur sursum attollantur in actu venereo 106
Oculis confrictatis cessat sternutamentum, & cur. fol. 107
Ab oculis emicat splendor, & cur, vbi de oculorum temperamento pertractatur 107
Oculi sunt salutis, vel mortis indices 107
Oculus dexter, an sinister debilior 107
Oculi puerorum magni sunt, magnamque habent pupillam, e contra in prouectis ibid.
In oculos si exiguum animal inuolat statim altero clauso foras extruditur, & cur 107
Oculos albos habentes melius vident in obscuro, quam in lucido aere & cur 108
Oculi cur fascinant, si species materialiter non recipiuntur l. 1 Th 51 108
Oculi cornicis collo appensi conseruant visum. ibid.
Oculis nocentia quæ, & quot ibid.

Occiso-

Occisorum corpora cur præsente occisore cruentent lib.1. Th.32 72
Oleum non congelatur verè à frigore sed potius consistit, & incrassatur l.1.Th.11 26
Omne mouens proximum debet esse simul cum moto, l.1. Theor.46 96
Opacum corpus quid, & quale, & quæ opaci, & perspicui principia l.2.Th.26 188
Operatio facit cognoscere formam l.1.Th.54 112
Opium an calidum, an frigidum l.3.Th.33 257
Opium sumunt multi sine læsione l.3.Th.37 261
Opio assumpto falsò creditur spectra videri lib.3. Theorema 38 262
Orchomenes Lacedæmonius lienosus ob cursum velocissimus omnium effectus est l.1.Th.39 83
Ordo generationis rerum sic se habet, vt materia, & forma cum qualitatibus elementa generent, elemẽta temperamenta humores &c.l.1 Th.44 90
Orta suis principijs attestantur l.1.Th.26 60
Otium multorum malorum pater libro 2.Theorema 12. fol.166.167
Oui candidum cur coctum albius redditur libro 2.Theorema 27 186

P

PAcuuius Brundusinus Poeta quomodo aquam nutrire dixit l.1.Th.9 23
In palestinæ lacu homines ligati, & iumenta supernatãt ob aquæ crassitiem l.3.Th.30 254
Palpebris constrictis aliquantulum melius videmus l.1. Theor.51 108
Pamphili Montij sententia de principio dierum criticorum in partu confutatur l.3.Th.10 228
Panis repletio pessima l.2.Th.6 152
Parmenides duo ponebat principia, sed perperam libro 1. Theor.6 15
Partium aliæ duræ, aliæ molles sunt libro 1.Theorem 48. fol.100
Pars similaris quid, & quot 100
Partes similares cur fecit natura ibid.
Partes dissimilares quæ, & in quo consistit earum essentia. ibid.
Partium aliæ sunt priuatæ, aliæ communes lib 1. Theorema 49 102
Partium contemplatio valde est necessaria medico lib.1. Theor.44 97
Partium varia acceptio 96
Pars quid ibid.
Partes essentiales, similares, dissimilares, integrantes, viuentes, & non viuentes in partis diffinitione comprehenduntur
Partes essentiales vt materia, & forma integrantes vt cor, cerebrum, hepar, testes, &c.l.1.Th.45 97
Pars princeps quid 98
Pars princeps vna non est ibid.
Partes principes tres sunt scilicet cerebrum, cor, & hepar & quæ nam ex his sit princeps magis 93
Partes similares vocantur πρωτόγονα, idest primo genita, simplices, incomposita, similes, & hemogeneæ, l.1.Th.48 100
Partus alius est naturalis, & alius præter naturam l.3. Theor.10 228
Paternus quid de autumni temperie proferat l.1. Theorema 20 50
Pendentia duplex ordinis, & originis l.1 Th.27 63
Penetratio corporum non datur in missione, quia non formæ, sed qualitates elementorum immiscentur libro 1. Theorema 8 20
Pepones dulces sunt, sed frigidi l.1.Th.33 78
Periodicationis causa in febribus putridis, quæ sit lib.3. Theor.15 236
Perspicuum quid l.2 Th.25 187
Petrus Aponensis, & plusquam commentator, & alij aiunt Hip non calluisse logicam, sed perperam loquuntur l.1.Th.1 2
Philosophia non ad ornatum tantum vtilis est medicinæ l.1.Th.2 8
Phlegma vnde dicatur l.1.Th.33 73
Phlegma quid sit, & vbi generetur 74
Phlegmatis quot species 74
Phlegma quomodo sit frigidum 77
Phlegma quomodo sit insipidum ibid.
Phlegma præter naturam dulce, acidum, vitreum, salsum, gypseum, succus crudus, saliua, muccus 75
Phlegma educentia medicamenta simplicia, & composita quæ sint l.3.Th.23 245
Physiognomici maximè oculis confidunt, & cur libro 1. Theor.31 104
Pius Aeneas Caprilius confutatur circa abortum prouocandum l.3.Th.11 231
Pindarus lepidissimus poeta rectè de aqua exclamabat, ἄριστον μὲν ὕδωρ ἄριστον μέν ὕδωρ l.1.Th.13 30
Pindarus notatur de Boeoticis l.1.Th.32 73
Piscibus adhuc inest ignis, qui quoniam est refractus in suis qualitatibus ideo ab aqua maris non extinguitur l.1.Th 8 20
Pituita dicitur quasi petens vitam l.1.Th 33 73
Pituita duplex alimentalis, & excrementitia ibid.
Pituita excrementitia inutilis est ad formandos mores, fol.74
Pituita quo tempore magis gignitur, an in hyeme, an in æstate. 75
Plantæ, & ossa non sentiunt, & cur l.1.Th.17 43
Plantæ dicuntur habere ætatem cum Theophrasto lib.1. Theor.19 47
Plantæ non habent sensum, & cur l.2.Th.4 149
Plato nullum elementorum, quæ apud nos sunt, syncerum autumauit, idem Arist.& Gal.l.1.Th 7 16
Plato vidit libros sacræ genesis l.1.Th.56 115
Platonis sententia de motu proiectorum conuellitur li.2. Theor 13 162
Platonis sententia de causa fluxus, & refluxus maris recipitur l.1.Th.14 36
Platonis sententia de speciebus saponum non placet l.3. Theor.28 251
Plinius falsò dixit medicos fuisse expulsos olim à Romanis l.1.Th.1 3
In Plinio quot sunt capita, tot sunt errores si Leoniceno credimus ibid.
Plinius est irridendus de elephantibus l.1 Th 59 120
Plinius ethnicè pronunciauit ob id esse facta venena, vt ijs assumptis homo ab ærumnis liberetur lib.3. Theorema 39 263
Plinij lapsus de aquis, quod sint omnes æquales in pondere l 1.Th 13 30
Plinius conuellitur 31
Plinij lapsus de gradibus aloes l.3 Th.33 257
Porphyrius cur ab esu carnium animalium esse abstinendum persuasit l.1.Th.59 119
Prædicatio multiplex, formalis modalis, & causalis l.1. Theor 63 132
Præsagitionis summa in quo consistat l.3 Th.17 240
Proiectorum motus, vt fiat quæ requirantur lib.2. Theorema 13 162
Proiectorum motus non est Platonis antiperistasis, nec est virtus impressa 162
Prouidentia a Deo non est abneganda libro 1.Theor.59. fol.120
Pubertatis ætas quæ l.1.Th.19 48
Puella Germanica biennium sine cibo vixit, & quomodo l.1.Th.9 23
Puer nouem habens annos prægnantem fecit suam nutricem, & alius decem l.1.Th.62 129
Pueri molles sunt, & quæ mollitie molles libro 1. Theorema 22 52
Pueri sunt calidiores iuuenibus calore naturali, iuuenes calidiores calore adscititio l.1.Th.34 77
Pueritia quæ ætas, & quamdiu durat l.1.Th.19 48
In puerperis, seu enixis a quo sumere debemus morbi principium l 3.Th.10 228
Pulsus quid; & quod Hippoc.cognouerit pulsum libro 3. Theor.18 240
Pulsus bonus in febribus malignis, & cur l.3 Th.19 242

Pupillæ dilatationem patientes vident res minores, quã sunt, & cur l.1 Th.51 107
In puteis profundis stellas videmus, & cur 107
Putredo triplex l.3.Th.5 224
Pythagoras diuisit ætates in quatuor, idem etiam Hipp. Gal. & Auic.l.1.Th.19. 47
Pythagorici falluntur l.1.Th.15 37

Q

QVæ specie differunt, & sunt perfecta, & non subordinata ad vlteriorem formam non continuantur, l.1.Th.8 21
Qualitates sunt medium, & copula, quibus forma substantialis in materia suscipitur, & in materia conseruetur l.1.Th.8 17
Qualitates elementorum in misto sunt refractæ, & castigatæ, seu ligatæ, extra vero mistum elementa habent qualitates integras 18
Qualitates primæ elementorum non sunt substantiæ, sed accidentia l.1.Th.10 24
Qualitates elementorum non sunt in summo contra Fernelium l.1.Th.16 43
Qualitates elementorum, humiditas præsertim, et siccitas quomodo sint actiuæ, & quomodo passiuæ l.3. Theorema 26 248.249
Qualitatum nomine scilicet calido, frigido, humido, & sicco elementa intelligit Hip.l.1.Th.6 13
Quartanam Saturni filiam esse protulit Octauius Horatianus medicus vetustate clarissimus l.3.Th.17 239
Quartanarius circuitus quomodo fiat, & cur l.3. Theorema 15 236
Qui negat sensum indiget pæna sensus l.1.Th.12 28
Quintij Bonioannis auctoris præceptoris opinio de causa humoris melancholici l.1.Th.41 86
Quotidianus circuitus quomodo fiat l.3.Th.15 75

R

RAdicula in principio, an in fine comedi debeat lib.2. Theor.10 158
Radij Solares a terra repercussi non perueniunt ad secundam aeris regionem l.1.Th.11 28
Radij lunares non reflectuntur ad firmamentum libro 1. Theorema 14 35
Raritas est caloris effectus, & ad ipsum dispositio lib.2. Theorema 14 164
In rebus præter naturam non est semper assignandus finis l.2.Th.43 211
Rectum est iudex sui, & obliqui l.3.Th.1 215
Repletio omnis mala, panis autem pessima libro 2. Theorema 6 151
Respiratio qua actio sit l.1 Th.65 128
Res non naturales quot sint, & cur sint tot libro 2. Theorema 1 143
Res prauæ, & natura sua perniciosæ si sortem statumque mutant meliores fiunt l.1.Th.20 50
Rhabarbarum ex eo quia amarum, an tuto exhiberi possit grauidis mulieribus l.3.Th.32 256
Romani olim expulerunt medicos imperitos, non elegantes, & doctos l.1.Th.1 4
Rorarij responsio de cibo in Epileptico, confutatur lib.2. Theor.8 155
Rubea tinctorũ si manibus cõtractetur vrinam in suum colorem rubeum transmutat l.3.Th.24 246
Ructus acidus frigiditatem arguit, nidorosus verò caliditatem l.1.Th.33 75
Rustici vt plurimum ad chronicas ægritudines disponuntur, & cur l.1.Th.18 46

S

SAgittarij, vt acutius videant claudunt vnum oculum & cur l.1.Th.51 107
Salamandra igne non consumitur cum Arist. Theophrasto, & Antigono, sed falsum est l.1 Th.9 22
Salomon decimo anno genuit Roboam l.1.Th.62 129
Salsus sapor quomodo fiat l.3.Th.28 251
Salsus humor non potest ad naturæ benignitatem reduci, & ideo statim purgandus l.1.Th 39 84
Salsa pituita si parum est salsa, minorem arguit calorem e contra, e contra l.1.Th.33 75
Salsedinis pituitæ quot causæ l.1.Th.33 75
Saluus Sclanus perperam reprehendit Argenterium in essentia partis l.1.Th.44 90
Salui Sclani lapsus l.2.Th.18 172
Salui Sclani lapsus de essentia temperamenti l.1. Theorema 24 110
Sanguis mulierum est indigestus, & frigidus lib.1. Theorema 23 55
Sanguis est manifestè dulcis l.1.Th.25 58
Sanguis pro quarta substantia habet excrementũ, sed pusillum, & istius excrementi assignatur locus 59
Sanguis a quo, & in quo rubedinem sumit libro 1. Theorema 26 60
Sanguis solus inter humores est humano temperamento proportionatus l.1.Th.29 66
Sanguis solus, an pro tota massa nutriat singulas corporis partes, quæstio est problematica. ibid.
Sanguis pro tota massa est etherogeneus l.1.Th.30 67
Sanguis secundum sensum videtur homogeneus 67
Sanguis pro tota massa est animatus 68
Sanguis non est viuens ex Toleto, sed perperam ibid.
Sanguis secundam materiam cõsideratus frigidus est, & siccus, secundum formam calidus, & humidus libr.1. Theor.31 69
Sanguis concrescit propter fibras 69
Sanguis Damarum, & Camelarum non concrescit ibid.
Sanguis calidissimus vocatur, & cur l.1 Th.31 70.75
Sanguis pro quarta substantia temperatus est l.1. Theorema 31 71
Sanguis differt a phlegmate l.1.Th.32 156
Sanguinis ex quadraginta vntijs vix sit una feminis ex Auic.l.2.Th.36 199
Sanguis quomodo dicatur temperatus l.1.Th.41 86
Sanguine cur stoliditas l.1.Th.32 72
Sanguis factus ex phlegmate in venis, & factus ex chylo sunt eiusdem speciei l.1.Th.33 74
Sanguis cur non habet typum, seu circuitum, veluti tres alij humores l.3.Th.15 236
Sanguinem educentia medicamenta non facile reperiuntur, & cur l.3.Th.23 246
Sanitas est medicinæ finis l.1.Th.1 2
Sanitas res grata, & iocunda, & ob id Pyrrhus Epirotarum Rex semper a Dijs hunc acclamabat 3
Sanum corpus quod sit, & quas habeat conditiones l.3. Theor.1 216
Saporum contemplatio valde vtilis est ipsi medicinæ l.3. Theor.26 247.248
Sapor quid ibid.
Saporis causa efficiens ibid.
Sapor dulcis maxime est gustabilis, & nutritiuus lib.3. Theor.27 249.250
Saporum natura male intellecta ab Anaxagora, Democrito, Leucippo, Epicuro, & Lucretio l 3.Th 27 250
De saporibus non est recipienda Empedoclis sententia. ibidem.
Sapor acerbus quomodo fiat, & in quibus sit lib.3. eiusque officium Th.28 251
Sapor acetosus quomodo fiat ibid.
Sapor ponticus seu austerus, amarus ibid.
Sapor acutus, seu acris, salsus, dulcis quomodo fiant. fol.251
Saporum septem species l.3.Th.29 251
Sapor insipidus non est sapor ibid.
Sapor pinguis ad dulcem reducitur, sicut etiam suauis, & lacteus ibid.
Sapor piccans quid sit ibid.
Sapores oppositi qui maxime sint, & sunt amarus, & acidus ex rei natura l.3.Th 26.29 252
Scientiarum præstantia ex duobus præcipuè fontibus sumitur ex nobilitate subiecti, & ex certitudine demonstrationis l. 1.Th.1 1
Scientia quot conditiones habere debet l.1.Th 2 5

Scien-

Scientia rationem non complet habere determinata principia l.1.Th.2 18
Scioli ad pauca respicientes de facile omnia enuntiant. l.1.Th.40 85
Scotistarum responsio non est tuta de animæ facultatibus, l.1.Th.53 111
Scotus facete dixit eos, qui negant contingentiam esse tormentis exponendos donec dixerint possibile esse eos non torqueri l.1.Th 12 28
Scythæ cur erant steriles, an fuerit sectio venarum retro aures, nec ne, vbi octo causæ sterilitatis adducuntur, l.2.Th.36 199
Sedimentum in vrinis quid sit & quale l.1.Th.24 57
Seleuci Mathematici sententia impugnatur de fluxu, & refluxu maris l.1.Th.14 87
Semen quid l.2.Th.34 196
Semen excrementum est, sed vtile f.468,469 196
Semen album, & cur ibid.
Semen est animatum anima vegetatiua, & sensitiua l.2. Theor.35 197
Semen non decidit a singulis corporis partibus aduersus Arist.l.2.Th.36 198
Semen quomodo a singulis corporis partibus descendere pro Arist.dici potest 598
Semen mulieris multos habet vsus l.2.Th.37 203
Semen mulieris, & viri specie non differunt lib.2. Theorema 38 204
Semen mulieris actiuè ad generationem concurrit. fol.203.204
Semen, & lac cur candida l.1.Th.32 72
Seminis minima excretio debilitat magis, quam larga phlebotomia l.2.Th.36 200
Seneca scripsit aerem esse frigidum, sed errauit vt philosophus moralis l 3.Th.11 27
Seneca aurea sententia de animæ immortalitate libro 1. Theor.59 120
Senectus extendi, & retardari potest l.1.Th.1 4
Senectus cruda, seu viridis quæ apud Virgilium, & Galenum l.1 Th.19 48
Senectus vera, & decrepita quæ ibid.
Senectutis terminus non potest esse certus, sed vt plurimum est l.2 Th.21 50
Senectus potest retardari, non autem euitari 51
Senes, & iuuenis æqualiter febricitantes quomodo sint alterandi, & vter magis existis l.3.Th.12 232.233
Senes minus ab animi perturbationibus infestantur libro 1.Th.22 53
Sensus est certissimus iudex bonitatis aquarum, libro 1. Theor.13 30
Sensus non se profundat vsque ad substantiam, libro 2. Theorema 4 149
Sensus interni tres sunt, & ipsorum munera lib.2.Theorema 16 392.166
Sensus omnes interni secundum Arist. sunt in corde l.1. Theor.46 97
Sensus omnes præsupponunt tactum, tanquam primam radicem l.1.Th.56 96
Serum habet partes aquosas, & nitrosas l.1.Th.25 59
Signa critica non debent apparere in principio morbi l.3. Theor.16 239
Signa salutis, aut mortis l.3.Th.17 240
Simia non habet exquisitum tactum, sed illum præsefert, l.1.Th.18 45
Sitis quid l.2.Th.5 150
Sitiunt valde qui timent, & cur 151
Sitis cur possit tolerari minus, quam fames ibid.
Sitim sedantia simplicia l.2.Th.10 159
Socrates moribundus multa prædixit, & quomodo lib.1. Theor.56 114
Somni vtilitates plures l.2.Th.15 164
Somnus quomodo à poetis, & à philosophis diffinitur, & quæ sint causæ ipsius 164
Somnus in quo prædicamento locatur 164
Somnus quotuplex, & cur nocturnus potius, quam diurnus laudatur 165
Somni situs qui debeat esse 165
Somnus interpollatus debilitat magis, quam continua vigilia, ibid.
Somni tempus, & quantitas ibid.
Somnus duplex simpliciter, & secundum quid libro 2. Theor.16 168
Specilla quid præstent in visione l.1.Th.51 107
Spermatica partes in pueris, famellis, & mollioribus naturis possunt regenerari, & coalescere.l.1.Th.50 econtra in senibus medio modo in adultis 103
Spermaticarum partium materia, & causa efficiens, & finalis quæ sint l.1.Th.50 104
Spermaticæ partes cur difficillimè regenerentur 104
Spiritus visiui ad oculos per neruos, non per arterias feruntur contra Argenterium l.1.Th.51 105
Spiritus quotuplex, & quod in rerum natura ipsi existant l.1.Th 67 136
Spiritus quid, & quod non sint incorporei, & ætherei contra Fernelium, & quomodo generentur 137
Spiritus debet esse tenuis, lucidus, mobilis, & calidus, ibidem.
Spiritus dicuntur animæ currus ex Ficino 137
Spiritus duplex, alter influens, & alter innatus libro 1. Theor.68 137
Spiritus tres sunt, & specie differunt animalis, vitalis, & naturalis ibid.
Spiritus naturalis est admittendus contra Manardum, fol. 137
Spiritus animalis datur, & quomodo generatur l.1.Theorema 69 138.139
Spiritus pertranseunt per internam regionem neruorum, l.1.Th.70 142
Spiritus sunt animati l.1.Th.71 142
Spuma, & semen quare, & quomodo sint alba lib.2.Theorema 27 187
Stare, & sedere motus sunt l.2.Th.12 167
Sterilitatem inducere in quibus casibus, & quando conueniat l. 3 Th.15 230
Sterilitas quid ibid.
Stoicorum sententia de fluxu, & refluxu maris confutatur l 1.Th.14 34
Strabo manens in quodam Siciliæ promontorio videbat armatam portus Carthaginis, quæ 136. milliarijs distabat l 1.Th.51 108
Strabonis, & Senecæ sententia de fluxu, & refluxu maris confutatur l.1.Th.14 34
Strutio camelus, & columbus non concoquunt ferrum vt dici solet l.1.Th.18 45
Subiectum medicinæ est corpus viuens, & humanum præsertim natura, vel arte sanabile l.1.Th.1 1
Subiectum Mathematicæ disciplinæ est in genere accidentium l.1.Th.1 1
Substantia non suscipit magis, & minus l.1.Th.10 24
Substantia sensu non percipitur ibid.
Ad substantiam per se non est motus ibid.
Substantia non agit immediate, sed medijs instrumentis. ibidem.
Succus crudus qui sit, & vbi generatur l.1.Th.33 76
Sudor quid l.2.Th.31 192
Sudor male diffinitur ab auctore de historia philosophica. ibidem.
Sudor male a Platone, & ab Arist diffinitur 193
Sudor alius est naturalis, & alius præter naturam lib.2. Theor.32 193
Sudor Anglicus qui 194
Sudor an sit euacuatio naturalis, an præter naturam. ibidem.
Sudoris causæ procatarticæ, antecedentes, & coniunctæ quæ l.2.Th.33 194
Sudorum variorum causæ variæ 195
Sudantes an sint sinendi, vt sudent, nec ne 195
Symptomatum triplex acceptio l.3.Th.4 221

T

Tarantulæ morsus in Apulia mira gignit symptomata l.3.Th.42 267
Telesius confutatur de causa fluxus, & refluxus maris, l.1.Th. 14 35

Tele-

Telesius aquam calidam esse asserit, contra quem Auctor apopthegmatizat l.1.Th.12 61.28
Telesius duo ponebat elementa scilicet calidum, & frigidum, sed male l.1.Th.6 15
telesius notatur l 2.Th.14 163
temperamentum multiplex & præsertim sex modis dicitur, innatum, influens, conflatum ex vtrisque, totale, substantiale, qualitatiuum l.1.Th.16 40
temperamentum, calidum innatum, & natura vnum, & idem sunt 40
temperamentum, temperatura, temperies, temperatio, & complexio idem ibid.
temperamentum quid, & quod sit accidens 40
temperamentum non est harmonia, & concentus contra Fernelium 41
temperamentũ non est calidi, frigidi, humidi, & sicci congrua mistio 41
temperamenta nouem sunt l.1.Th.17 42
temperamentum sanguineum post temperatũ corpus magis resistit causis ægrotare facientibus, deinde cholericum, deinde frigidum, & humidum, &c.lib.1. Theorema 18 46
temperamentum melancholicum est senectutis soror, & mortis germanus ibid.
temperatum corpus ad pondus secundum temperamentum innatum non potest existere in rerum natura, nec etiam secundum temperamentum influens l.1 Theorema 17 42
temperatum corpus æquale ad pondus datur secundum vtraque temperamenta scilicet secundum innatum, & influens 43
temperatum corpus æquale ad pondus triplex est, vel secundum molem, vel secundũ qualitates, vel secundum vires 43
temperatum corpus ad pondus homo est, seu cutis ipsius hominis. ibid.
temperatum corpus ad pondus vniuersaliter, & de facto non reperitur, sed de possibili, & quandoque secundum partem 43
temperatum corpus in alteratiuis qualitatibus, non autem in motiuis conceditur ibid.
temperatum corpus ad pondus perfectiores habet operationes corpore intemperato l 1 Th.18 45
temperatum corpus collectiue habet operationes perfectiores, intemperatum diuisiue ibid.
temperatum corpus ratione propriæ naturæ resistit magis causis ægrotare facientibus, quam intemperatum, & cur collectiuè resistat 46
tenebræ quid l.2 Th.25 87
In tenebris qui diu versati sunt, si repente maximo splendori occurrant obcæcantur, & cur libro 1. Theorema 51 108
termini duo generationis simpliciter, & perfectè simul manere non possunt, scilicet terminus, a quo, & terminus ad quem l.1.Th 8 21
terra in centro fortassis est purum elementum lib.1.Theorema 7 16
terra in centro erit ascolor, veluti ignis in propria sphæra. 16
terra maior est Luna l.1 Th.14 35
terra mobilis est secundum Seleucum Mathematicum, & secundum Nicolaum Copernicum, sed confutatur hæc sententia 36
tertiana est morbus acutus sine periculo libro 3. Theorema 7 225.226
tertiana non transit septimum, aut nonum circuitum. ibidem.
tertianarius circuitus quomodo, & cur fiat lib.3. Theorema 15 236
testes non sunt ad vitam simpliciter necessarij, sed ad prolis generationem, & propagationem, libro 1.Theorema 45 209 210
theophrastus aquam nutrire dixit, & quomodo intelligatur l.1.Th.9 23
thomas, quomodo motus sit causa caloris, non recte explicauit l.1 Th.14 164
thomæ Minadoi sententia de causa periodorum in febribus confutatur l.3.Th.15 238
toletus non rite explicat, & respondet Arist. loco libro 1. Theor.54 112
toletus non concedit sanguinem esse viuentem, sed fallitur l.1.Th.30 68
toletus notatur in expositione text. Aristot. libro 1. Theorema 60 129
topica remedia cur iuuant contra quosdam vulgares homines l.3.Th.24 246
torquati Tassi insignis poeta delirium melancholicum l.1. Theor.42 88
tractatio metallorum, lapidum, plantarum, piscium ad partem medicinæ medicamentariam reducitur libro 1. Theorema 4 11
turisani, & Conciliatoris inepta sententia asserentium medicinam esse medium quippiam inter artẽ, & scientiam l 1.Th.2 8
turisani, & Vegæ opinio confutatur de humorum generatione l.1.Th.41 86
turisanus confutatur de loco generationis humorum, l.1. Theorema 26 60
turisanus decipitur l.1.Th.46 96
turisanus, & conciliator de virtute formatiua toto Cœlo aberrarunt l.1.Th.50 111
turisani rationes soluuntur de causa voluptatis libro 2. Theorema 42 210
turisanus confutatur l.3.Th.5 223
turisani sententia de motu cordis, & arteriarum reijcitur l.3.Th.19 242
turpe non est, sed benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris ex Plinio, libro 3 Theorema 23 245

V

Valleriola notatur in eo, quod dixit nunquam esse visam bilim rubeam l.1.Th.34 77
Valleriola decipitur de vinorum temperamento, libro 2. Theorema 9 157
Vallesio, & Vesalio non assentitur auctor, quod causa sterilitatis Scytharum sit sectio cuiusdam neruuli lib.2. Theorema 36 250
Vallesius confutatur asserens in interitu mistorum elementa generari à causa vniuersali, libro 1.Theorem.8. fol. 18
Vallesius confutatur de natura aeris libro 1.Theor.11. fol.60. 28
Vallesio non assentitur auctor l.2.Th.19 174
Vallesij opinio de generatione fœtus non placet, libro 2. Theorema 37 203
Vallesij opinio de ictero notatur l.3.Th.20 242
Vallesij sententia de causa fluxus, & refluxus confutatur l.1.Th.14 35
Vallesius notatur circa essentiam temperamenti, libro 1. Theorema 16 41
Vallesius infringitur l.1.Th.31 70
Vallesius errat in vini temperamento l.2.Th.9 157
Vapor est formaliter aqua, veluti exhalatio est formaliter terra l.1.Th.8 18
Vbi desinit physicus, ibi incipit medicus, & quomodo hoc dictum Arist. intelligatur l.1 Th.2 7
Vega notatur de generatione pituitæ in ventriculo lib.1. Theor.33 74
Vega, & Valleriola non recipiuntur circa essentiam, naturamque temperamenti l.1.Th 16 41
Veneficij miri effectus l 3.Th.43 267
Venefici verba nullam habent vim 267
Venefici medicamentis multa operantur ibid.
Venarum hæmorrhoidum apertio quandoque fieri potest ante corporis euacuationem, cum possit esse vniuersalis euacuatio l.3.Th.22 244
Venarum retro aures sectio ad oculorum affectus probatur l.2 Th.36 200
Venarum duo genera in vno, & quomodo cognoscuntur. l.3.Th.22 244
De venenis cur scribere non liceat l.3.Th.36 260
Venenum vnde dicatur. ibid.

Venenum quid ibid.
Venenum non est res naturalis, & est toto genere præter naturam ibid.
Venena parti determinata noxia 260.261
Venena quibusdam alimentum, alijs nutrimentum. ibidem.
Venenorum quædam cur non interimant, & quadruplex causa assignatur l.3.Th.37 261
Venenorum alia maiorem, alia minorem dosim exposcunt. ibid.
Venenorum alia citius, alia tardius interimunt. ibidem.
Venena non reperiuntur quæ certo die perimant, & cur. fol. 261
Venena quomodo nutrire possunt, & quomodo non lib.3. Theor.38 262
Venena multis modis occidunt ex Auic. 262
Venena calida, frigida, sicca reperiuntur, non autem humida ibid.
Venenorum causa materia, efficiens, finalis lib.3. Theorema 39 263
Venena non habent illam causam finalem, quam ethnicè Plinius pronunciauit ibid.
Venenis vescuntur multa animalia ibid.
Venena multa morbis multis opitulantur 263
Venena bina assumpta, vt toxicum, & argentum viuum non enecarunt, & cur ibid.
Venenorum quamplures differentiæ, à natura, & ab arte l.3.Th.40 264
Venena fiunt in corpore humano ibid.
Venenatus aer quibus locis Puteolorum, & in foueis frumentorum aer venenatus ibid.
Venenum ne noceat, & vt ab ipsis corpus præseruetur, quæ iuuant, & præsto sunt l.3.Th.41 265
Veneni assumpti signa, & signa specierum 126
Veneno alta animalia an tuto comedi possint lib.3. Theorema 4 266
Veneno similes humores in corpore gigni possunt 266
Veneni assumpti eadem signa sunt, & febris pestilentis, ibidem.
Venenosa sunt quædam in quadam sui parte, & cur in vna regione sunt venenosa, & in alia nequaquam, fol. 266
Veneri plurimum indulgentes, quandoque sanguinem emittunt l.2.Th.36 198
Venus quid agat in corpus nostrum libro 2 Theorema 39 205.206
Venus dicitur parua epilepsia ibid.
Venus remedium est morbis a pituita, & quomodo. ibidem.
Venus quibus magis conuenit 207
Venus quomodo confert, & quomodo non confert libro 2. Theor.39 207
Veneri incumbendi tempus idoneum, libro 2. Theor.40. fol. 207
Veneri incumbendo ætas idonea 207
Veneri an sit incumbendum ante somnum, an post somnum de sero ibid.
Ventriculus est lacuna phlegmatis libro 2. Theorem.24. fol. 181
Verba famosa sunt vt plurimum vera, libro 1. Theorema 59 121
Vermes generantur ferè in cunctis corporis partibus excepto corde l.2.Th.24 181
Vermes sursum ascendunt, quandoque ad stomachum, fol. 182
Vesica fellis non nutritur bili, sed sanguine l.1. Theorema 36 79
Vesica non trahit, ne detur vacuum, nec a calido, sed vel a natura prouidentia, vel substantiæ familiaritate & natura occulta 79
Vesica fellis non læditur a bilis acrimonia, & cur. ibidem.
Vesica trahit vrinam in corpore sano libro 2. Theor.30. fol. 189
Vetulæ quædam sumebat drachmam vnam succi cicutæ sine læsione l.3.Th.37 261
Vetularum oculi fascinant infantes l.1.Th.51 108
Vident aliqui res perforatas, & dissectas, & cur libro 1. Theor.51 107
Vident aliqui noctu melius, quàm die ibid.
Vident aliqui de longinquo, & non de propinquo. fol.108
Vina quo sunt meliora, eo minorem fæcem habent lib.1. Theorem.25 59
Vina, quomodo extinguant sitim, & famem, libro 2. Theorema 5 150
Vinum est maxime naturæ humanæ simile, lib.2. Theorema 6 115
Vinum vetus ducentorum annorum 155
Vini varij effectus ibid.
Vini inuentor, an fuerit a principio 156
Vinum an sit terræ sanguis, nec ne ibid.
Vina secundum materiam frigida sunt, secundũ formam multiplex temperamentum sortiuntur ibid.
Vina Archadiæ adeo sunt terrestria, vt congelentur a calido, & in frustra secentur ibid.
Vinum antiquum calidum, & siccum 156
Vinorum alborum duplex differentia, aliæ enim sunt oligophora, alia polygophora ibid.
Vinum non omne calidum est 156
Vina specie differunt 157
Vina non sunt omnia calida in secundo ordine contra Valleriolam ibid.
Vina non omnia sunt humida contra Vallesium ibid.
Vinum dilutum citius inebriat, quàm meracum, & cur l.2.Theor.20 158
Vinum prius, deinde aqua imponenda ibid.
Violentum nullum durabile, quomodo intelligatur, l.1. Theor.11 27
Violentum quandoque durabile, & quomodo l.1. Theorema 14 35
Violentum durabile non in numero sed in specie, libro 1. Theorema 15 38
Vires sunt oculus dexter medici l.3.Th.25 247
Viri calidiores fœminis l 1.Th.23 53.54
Virtus formatrix adhuc remanet formato fœtu, & non discedit contra Turisanum, & Conciliatorem libro 1. Theor.50 103
Visio confertim, & repente fit, & cur libro 1. Theorema 51 108
Visio extra mittendo fit 108
Visio vbi fit, & cur vna res non apparent duæ. fol. 106.
Vita hominis est septem dierum, libro 2. Theorema 7. fol 153
Vita est mansio calidi in humido libro 1.Theor.17.f.42. l.1.Th.18 46
Vita cur non est æterna l.1.Th.64 133
Viuens tres actiones habere oportuit, scilicet nutritionem auctionem, & generationem libro primo, Theorema 62. fol. 129
Vlcera pulmonis, & cordis caro non coalescunt libro 1. Theorema 50 104
Vlmi Pictauiensis opinio decisa de spiritus vitalis præparatione l.1.Th.39 84
Vmbelicus potius est in medio corporis, quam cor libro 1. Theorema 46 96
Voluptatis causæ in Venere quæ, & quot sint, & cur tanta delectatio l.2.Th.42 207
Voluptas quid l.2.Th.42 208
Voluptatis perceptiuum debet habere quatuor conditiones. 208
De voluptatis natura videntur esse Plato, & Arist. contrarij, sed non sunt 209
Vrina maxime medico vtilis, & necessaria lib.2. Theorema 29 190
Vrinæ inspiciendæ sunt non tantum in affectibus venosi generis, sed thoracis etiam 190
Vrina quid. ibid.
Vrina hepatis, & venarum est excrementum, non renum contra Lycum 190

Vri-

Vrina cum materia duplex contra Mercurialem. fol. 191. 192

Vrina retentio, & expulsio sunt actiones mista, libro 2. Theorema 30 192

Vulnerato occipitio, & plurimum cæsitas exoritur, & cur l. 1. Theor. 51 108

Vulnerati, seu percussi in tempore dextro amiserunt visum oculi, & è contra 108

Z

Zabarella expositio περὶ τῆς δυνάμεως non probatur lib. 1. Th. 8 21

Zabarella inquit aeris secundam regionem a firmamenti motu circumferri, sed male, libro 1. Theorema 11 fol. 23

Zimara Hydruntina prouinciæ sempiternum decus lib. 1. Theorema 5 12

Zimara confutatur lib. 1. Theor. 17 29

Zimara confutatur de loco generationis sanguinis lib. 1. Theorema 26

Zimara conuellitur de antiperistasi lib. 1. Theorema 31 fol. 72

Finis Indicis.

Errata

Errata grauiora ſic corrigantur.

P. principium, m. medium, f. finem ſignificant.

Fol 2.p.conferiſſe,lege calluiſſe,f.3.m.oranium, l.omnium,m.cur, l.ver,m.ſtortinius,l.Stertinius, f.4.m.petendo,
Secundo,m confeſſus &,l.confeſſus eſt f.Valletius,l.Valleſius.f.duplicem reſponſionem l. duplicem reſponſionem ad-
fero.f 5.p.vtilia,l.vilia,p. abcominandum,l.abhomi nandum,m.auferte,adferte,f.quo,l.qua f.b.f.ſeruata,l.ſexcen
ta,f.in hac,l.in hoc,f ex l. eſt,f.7.p Selanus,l. Sclanus,m.morbus,l.moribus,f.8.l.ergo.f.8 m.fuit,fecit, m.principio,
principia,f.hinc,l hic,f.10.f.tunc,nunc,f. 11.m. retorctio,retentio,f.Silanus, Sclanus,f.12.p.vret,vrat,p.rationem,
rationum,p,curaſſe,exaraſſe,f,13.p,ad iſum,ad ipſum,f,14.m Herculeis Hercules,f,15.p,iniqui tati, iniquitatem,
f,16 p,&,in,m,dicebat,decebat,f,17.m, prebetur,peribetur,f,23.p,phlagma, phlegma f,24. m,prædicamenta, præ-
dicamento,m,noſtra,f,28,f,enſque,eaſque,f,29,p,guſtatim,guctatim p,immittare,immutare,f,30,p, omniſitus,om-
niſcius,m,guſtatim,f,31,m,magni,magis,f,32,p,facturos,facturum,f 33,m,poſiturum,poſituram,f,34,p,vaſibus,
vaſis,f,35,m,vegentur,vagentur,f,36,m, Anaximenſi,Anaximeni,m,perpetuum perpetuam,m poliariam poli va-
riam,m,electionem, elattonem,f,38,p,cometes,cometas,p,rixus,rixas,f,in conceſſu,in exceſſu f,39,p ſenſimus, ſen-
timus,p grauiaſculæ grauiuſcula,f,42,p,ex,eſt.ergo particula ſuperflua,f, 43,m,pro,per,m,mon,non,m,animaduer
tit,animal venit f,temperatus,temperatum,f,48,p,acutiora,auctiora,m,leoniſenum, leonicenum,f,49,f,aer,ver,f,
51, p,pertranſitus,pertranſitur,m,humanirus,humanitus f,52,m,inconcretos,inconcoctos f 53,m,fragantur,fran-
guntur,f,quem,quam f,54,p,virgines,viragines,f,55 f,ignorabat,ignorabit,f,56,m,nutritarum, nutriturũ f,57,
p,diſtinctio,diffinitio,m ſufficientes,ſufficienter,f, 58,m,homines,humores,p,de cap. de c.f,64 m,receptis,receptui,
f,66,p,magni,magis,f,68,p,pareat,parcat,f,69,p,nam locantur,nam ita locantur,f,70, m, calidas,calidus,m, ca-
dentem,calentem,m,aeui,aeni,f,71,p, quem,quam,f,73,f,denominata,denominatio,f,75,m,calore, colore,f,76, m,
calor,color f,perat,petat,f,clericarum,cholericarum,f 78,m,decenerentur, detinerentur,f,79,p, & oppoſitum, lege
& oppoſitum,f 81,m,hinc,hic,f,84,f,commeatu,commeare,f,86,f,Don,Bon,f,87,m,hunc hic f 88,p, pingendo,pan
gendo,f,89,p,hinc,hic,m,fibrum,cribrum,f,&,ex f,90,m,Clauus,Sclanus,f,98,m,naturale, naturales,f,99,p, effi-
cit,officit,m gluciali,glaciali,f,qua quas,f,100,f,operatiores operationes,f,102,f,pro,per,f, 103,p, ad vſuum, ad
viuum,p,argentis,agentis,f,parcane,parcant,f,104,f,ipſe,ipſi,f,106,p,valenti,calenti,p, motiuis mortuis f, 107,
p,an,cur,f,hurno,humor,f,periheria,peripheria,m,nos,hos,f,carnachia,cornachia,f 109,p,dicantur, dicatur,f,110,
m,temperamentum,temperamento,f 111,p,literis,his,p,totam,tota,f 113,p,eadem,eandem,f, aduenit in actu,ad-
uenit enti in actu,f,rationales,rationalis,f,115,f, diſtinxi, diſtinxit,f,116, p,Phileto,Philebo,f,117, m, Geruaus,
Heruaus,f,118,p, vani,varia,m,quid,qui,m,ſecundo,ſecundum,m tertio,tertium,m, quarto,quartum,f,121,ſexes,
ſenes f fides,fide,f,redolebant,redolebunt,f,122,p,corripiunt,concipiunt,m, Diui, Deus,m propagere, propagare, m,
re,vi f,eo ſolo,in ſolo,f,125,p,motum,modum,m,qua vt deum, qua decem,f,127 m iucta,lucta,m, conſequentiam,
conſequentia,f,128,m,tandem,eandem,f,130,p,natas,natos,m f,132,p,vicimus,dicimus,p,miſtam miſtum,f,133,
qua,quæ,f,134,p ſuum,ſuo,p,alium,altum,f,135,f,quantum,quartum,f non,nam,f,137,m,ſint,ſine,f,139,m,redi-
mentum,rudimentum,m,auctoritatem vnita,auctoritate munita,f,140 f,ad ſeptimum eſt ,ad ſeptimum verũ eſt,
f,141,p,ſecus,ſectis,f,144 m,quinto,quarto,f,145,m,inter intra,f,apopthegmatiſat,apothegmatizat,f,146, p,exi-
getur,exiccetur,p,varidas,violas,p,eſſe,eſſe compertum f 148,f,ita,ira,f,149,m,cum cauſa,concauſa,f,150,m, ſub-
tiles,ſubtile,f,151,p,calidus,calidum f, 153 f,capiendum capiend. f, 154, p, [illegible], humoribus,f, coortent, coar-
ctent f,modus,morbus,f,155,m,viuarum,vuarum,f,156,p f,ruinas,vrinas,f,vlnum,vinum f,157,m,terebentiora,
terebintina,f,quia,qua,f,158,natura,natum,f,160,p,m,qua rem,qua te,f 161,p,pretioſum,pretioſus, m, proijcien-
tes,proijciente,m,mentionem,mentiorum f,162,m,lepis,lapis,f,164 m,experimus,experimur,f, retrahentes retra-
hente,f,cantilonis,cantilenis,f,166,p,ſomnis ſomnij f 168,p,dominum,hominum,p,imaginatione, imaginatiua,p,
f,169,p,f,armantis,armanti,f,171,m,ad miſtorum,à miſtorum,f, hac,ac f,172,p,ſordas, ſordidas, f, tantumque.
tantarumque,f,174,m,affingamus,attingamus,m,ſenes,renes,f,176,m,excitant, exiccant,f,177, m vitice,critici,
f,182,p,compluxi,confluxui,m,ſecundum,ſecundo f,185,f,rata,rara,f,186,m,venis,vena,f,187,f,altiorem, albio-
rem,f,188,f,qua,qui f,189,m, non,nam,m,ſpecies,ſpecie,m,f,190,m,orificis,orificis,orificium,f,191,p,ſclano,ſcla-
ni,f,ſanguinis,ſanguis,f,192,m,fit inſita fit vi inſita,f,193,p,Empedocalis,Empedoclis,p,a Mercuriali, Mercuria-
li,f,194,p,conſiderata conſiderato,f,195,f,ex actu,exacta,f,197,m,trutricum,fruticum,f,199,m, ſi quod quod,f,
200 f,caloris,caluities f,201,m,f,202,m,Geno,Zeno f,203,m,fuerunt,fecerunt,f allampoides, allandoides,f, 204,
m,accedamus,audemus,f,205,p,& aduerſo,exaduerſo,f,209,p, adminicula, admiranda, m,Valleſius, Valerius,f,
210,m,& hic,& hic,f,fecerit,fuerit,f,211,p,quos,quas,m,depuratum, deprauatum,f,212, f,contineri, continui,
f,213,m,no,ne,f,214 p,Altimulues,Altlmarus,m,f 217,p,Galenum,Galeno,f,qua n,Gal qua in Gal.f,220,p, au-
thoritates,authoritatis,p,anticidentis,antecedentem,f,221,p,moderatione, immoderatione,f,224,p,facto,pacto, f,
vniuerſali,vniuerſi,f,225,p,obla vt,ob latret,m,ſini,ſiti,f,ſeu ſed,f,229,p,rigui,riguit,p,confutationem,computa-
tionem,f,230,m,ſi,ſit,f,231,p,234,f,alteri,alter f,235,f,multiplicantia,multiplicanda,f,236,p,color,calor,m,ter-
tionarius,tertianarius,m,attendi,accendi f,alenſa,denſa,f,237,m,f,libelli, libello,f,238,f,effuſu, effatu f,239, p,
certam,certamen,f,241,p,ad ſecundum,ad ſecundam,f,aortum,aortam,f,242,m vigant,vigeant,m,exerceri,coer-
ceri,m, calore,colore,f,a pede,pede,f,intemperiem,intemperie,f, 244,m, potu,fotu,245,p, ſcambrionum , ſcammo-
neum,f,246,p,attractio,aſtuatio,p,fertui,fertur,m,deuoratum,deuoratur,f,248,p, ab ea,ad ea,p, peracutum , per
actum.

Copia.

Gli Eccellentissimi Signori Capi dell'Eccelso Consiglio di X. infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori dello Studio di Padoa, come nel libro intitolato Aureæ Lucubrationes in Medica, & Philosophica Theoremata, & composto da Epiffanio Ferdinando Messapienti, per relatione à loro fatta dalli dui à questo deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquisitor, & dal Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia, con giuramento non si troua cosa alcuna contraria alle leggi, & è degno di stampa, concedono licentia, che'l possa essere stampato in questa Città.

Data die 26. Ianuarij 1610.

D. Costantin Renier. }
D. Zuane Marcello. } Capi dell'Eccel. Cons. di X.
D. Lorenzo Gabriel. }

Excelsi Cons. X. Secretarius
Petrus Darduinus.



THEOREMATA MEDICA, ET PHILOSOPHICA, EPIPHANII FERDINANDI MESSAPIENSIS HYDRVNTINI PHILOSOPHI, ET MEDICI.

Libri Primi.

Medicinam multis ſcientijs antecellere, vbi de eius origine, nobilitate, neceſsitate, et vtilitate diſputatur.

Theorema Primum.



T ſi parum vtilis, & neceſſaria præſens huius Theorematis inquiſitio videatur, quippe quæ curioſa potius, quam vtilis prima fronte legentium animis videatur, tamen ne medicinæ tyrones defraudare, quinimo, vt ad eã capeſſendam eorum animos accendere videamur, hanc prius diſceptationẽ proponendam putauimus. Scientiarum igitur præſtantiam, ac nobilitatem ex duobus præcipue fontibus inter cæteros eſſe ſumendam teſtatum nobis poſteris nectareis verbis dereliquit Ariſt. 1. de animaſtica contemplatione contex. 1. ex nobilitate ſubiecti, & ex certitudine demonſtrationis. Quoad primum medicinæ ſubiectum, quod in pręſentiarũ ſupponatur, inferius tamen declarandum, eſt corpus viuens, & humanum præſertim, natura, vel arte ſanabile, huiuſmodi corpus qua ſubſtantia eſt, eaque præſertim animata nobilius eſt ſubiecto Mathematicæ diſciplinæ, quod in genere accidentium venit locandum, ſiue nunc ſit quantitas, ſiue magnitudo, ſiue corpus quantum, ſiue quippiam aliud Euclidi Mathematicorũ principi hoc diſcutiendum relinquo, ſufficiat nunc ea ratione medicinam nobiliorem eſſe Mathematica, qua etiam ratione hoc corpus eſt animatum, nobilius eſt rebus quibuslibet inanimatis, etiam ipſis Cœlis, & per conſequẽs quibuslibet ſubiectis artiũ, vel ſcientiarum inanimatis. Valde igitur nobilis ex hoc 1. capite erit dijudicanda ipſa medicina. Quoad ſecundum caput ex certitudine demonſtrationis, quis eſt qui non videat, hac ratione medicinam quamplurimis ſcientijs eſſe nobiliorem, habet enim medicina ſuas demonſtrationes, propter quid, & quia. Exemplum ſit demonſtrationis propter quid, vbicunque eſt cauſa perfectionis operationum, ibi eſt ſanitas, ſed in corpore viuente, humano præſertim eſt huiuſmodi perfectio, ergo in hoc corpore erit ſanitas, è contra philoſophari eſt demonſtratio quia, ſeu ſigni, quæ ſic conſtruitur, vbicunq; eſt perfectio operationis ibi eſt ſanitas, ſed in tali corpore eſt perfectio operationis, ergo ibi eſt ſanitas. Adhùc de morbo, & cauſa morbi, vbicunq; eſt cauſa læſæ operationis ibi eſt morbus, ſed in corpore ſupradicto eſt cauſa læſę operationis, ergo ibi eſt morbus, hęc eſt demonſtratio a cauſa, demonſtratio ab effectu ſit hæc, vbicunque eſt læſio operationis eſt morbus, ſed in corpore ſupradicto eſt læſio operationis, ergo ibi eſt morbus: Cauſa nãque perfectionis operationum eſt elementorum, ac humorum craſis, & ſymmetria, cauſa verò læſionis operationum eſt earumdem aſymmetria, ſubiectum eſt corpus ſupradictum, paſſiones, ſeu affectiones ſunt ſanitas, & morbus. Idem etiam philoſophandum erit de ſtatu neutro ad aures, mẽtemque Gal. 5. de ſan. tuen. c. 4. nam ſecundum Platonem in Alcibiade, ſeu de voto, & Ariſt. in poſt prædicam. in c. de oppoſitis inter ſanum, & ægrum non datur medium. Amplius ex eod. Hip. 2. Aphoriſ. 22. morbi qui repletione fiunt, inanitione curantur, hoc ſic probatur per demonſtration. ẽNihil fit ſine cauſa, & cauſa remota remouetur effectus, iſtæ ſunt propoſitiones per ſe notæ, ergo remota repletione, quæ erat cauſa ægritudinis, remouebitur ęgritudo, quæ eſt eius effectus. Hic tamen vnũ non eſt ignorandũ in medicina fieri demõſtrationes non omnibus illis conditionibus inſignitas, de quibus cõſcripſit Ariſt. in 1. Poſter. vt ſint ex veris, primis, immediatis, priorib. notioribus, & cauſis cõcluſionis, & quod ſint de omni, per ſe, & quatenus ipſæ, nã huiuſmodi demõſtrationes omniũ Logicorũ, & Philoſophorum conſenſu non reperiuntur in philoſophia naturali, & Mathematica vix certè auſim affirmare, quare

Medicinæ præſtantia ex duobus ſẽſibus præcipue ſumitur ex nobilitate ſubiecti, & ex certitudine demõſtrationis.

Arist.tanquã auctor methodi Logicæ conscripsit verè omnes cõditiones ad ipsam demõstrationem requisitas, cui similem postea nunquam ipse fortassis fabricauit. Eo dicere volumus, quod in medicina sat est, si maior sit vniuersalis, minor non est necesse, & similes demonstrationes, quas nunc fecimus, fecit Arist.in Poster. de eclypsi Lunæ, & de paulatina Lunæ augumentatione, quas tamen Arist, appellat demonstrationes propter quid, & quia, & tamen procedunt in particularibus saltem de minori.

Quid ergo deficit medico pro demonstrationum certitudine? Non ne habet omnia requisita ad ipsam demonstrationem, quæ ex primo Poster, text.2. & text.57. & text.76. & text.179. sunt principia passiones, & subiectum? Subiectum tamen non in particulari, & in indiuiduo, sed in genere, & vniuersali venit intelligendum, vt patet de subiecto philosophiæ naturalis. Nonne Hippocrat. medicinæ, & philosophiæ parens sexcentis in locis suorum monumentorum demonstrationibus est vsus? Vt non possim non magnopere admirari quorundam pseudologicorum, & philosophorum stultam sententiam asserentium, Hip. non conferisse logicam, & philosophiam, cuius farinæ fuere Petrus Aponensis, Plusquam commentator, & Haly, vt non nullos neotericos silentio inuoluam. Nonne Hip. fuit tempore Democriti, cuius vel fuit discipulus, vel, quod potius credo, coætaneus, fuitque parum ante Platonis, & Socratis tempestatem, quinimo nascente Platone, vt nonnulli supputant, Hip. florebat, quo tempore quamplures has supradictas artes pertractarunt, & ante eundem Democritum, & Hip. non ne fuerunt Anaxagoras, Heraclitus, Pythagoras, & Tales, a quorum monumentis Hip. philosophiam haurire poterat. Desinant igitur isti Barbari contra Hip. blaterare, cum vndique, ac omni ex parte, & logicæ, & philosophiæ præcepta sua monumenta redoleant? Adeant quæso hi Aphoris. 14. primæ particulæ, vbi pulcherrima iacet demonstratio, illam conclusionem probans, qui crescunt, plurimo indigent nutrimento ex plurimo calore naturali, ita vt omnes, qui habent plurimum calidi innati, ni morbo corripiantur, plurimo indigeant alimento, sed pueri sunt huiusmodi, ergo, propositiones vtræque adeo sunt veræ, vt sensu, & experientia pateant, quæ est conditio principiorum ex Aristot. in Poster. è contra philosophari est demonstratio quia, scilicet, omnes, qui egent plurimo alimento habent multum calidi innati, sed omnes pueri sunt huiusmodi, ergo, cuius oppositum in senibus ostendit, quia habent parum caloris naturalis.

Et idem Hip. libro de Natur. human. non ne demonstratione est vsus de numero elementorum, & ex resolutione misti nonne demonstratiue quaternarium numerum elementorum collegit? Mitto, quæ solidissimè philosophatur in libro de natur. hominis, de genitura, de natur. fætus, & libro de carnibus, si modo sunt omnes isti libri Hip. Quare vbique locorum sunt celebres demonstrationes apud Hip. Addendum etiam sempiternæ veritatis illud axioma, Contrarijs contraria curantur, & similia similibus conseruantur, sed febris est intemperies calida, & sicca, ergo frigidis, & humidis curanda. Si igitur scimus in medicina res per causas, vt patuit, & certissimæ, & infallaces sunt demonstrationes, vt iure meritò tum ex nobilitate subiecti, tum etiam ex certitudine demonstra-

Ex fine.

tionum veniat concludendum, medicinam cæteris scientijs antecellere. Adde si placet, medicinam ex nobilitate finis cæteris scientijs esse anteponendam, nam cum finis medicinæ sit, vel sanitatis deperditæ recuperatio, vel eiusdem conseruatio, cum igitur de sanitate verba faciat, & circa sanitatem medicina versetur, iure meritò cæteris erit anteponenda, vt ob hanc sanitatem, quam introducere nitimur, Deo proximi fiamus. Vnde rectè Cicero pro Ligario dicebat, homines ad Deos nulla re proprius accedere, quam salutem hominibus dando, id quod etiam confirmauit Stra-

Ex Antiquitate, & origine.

bo libro 10. εὖ γὰρ εἴρηται, καὶ τοῦτο ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν. Si verò medicinæ antiquitatem, & originem spectes, quis illam nobilissimam esse non autumabit? Dicebat namque Agathon, medicam artem veluti, & cæteras artes propter amorem à Dijs esse tributas hominibus à rerum primordijs.

Sed quid Agathonem commemoro, nonne Sacrosancta Scriptura medicinam antiquissimam esse fatetur, nam dicitur Ecclesiastici 38. honora medicum, propter necessitatem creauit eum Altissimus, nam sanitas omnis a Deo est, & Dominus de terra produxit medicinam, & hanc ob id vir sapiens non abhorrebit. Postquam enim Deus creauit Adamum, & Euam, & cum isti, quod Deus præceperat, fuerint transgressi, tunc erat necessum, vt morbos passi fuissent, vnde existimandum Deum propterea præbuisse, atque parauisse ijs modum, quo futuros, imminentesque morbos pellerent, præsentes profligarent, & sanitatem conseruarent. Vt hinc veniat irridendus, & si viueret

Aduersus Argenterium.

castigandus ceruicosus ille Argenterius, negans scientiam medicinæ originem habuisse a Deo, sed cum Aristot. primo Metaphys. & 2. Poster. in calce, & Galeno primo method. duxisse originem ab experientia, quod quidem Aristot. dictum verum esse potest secundum aliquam scientiam experimentalem. Clarum igitur est, scientiam medicinę à diuinitate manasse. tam si Hebręos, & Arabes, quam si Græcos, Aegyptiosque Theologos insectamur. Hebræi Adamum à Deo medicinam accepisse fatentur ex Ficino libro 4. Epist. Apud alios etiam à Dijs inuenta est ex Plinio libro 29. cap. 1. Plenique volunt Isidem Aegyptiorum Reginam, & Mercurium inuentores ex Diodoro, Siculo li-

Isis, Mercurius, & Orus medicinæ inuentores. Apollo.

bro primo Bibliothecę, vbi asserit Orum Isidis filium medicinæ multum vtilitatis attulisse. Hic est ille Isis. de quo Galenus 5. & 6. meth. mentionem facit, & 2. de ar. cur. ad Glauconem, & Paulus lib. 4. cap. 45. & 48. & libro 7. cap. 17. multum commendat Isidis Emplastrum ad atram bilem. Mercurius etiam ex libro 10. Odyssæ, & Plinio lib. 25. cap. 4. multas vtiles herbas vsui medico proficuas adinuenit. Alij Apollinem, vt Agathon in Platonis Symposio, Diodorus, Siculus, Quintilianus libro 3. & Ouidius Metamorphoseos in principio.

Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Idem & Ouid. lib. 3. Faustorum, & Virgilius lib. 12. Aeneidos, & Serenus Samonicus suorum carminum in principio. Sed tribuitur medicinæ inuentio Apollini ex Macrobio lib. 1. Saturnalium, quia temperatus est calor Solis, vel vt Apollonius Thianæus, & Iamblicus, quia medicina à vaticinijs habuit exordium, quorum vaticiniorum Apollo vocatur antistes.

Alij

Alij Arabum faciunt medicinæ inuentorem, qui fuit Apollinis, & Babilonis filius ex Plin. lib. 7. c. 56. Plutarchus libro sympos. Cadmum inuentorem facit, Alij Chironem ex Plin. lib. 7. c. 56. & Paulo libro 4. cap. 46. Alij Aesculapium, ipsumque pingebant cum nodoso baculo medicinæ difficultatem innuentes, hic adeo medicinæ profecit, vt mortuos ad vitam reuocauerit ex Sereno, & ob hanc causam Iuppiter iratus eum fulmine percussit, quamuis multiplex est causa huius mortis ex doctissimorum virorum sententia. Ipsi gallus sacrificatur, vt de Socrate moriente patet, vel vt honorarent patrem Apollinem, vel ex quibusdam Platonicis, quia est diei, Solisque nuntius. Sed quid pluribus verbis est opus de medicinæ origine, & nobilitate, cum ex hoc præcipuo capite eius nobilitas dignoscatur, cum quamplures Sancti medici fuerint. Nonne Moses a D. Chrys. medicus vocatur? Sanctus Lucas nonne medicinam exercuit ad Colossenses 4. vt quamplures alios, recentiores omittā ne in immensum nostra excrescat oratio. Quot Reges, & Imperatores medicinam excoluere, quot Pōtifices, & Poetæ, qui per extensum a Tiraquello enumerantur. Si circa necessitatem, vtilitatem, professores, & medicorum honores nostra versetur oratio, quis illam nobilissimam, ac dignissimā non animaduertet? Necessaria namque est nostra medicina, nam a Deo est, Deus autem non deficit in necessarijs. Deinde cum sint morbi, ipsa quoque erit necessaria, nam ipsa natura non potest per se cunctos superare morbos. Ex his etiam vnicuique patere arbitror, quantum humano generi hæc nostra medicina vtilis est. Si de honoribus, & inuentoribus medicinæ pauca prælibauero, vel hoc vno argumento medicinam cæteris scientijs præstare apud omnes est in confesso. Principibus, Regibus, Imperatoribus, & Pontificibus imperant, ijsdemque sunt gratiosi, in summo honore semper habentur, & ijs tamquam Dijs acclamatur, omnes scire cupiunt medicinæ arcana, adeo sanitas omnibus grata, & iucunda videtur, vt non immeritò Pyrrhus Epirotarum Rex a Dijs hanc semper acclamabat, hac enim præsente omnia sibi affutura bona cogitabat, de qua Antiphronis Sicyonici carmē extat.

Arabus. *Aesculap.* *Gallus cur Aesculap.* *S. Medici.* *Medicinæ necessitas, et honores.*

O qua nec altera vetustior est cælitum,
O vna cunctis expetita sanitas,
Quodcunque reliquum est vitæ, tecum vtinam
Agam, & vna oranium contubernalis sit mihi
Quicunque enim fortunis fruitur, aut liberis,
Aut est aliter obnoxius voluptæ,
Te vna fauente cuncta habet propitia,
Afflant & illum charitas, & si media hyems
Rigeat, tamen cur illi flosculos parit.
Absente te sunt cuncta dura, & aspera
Nec grata prorsus cætera est fælicitas
Quin esse plane desinit fælicitas.

Sed quid tandem pluribus verbis est opus? Si fructus ex scientijs exquiritur intelligemus haud sine quæstu medicinæ professores laudem sibi, & amicos parauisse, Hippocrati Abderas ad liberandum Democritum properanti, non viri modo Abderitæ, sed mulieres, pueri, omnisque sexus, ætatis, & conditionis homines obuiam processerunt, ipsum tutelaris Dei, & patris patriæ nomine communi, & clara, altaque voce dignati. Et Athenienses, quia Græciam a peste liberasset ludos in eius honorem triumphali pompa celebrarunt, capiti coronam mille aureos pendentem tanquam Regi magnificè imposuerunt, statuamque in perpetuum pietatis, & doctrinæ monumentum ipsi construendam curarunt. Erasistratus teste Plin. lib. 29. Arist. ex filia nepos centū auri talenta a Ptolomæo Rege cum ipsius filium sanitati restituisset, vltro oblata accepit. Antonium Musam Augustus Imperator aurea statua donauit. Quintus Stortinius quotannis ex Imperatoris Fischo 12. aureorum millia supra quingentos capiebat. Tempòrum recenter præteritorum memoria Petrus de Apono, Conciliator dictus rerum magicarum gloria sic per vniuersam Italiam florebat, vt nemo eum, qui modo aliquo in numero esset, ægrotus nisi persolutis in singulos dies quinquaginta aureis peregre ab vrbe ad se reuocaret, qui ad Io. 22. Summum Pontificem curandum profectus quadringentos pro quoque die aureos reportauit. Sed nimis in longum nostra protraheretur oratio si alias historias recensebimus, de quibus consulendus Tiraquellus de nobilitate Scientiarum, & Mattiolus in præfatione super Dioscoridem, finem igitur cum Homero Iliados Λ. faciamus

Medicinæ fructus.

ἰητὴρ γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Est medicus vnus vir multis anteferendus.

Quid alij senserint.

Sed aduersus supra iactam sententiam multa sunt, pugnant enim multi Artifices, & Metaphysicus, Physicus, Mathematicus, Legista, & Militaris, primo Metaphysicus arguit ex nobilitate subiecti, ipsam esse cæteris scientiis humanis nobiliorem, namque de Deo, & intelligentijs considerat, quæ sunt nobilissima entia, secundo Physicus etiam tractat de corpore naturali in vniuersali; sed vniuersale est honoratum primo Poster. 183. ergo.

Tertio, Mathematicus obijcit ex maxima certitudine, quam habet ex demonstrationibus, sunt enim demonstrationes Mathematicæ, in primo gradu, seu ordine certitudinis ex Auer. 2. meth. text. 61.

Quarto, etiam arguit Legista, nam versatur circa animam bonis moribus imbuendam, sed medicina circa sanitatem corporis, & quo nobilior est anima corpore, eo nobilior lex medicina.

Quinto Militaris argumentatur, nam omni tēpore est necessaria militia, ergo satis nobilis Sexto

Plin.etiam inquit lib.29. c. primo Romanos olim per ſexcentos annos medicos ab vrbe expuliſſe, aliaſque artes recepiſſe,& contra artificibus præmia impoſuiſſe. Septimo, Ariſt.1.ethic.c.vltim.nobis cõtradicit,vbi clariſſimis verbis inquit,politicum meliorem eſſe medico. Octauo,Medici inſpiciunt,& tractant vrinas,ſtercus,ſputa,menſtrua,ſudores, ſaniem, vomitu res eiectas, quæ ſunt ſordidiſſima,vnde medici σκατοφάγοι vocantur,& eſt in adagio, ſtercus, & vrina ſunt medicorum fercula prima,vnde recte decantauit Ariſtophanes in Pluto.

Γυ. λέγεις ἄγροικον ἄρα σύ γ' εἶναι τὸν θεόν
Καρ. Μὰ δί' οὐκ ἔγων' ἀλλὰ σκατοφάγον
Igitur aggreſtem tu mihi narras Deum
Non per Iouem, ſed Scatophagum.

Quo loci poeta medicos intelligit. Vtuntur etiam medici ex Dioſcoride lib.2.c.72.& 73.fimo,& vrina,& ſtercore ex Gal.lib.10.de ſimplic.med.facultatibus,ex Plin.lib.28.c.4.& cap.10. vtuntur ſtercoribus,vt canis,hominis,& hirundinum ad anginam,ſtercore gallinæ ad venena per vomitũ educenda ex Conciliatore lib.de venenis cap.4.ſtercore canis ad conſtringendum ventrem ex Alberto Magno lib.22.de animalibus ſtercore lupi ad colicam apud Aetium ſermone 9.c.31. ſemine virili, quod poſt coitum ex vtero deciderit ad ſtrumas auctoritate Xenocratis ſcripſit Galen. vtuntur etiã menſtruis,ſordibus,ſudoribus locis ſupra citatis,de menſtruis Plin.lib.28.c.7.Theodorus Priſcianus lib.4.phyſicæ c.1.de ſordibus,aurium Plin.lib.28.c.4. de ſordibus pecudum idem lib.30. cap.12. de vrinis hominum lib.28.cap.6.& ob id faſſus fuerit Hip.lib.de flatibus,medicinam eſſe artem ſordidam. Nono,non eſt vtilis, & neceſſaria medicina, nam Deuteronomij cap.7. aufert Dominus a te omnem languorem,& infirmitates,& Iob cap.5. ipſe vulnerat,& medetur,& Sapientiæ c.3.etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia,tu Domine mortis,& vitæ habes poteſtatem,& 2.Paralipom.c.16.Aſam Regem reprehendit, quod ægrotus in medicorum arte eſſet confiſus,& Ieremiæ cap.46.fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi. Diua etiam Agatha gloriabatur nunquã in vita ſua pharmaca corpori admouiſſe,& in Euangelio S. Marci, mulier illa omnem ſubſtantiam in medicos erogauerat, nec quidquam profecerat. Decimo, ſuperuacanea eſt ipſa medicina, nam ſtat ſua vniciuque dies, & ſexto Aeneidos Virgilius canebat,

Diſcedam explebo numerum, reddarque tenebris.

Et illud Iob cap.14. Conſtituiſti terminos, qui præteriri non poſſunt,& Sapientiæ cap.7. omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti, & Eccleſiaſtici cap.17. de hominis creatione loquens, numerum,ait,dierum,& tempus dedi illi, quare nec vtilis, nec neceſſaria, ſed ſuperflua eſt medicina. Vndecimo, incerta quoque eſt hæc medicina ob multas cauſas, primo ratione quantitatis medicamentorum ex Galeno libro de ſang.miſſione cap.12.& 3.meth. medendi cap.3. quantitas medicamenti non poteſt ſcribi,nec intelligi,petendo ratione dignotionis affectuum præter naturam. Nonne Hip.in futuris ſe decepit,fuit autem illuſtris error,nam confeſſus, & Galenus lib.2. de locis affectis cap.5. ſe met ipſum decepit,cogitans eſſe nephriticum, cum colicus fuerit dolor, tertio ratione temporis,primo Aphoriſ.1. primo de arte cur.ad Glauconem cap.1. quarto ob actionem variè medicantium ex libro de optima ſecta ad Traſybulum cap.4. nam qui bene operatur minus habet coniecturæ. Tandem pro coronide addatur,medicina eſt ars in 1.Aphoriſ.1.& ſexcentis in locis,ergo non excellit alias ſcientias.

Solutiones argumentorum.

Sed breuiter his omnibus ſatisfaciamus. Ad primum,concedatur metaphyſicã eſſe medicina nobiliorem,nam ipſa eſt Theologia humana,vltro enim concedimus hac medicinam eſſe inferiorem, nec noſtrum Theorema eſt vniuerſaliter prolatum. Ad 2.dicatur, vel eandem eſſe medicinam, ac phyſiologiam naturalem,vt infra dicetur,vel ſi quid diſcriminis reperitur pari paſſu ambulare,tum ratione ſubiecti,tum ratione demonſtrationum,quamuis prima reſponſio maxime mihi arridet. Ad 3.de Mathematicis reſpondetur,non ſuperari medicinam ab illis, nam ſi mathematicæ diſciplinæ ratione certitudinis demonſtrationis præcederent medicinæ, tamen medicina ratione nobilitatis ſubiecti illi anteponitur,cum Mathematicæ ſubiectum ſit accidens.Ad 4. de legibus dicendum, illas eſſe artes,medicinam verò eſſe ſcientiam,vt infra patebit, nam leges ſunt menſuræ, & dependent a voluntate principis,nec earum principium eſt in re ex Ariſt.6.ethic. ſed in principibus, quare non ſunt ſcientiæ,& ſi aliquantùlum circa animam legiſta verſatur,tamen ſcientificam tractationem non facit, ergo ratione rei tractatæ nobilior poterit dici lex ipſa medicina, non ratione modi tractandi,vel dicendum eandem eſſe medicinam cum phyſica,vt infra dicetur,& pulchrè ait Valletius lib.de ſacra Theologia c.74.medicis ex accidenti ineſſe laborem corporalem, cũ ægri ob debilitatem ad nos venire non poſſint.Qui plura de comparatione inter medicinam, & legem videre cupit,legat Battholomæum Chaſſaneum in catalogo gloriæ mundi in decima par.in 25.conſideratione,& Berardinum medicum Florentinum,nam hi medicinam legi anteponunt,cuius cõtrariam fecit Collutius Pierus,Petrus tamen Charmenſis vtramque parem fecit. Sed,vt aiunt, hæc videtur eſſe queſtio de lana caprina.Ad 5.patet reſponſio,nam medicina eſt ſcientia,militia verò reponitur inter artes mtlitares.Ad 6.duplicẽ reſponſionem,altera eſt Romanos expulſiſſe medicos imperitos & indoctos,empiricoſque,non autẽ elegantes,& doctos,& quamuis ſunt multæ nationes, quæ non vtuntur medicina,tamen ex Hip.lib.de veteri arte adhuc medicina vtuntur,& aiunt nonnulli, Romanos tẽpore illo fuiſſe vſos braſſica nunc minus,nunc magis incocta ad ſoluendum,vel conſtipandum ventrem,& habet Gal.2.de alim.fac.c.44.Altera reſponſio ſit,falſam eſſe Plinij hiſt. facta cõputatione annorum ex eo tempore,quo venit Romam Archagatus medicus,qui honorificentiſſimè receptus eſt teſte eod.Plin.in quo ſi Leoniceno credimus,quot ſunt capita,tot ſunt errores.

Ad

Ad 7.respondetur, Arist. per politicum ibi intellexisse virum multis scientijs ornatum, eũque præsertim, qui ἐγκυκλοπαιδείαν habet, & hunc iure merito dixit esse medico meliorem, qui enim ciuitates gubernat multa scire debet, vel dicendum, Arist. respexisse ad finem medicorum extrinsecũ, qui est mederi. Ad 8. tãtum abest, vt medicorum laudi obsit, sordida illa tractare, ac inspicere, vt vel isto nomine ipsi pręcipue sint laudandi, qui vt hominum calamitatibus, miserijs, cruciatibus, doloribus, & denique motibus opem ferant, ex eorum illa sublimitate, se ad hæc vtilia conuertunt. Quinimo Archigenes apud Gal. lib. 2. de compos. medicam. secundum locos c. 2. humanum stercus tanquam ab cominandum detestatur, & Gal. 6. eiusdem operis c. 3. miratur Apollonium vsum Asini lotio ad inflammatam columellam, nam sunt quidam homines, qui potius mori vellent, quam huiusmodi medicamentis vtantur. Idem 10. de simplic. medic. fac. c. de humana vrina abominatur vrinam degustare, & idem de stercore dicit, & subiungit. Quæ omnia optimus medicus ignorare non debet, cæterum potiora sunt eligenda præsertim ad vrbanos, honoratos, & alicuius existimationis vitos, in quibus vti non debemus huiusmodi medicamentis, attamen existit horũ aliqualis vsus, vel in itinere, vel venatione, vel ruri, cum meliorem nihil affuerit, aut homo rusticus perinde fuerit duræ carnis, ac asinus. Ad Aristophanem dicatur poeticè fuisse locutum, & per iocum. Ad 9. dicendum verè Deum Opt. Max. sanare omnia, sed ipsum secundis gaudere causis non est cur sit negandũ, vt sunt medici, & medicamenta, & S. Antoninus Florentinus in 3. par. summæ dicebat, quod si quis medicinæ indigens ea non vtatur, expectans a Deo sanitatem grauiter peccat, nempe Deum ipsum tentãs nisi super ea habuerit diuinam reuelationem, vt D. Agatha. Idem fatetur D. Th. 22. q. 97. ar. 1. Quare non sunt medici paruipendendi, nam si quis ad Deum confugiens, curationẽ paruipedat peccaret ob imprudenriam in ipsum Deum, qui post ei rogatas preces iubet locum dare medico, quia ipse creauit eum propter necessitatem, ergo falsa fortassis pietatis specie incidis in impietatem; paruipendens illius opera, si vero quis precibus derelictis, totum se medicinæ, medicisque dedat, ijsque confidat, grauius peccabit, & ob id Asa Rex nunquam sanitatem recuperauit, quia tantum medicis confisus est, & mulier illa in Euangelio S. Marci, vel sanitatem nunquã recuperauit, quia tantum medicis confisa erat, vel vt gloria Dei manifestaretur. Ad 10. certè medicina non est superuacanea, nam licet iussu Dei dictum sit Ezechiæ 4. Reg. 20. dispone domui tuæ, quia morieris, ope tamẽ orationis Deo factæ, & opera medicinæ vixit annos quindecim, nã dixit Isaias, auferte massam ficorũ quam cum attulissent, & posuissent super vlcus eius, sanatus est. Gal. etiã noster 1. de sanit. tue. conscripsit, quamplurimos medicinæ ignoratione otyus mori, quam ferat naturæ ratio, & lib. de marasmo senectutem extendere non esse impossibile dixit. Mitto quæ Petrus de Apono diff. 113. Ad 11. dicendum, medicinam in se quatenus est habitus scientificus, & demonstratiuus acquisitus ex veris principijs, vt supra dictum, & infra dicetur, esse veram, & minimè coniecturalem, cũ constet ex veris, & sensatis, si verò consideramus medicinam ratione medicamentorum, & ratione subiecti, & ratione aliorum in argumento adductorum, esse quoquo modo incertam, nam dicebat Gal. 3. meth. c. 7. Si ego vniuscuiusque naturam scirem, qualem Aesculapium mente concipio, talem me esse putarem, sunt enim quædam ἰδιοσυγκρισίαι ἀπόρρυται. i. sunt quædam conditiones indiuiduantes, indicibiles, & arcanæ. In se tamen est certissima, & 9. de Hip. & Plat. placitis dicebat Gal. medicinam esse physica certiorem, & 2. art. med. cap. 8. medicus est artifex sensatus, idem etiam de optima secta ad Trasybulum cap. 4. si quando artifices errant, non arti, sed illorum vitio erit imputandũ, non enim est scientiæ, sed scientis defectus, vt rectè dixerit Plin. lib. 7. cap. 15. Nemo certe mortalium omnibus horis sapit, & Horatius.

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Et Galenus 3. prognost. com. 41. dicebat, nunquam errare supra captum esse humanum, sed in paruis errare humanum est, & diuinissimus Plato dicebat, μὴ ἁμαρτάνειν ἐν πολλοῖς ἄνθρωπον ὄντα ἀδυνατόν ἐστι. Quare ipsa medicina in se non est incerta, difficillima tamen est dijudicanda ex Hip. libro de locis in homine, ob varias, quas habent omnes homines temperaturas, quæ varias quoque expetunt curationes. Ad vltimum quid sit dicendum sequenti theoremate enucleabitur, nunc primi sic finis esto.

De Medicinæ genere an sit scientia an ars, an aliud.

Theorema II.



Larissimum esse vnicuique arbitror, ex illis quinque animi habitibus, quos magnum naturæ miraculum Aristl. lib. 6. ethic. c. 4. recenset, medicinam non esse intelligentiam, cum hæc circa principiorum, seu axiomatum, & dignitatum cognitionẽ versetur, non esse sapientiã, hæc enim altissimarum causarũ contemplationẽ inuestigat, vt non immeritò Hipp. primus quidẽ ex hominum memoria dignus, teste Celso in præfat. primi libri medicinã a studio sapientię separauerit, licet perperam Argenterius reprehendat Celsum, nã non videtur distinguere Argenterius inter sapiẽtiam, & naturalem philosophiam. Clarum quoque est medicinam non esse prudentiam, cum hæc sit habitus agibilium. Tota igitur difficultas est, an sit ars, an scientia, & licet quandoque confundantur artes, & scientiæ apud Arist. & Galenum, & Auer. sexcentis in locis, tamen nos intelligimus in nostro theoremate de vera scientia, quæ sit habitus acquisitus ex conclusione demonstrationis pariens scientiam, quæ habeat subiectum principia, & passiones, & quod sit de necessarijs, veris, & cæt. de hac reuocatur in dubiũ, an medicina sit scientia, necne. Sed quoniam ea in re varios in varias abijsse sententias conspicio, breuibusque nostra sit dissertio, exponamus, ne in his multũ conteramus temporis, cum ad vtiliora transire sit nobis in animo firmũ. Prius igitur auctoritate patet, medicinam esse scientiam, Arist. lib. 5. metaphys. tex. 20. medicinæ genus inquit esse scientiam, Plu-

Medicina non est intelligentia.

Non sapientia.

Non Prudentia.

Auctoritatibus & rationib. probatur, medicinam esse scientiã. Argenterij lapsus.

tarchus in vita Homeri medicinam esse sciẽtiam aperto ore fatetur, Gal. lib. qui curatur medicus c. 5, & Auic. lib. 1. in principio idem affirmant. Vnde miror Argenterium fuisse hallucinatum, vt dixerit, omnes sapientiores medicinam artem esse posuisse. Sed quæso dimittantur auctoritates, cum quisque sexcẽtas in suæ opinionis patrocinium in medium afferat, dimitemus parumper rationes, a quibus fortius sumitur argumentum. Ex conditionibus igitur scientiæ, de quibus Arist. in analyticis, & 6. metaphys. & 6. ethic. medicinã scientiã esse apparebit. Scientia igitur habet illa tria, principia, passiones, & subiectũ, quod debet esse æternum, scientia est de æternis, necessarijs, & non potentibus aliter se habere, in scientia fiunt demonstrationes, ex quarũ conclusione acquiritur sciẽtia, quę procedit per causam, & eã proximã, & non remotã, quæ omnia sunt in medicina, nã hæc habet illa tria, vt sup. vidimus in 1. theor. in medicina ẽt fiunt demonstrationes, vt sup. medicina habet subiectũ æternum in specie saltẽ, scilicet corpus viuens, & humanũ præsertim, habet passiones æternas in spetie scilicet sanitatẽ, & morbum, neutrumque statum, medicina etiam procedit a causis, atque cognoscit per causam, eamque propinquam, nec per causam remotã, vt optimè dixit mundi illa glo-

Pici laus.

riosa Phænix nunquam satis laudatus Ioannes Picus Mirandulanus lib. 2. contra Astrologos cap. 3. assignans differentiam inter Astrologum, & medicum, hunc per causam propinquam, & proximã, illum per remotam, & vniuersalem procedentem. Quare medicina ex his omnibus erit necessario dicenda, & tenenda scientia. His adde non infirmã rationem, nam ex Arist. 6. metaphys. contex. 1. & 6. ethic. c. 4. inter artem, & scientiam discrimen extat, nam artis principiũ est in artifice, vnde ars est in generatione, & productione, & nostro arbitratu constat, & pendet, principium verò scientiæ est in rebus, & in ipsa natura, modo ad rẽ, principiũ sanitatis non est in medicis, sed in natura, per medicinæ principium sanitatem intelligo, quem primo medicus intendit, dum ad opus descendit, licet executione sit vltima, quod enim vt dicitur, est primum in intentione, est vltimum in executione, quare principiũ sanitatis primo, & per se non est in medico, sed in natura, hæc enim est medicatrix morborum, medicus verò minister ex Hip. 6. epidem. com. 5. tex. 1. & 3. ar. medic. com. 29. quare medicina hac ratione non erit ars, sed sciẽtia. Nec ob id medicina est frustatoria, nã medicus quandoque corrigit naturæ motum, quandoque torpidum excitat. Dein si esset ars vsu, & consuetudine, & operatione acquireretur, sed nos videmus maximis laboribus, indefessis vigilijs, ac assiduis studijs

Quæ scientia sit medicina disceptitur.

acquiri, quare neutiquam erit ars, sed scientia putanda. Sed dices, quæ scientia erit? Nam Aristot. 6. metaphys. contex. .. in tres partes diuisit scientias, in Metaphysicam, Mathematicã, & Philosophiam naturalem. Certum est, medicinam non esse mathematicam, nec metaphysicam, ergo remanet, vel esse physicam, vel esse ab hac disiunctam. Sed videtur quidem prima fronte dicendum, physicã esse separatam à medicina, nam illæ sunt scientiæ separatæ, & distinctæ, quarum fines sunt distincti, sed physica, & medicina habent fines distinctos ex Arist. lib. de sensu, & sensili c. 1. vbi distinguit medicinã a philosophia naturali, dicit enim ad naturalẽ pertinere tractare de causis sanitatis, & morbi, non autẽ de alijs omnibus, quæ medicina docet, nã vbi desinit physicus, ibi incipit medicus, nã philosophus naturalis considerare videtur sanitatem in genere, non autem hominis sanitatem, quã solum medicus considerat.

Medicina, vel physica tota est, vel eius pars, & sub ipsa continetur.

Sed contra sentiendum, & dicendum secundum rei veritatem medicinam non esse separatam, atque distinctam a naturali, & esse eandem scientiam, & Arist. loco citato sub naturali comprehensisse ipsam medicinam, nec est opinio noua, nam ad hanc opinionẽ accessit Toletus in præfatione ad Arist. logicam, & Pererius lib. 2. de natur. philosophia totam physicam facit ipsam medicinam. His adde Galeni auctoritatem lib. 2. de anatom. administr. c. 2. vbi inquit philosophum, & medicum agere de anatome hominis, & reliquorum animalium, tanquam de eadẽ materia communi, vterque etiam tam medicus, quam philosophus tractant de respiratione, de causis vitæ, & mortis, de sensibus, de motu corporis, de elementis, tẽperamentis, mistione, & id genus alijs Arist. etiã in problematib. conscripsit multa de excrementis, vt de sudore, de cibo, potu, & c. de quibus Hip. & Gal. Quare medici, & philosophi in hoc conueniunt scilicet in re tractata, differunt tamen accidentaliter, quia medicus postea magis ad particularia descendit, quod adeo non facit physicus, & si medicus nollet ad hæc particularia descendere scientificus, & physicus diceretur, vt probat Auic. lib. 1. in principio. Vnde vulgus physicos appellat medicos, & ideò rectè fecit Plin. & ad hanc nostram sententiam accessit, qui conscripsit triginta septem libros naturalis historiæ, vbi cuncta miscuit, & morborũ curationes, & res naturales. Vt ob id rectè mea sententia senserint illi, qui

Obiectio.

medicinam philosophiæ non subalternant, vt Saluus Sclanus 1. artis medic. & Pererius lib. 2. de naturali philosophia c. 4. Sed hic dices, ante quam ad Arist. auctoritatem respondeamus, videtur oppositum, nam diuersis principijs probat vnam conclusionẽ medicus, & physicus, ergo medicina non est eadem cum physica, vel illius pars, nam Hip. lib. de natur. humana com. 5. probat alio medio dari plura elementa in corpore, & alio medio Arist. Hip. probat corpus constare ex quatuor elemẽtis

Solutio.

ex dolore, excretionibus humorum, & ex diuersis morbis, Aristot. ex mutatione, & alteratione. Sed hoc non facit ad rem, nam quemadmodum vni, eidemque domui possunt esse plures viæ, ita, & medicinæ, & philosophiæ, quæ vnum faciunt, sunt plures modi dicendi. Hip. voluit illam viam accipere, quia magis deseruiebat ad operationem medicam, quinimo ipsemet Hip. in eodem lib. sumpsit eandem viam a transmutatione, quam viam Arist. ab ipso Hip. mutuatus est, quemadmodũ, & alia seruata, vt in præfatione ad lectores diximus. Verum vt directè ad Arist. auctoritatem lib. de sensu, & sens. respondeamus, sciendum est, duplicem esse finem constitutum physico, & medico, alterum essentialem, primarium, præcipuumque, & alterum accidentalem & secundariũ: primus finis medici, & philosophi est speculari, & scire, & circa theorias rerum versari, quod Gal. expressit libro de arte gymnast. c. 30. & 2. de anatom. administrat. c. 2. in hac fine conueniũt medicus, & philosophus, & ob hunc finem eadem est medicina & physica, secundus finis accidentalis, & accessorius ex operari, & descendere magis ad particularia, vt admittere præsidia, vt circa singularia versari, & labores corporales substinere, hic autem finis magis ad medicum, quam ad naturalem spectat, nam etiam Arist. in libris de animalibus quandoque, sed rarenter ad particularia descendit, & quandoque ad aliquorum morborum curationem, & secundum hũc finem differunt medicus, & philosophus, suf-

ficit

ficit tamen,quod in illo primo fine conueniant,& in secundo differant,accidentaliter tamē,& hoc expresse ex Galeno colligimus loco supracitato,quod Philosophus,& Medicus circa rerum cognitionem versantur,medicus tamen habet hoc aliud,vt se in particularibus exerceat,& verba formalia sunt,Philosophus,& Medicus versantur circa sectiones corporum, sed Philosophus, quia scire tantum amat,hoc facit sola speculationis gratia, & vt in singulis naturæ artificium admiretur, medicus verò,vt cognita partium formatione, situ, actione, &c. Melius possit affectus dignoscere, & melius quando oportuerit operari. Ecce quomodo medico,etiam proponitur cognitio, veluti, & Philosopho, verum præter hanc medicus, etiam ad particularia descendit. Vnde hanc tenendo sententiam non incidemus in Manardi sententiam,asserentis Philosophiam,tantum ad ornatū vtilem esse Medicinæ, quam sententiam optimè Argenterius euertit, quamuis gratis illam Selanus defendere nitatur. Hanc duplicis finis acceptionem sequentes,facile possumus illud Arist.dictum quod varias habet explicationes,interpretari,vbi scilicet desinit Physicus, ibi incipit medicus,Physicus desinit in cognitione particularium,à quibus postea incipit medicus, quare ex conclusionibus physicis medicus incipit;nā physici est quadantenus de sanitate,& morbo pertractare,idest secūdū vniuersalia principia,medicus autē magis particulariter,& sigillatim de sanitate, & morbo pertractat.Sufficit ergo in fine essentiali,quod cōueniant,in accidentali verò differant.Nō inde,quia medicus operatur; ideo medicina non erit scientia: nam per accidens concurrit ad hoc opus. Constat ergo hucusque medicinam esse scientiam,habitumque demonstratiuum,& esse eandem cum Phisica,& sub ipsa contineri. Sed adest hic nodus;nam Gal.primo,de ratione vic.in morb.acut.com.3. dicebat,Curationem per se à medicis exerceri,cognitionem autem propter curationem,quare Galenus est manifestè nobis oppositus,& Auer.etiam 2.Metaph.text.3. dicebat,medicinam non perscrutari de causis rerum,& de diffinitionibus eorum,nisi vt scientes eam agant,& non vt sciāt. Dicendum,nec Galenum,nec Auer.esse contra nostram sententiam;nam Galenus loco citato duo cōsiderauit curationem affectus præter naturam,& cognitionem illius,hæc duo ita sunt affecta, vt nō possimus rectè curare id quod est præter naturam,nisi illud præcognoscamus; nam loco citato dicebat, oportet medicum prius cognoscere morbum,deinde eius curationem aggredi, quare cū descendit medicus ad particularia; primò,quod intendit,inquit ibi Galenus est curatio,propter quam est cognitio,& prænotio,sic Galenus,& Auer. explicantur. Sed est alia non contemnenda difficultas contra nostram iactam prius sentētiam; nam idem Galenus primo artis med.com.7. habet, medicinam esse scientiam communiter dictam,& ergo non propriè. Nisi esset, vt inquiunt Conciliator, & Turisanus per Ly. communiter Galenum intelligere demōstrationem propter quid,& quia, sed hæc responsio quamplurimis non probatur; ideo melius est si dixerimus,illā diffinitionem non esse ad mentem Galeni; nam teste eodem Galeno illa fuit Herophili, quam diffinitionem honoris gratia Gal.non impugnauit. Ex dictis sciant omnes,Argenterium toto cœlo errasse, qui post multas, variasque doctissimorum virorum opiniones impugnatas,tandem confugit ad hanc sententiā, medicinam, scilicet non esse re vera,aliud nisi facultatem compositam ex arte,& scientia, quæ quidem opinio gratis ab ipso affertur,& veluti noua: ita falsa; nam facultas,vel est genus propinquū, vel remotum,non propinquum,& intrinsecum; nam hoc nomen facultas est vocabulum largum, & possunt omnes artes, & scientiæ, hoc nomine honestari, secundum quam significationem Arist. primò,de Morbus cap.1. dixit,omnes artes, & scientias posse vocari facultates, cum secundū eundem Arist.cognitio artium,& scientiarum potentem reddant animum, idest aptum ad aliquid contemplandum,vel agendum,vel efficiendum, vt scientia naturalis dicitur facultas, quatenus qui ea præditus est facultatem adeptus sit cōtemplandi res naturales,quare cum non sit genus propinquū, venit à medicina excludendum,cum nos quæramus genus propinquum,& intrinsecum medicinæ; Si est remotum habeo intentum; Si dixeris facultatis nomen pro Argenterio esse stricto modo sumendum,tunc contra; nam secundum Aristot.in libris de Rhetorica, & secūdum Aphrodisæum in præfatione primi Topic. hoc nomen facultatis tantum duabus disciplinis conuenit, Rhetoricæ, & Dialecticæ, quia hæ docent ad vtramque partem disputare, quæ est conditio facultatis presse sumptæ, vt æquè vtrumque contrarium recipiat. Deinde credendum est aduersus Argenterium,Arist. sufficientem fecisse distinctionem habituum in 6.Ethic.cap.4.sub aliquo quorum necesse est,vt contineatur medicina, & supra probauimus non posse, nisi in genere scientiæ collocari, & contineri, & scientia est,& non facultas. Nec dicendum est mancam fuisse diuisionem,ac insufficientem. Maneat ergo firma nostra sententia, medicinam esse scientiam.

Manardi sentētia de Philosophia.

Quomodo Arist.illud dictum sit intelligendū, vbi desinit physicus,ibi incipit medicus.

Difficultas.

Solutio.

Alia difficultas.

Solutio.

Argenterius cōuellitur.

Quid alij senserint.

HIppocrates prius dixit,medicinam esse artē in libro de ratione victus in morbis acutis in principio,libro de vet.arte,libro de lege,& primo Aphor.& 6.epidom.com.5.Plato etiam lib.16. Ciuilis,vel de Regno habet,medicinam esse artem curandi corpora,vel purgando,vel extenuādo, vel replendo,vel secando,vel vtendo corpus ex deteriori habitudine ad meliorem reducendo, & hanc,inquit,esse rectam medicinæ diffinitionem, Galenus noster sexcentis in locis, & præcipuè libro de constitu.ar.med.& lib.8.de plac.Hipp.& Platonis,cap.3.& primo Aphor. Ammonius in capite de Qualitate, & Eustratius libro 1. Ethic.Auer.primo collig.& libro 7.& expresse Galenus lib. de constitut.ar.med.cap.2.inquit quatuor esse species artis, speculatiuam,actiuam,factiuam,& possessiuam,speculatiua,vt Geometria,Astronomia, Philosophia, factiua, vt medicina. Hugo etiam referente Io.Francisco Pico libro 3.de rerum prænot. cap.4. enumerat medicinam inter septem artes liberales. Sed dimittamus authoritates,& afferamus rationes; Primò ars est habitus recta ratione factiuus ex Arist.6.Eth.cap.4. sed medicina est huiusmodi, ergo,minor patet; nam medicina facit sanitatem; Secundò, finis artis est facere,& operari, sed medicina est huiusmodi,ergo; Tertiò, ars est de corruptibilibus, scientia è contra,sed medicina versatur, maximè circa corruptibilia,

ergo, nam Arist. primo Ethic. cap. 6. dicebat medicum curare hominem non in vniuersali, sed Socratem, & Calliam. Quartò, & est argumentum Argenterij; nam medicina non semper demonstrat; nec est habitus demonstratiuus, ergo non est scientia. Quintò, non habet principia, seu dignitates certo numero determinatas, vt est Mathematica, ergo non est scientia. Sextò, medicina non habet certum subiectum, de quo probat omnes passiones; nam multa probantur, quæ corpori humano non conueniunt. Septimò ex Zabarella libro 2. de nat. Logic. cap. 4. tota medicina, non modo vlla eius pars, in qua de elementis, humoribus, partibus corporis, earumque natura, nõ est scientia; nam non tractantur, inquit ipse, gratia scientiæ; sed operationis, scilicet, vt corporis sanitatem, vel conseruare, vel recuperare valeamus, idem etiam confirmauit Valletiola lib. 4. enar. 10. Octauò, ex eodem Zabarella, quomodocumque sumatur medicina, etiam si sciendi gratia conscripta esse videatur, scientia dici nõ potest: quia primas causas non declarat, quibus ignoratis aliæ propinquiores bene cognosci non possunt, ad primam enim materiam medicus non peruenit, neque fortassis, inquit primam formam cognoscit. Hæ sunt auctoritates, & rationes, quæ nostram sententiã euertere possent. Verum adhæc, ad argumenta ex auctoritate ducta dicimus, Hippocratem largo vocabulo vocasse medicinam artem, cõmuniter etiam Metaphysica solet vocari ars ab Arist. & Auerroe. Hoc etiam modo intelligitur Plato, & quod hoc sit verum patet ex verbis eiusdem Platonis paulò supra, nam inquit, Medicina eius, quod curat scit reddere rationem, & causam, quæ sunt sciẽtiæ conditiones. Sic Galenum intelligimus in omnibus locis, & ad illum de constitut. ar. medic. dicatur, Galenum ibi separasse medicinam à naturali philosophia ratione finis externi, scilicet operationis, & executionis, scilicet omnes præter naturam affectus (si tamen fieri potest) ad naturalẽ statum reducendo, sin minus cognitionem aliquam comparando, qua discerni possint illi, qui sanari possint ab ijs, qui secus dicebat Galenus loco supracitato, & à Galeno vocatur ars resarcitiua, quia veluti hi, qui seminant granum instrumentaliter concurrunt ad grani generationem, cum natura postea operetur, ita & medici sunt naturæ instrumenta. Ad Hugonem, male quidem fuit, vt reponat medicinam inter artes liberales, cum ex supra dictis appareat esse scientiam. Sed soluantur argumenta ex ratione desumpta; Ad primum, tunc argumentum curreret, si medicina primario faceret sanitatem, sed quia instrumentaliter, vt dictum est, ideo non sequitur esse artem. Ad secundum eadem est solutio, vt supradictum est; nam secundarius finis medicinæ est operari, non autem primarius. Ad tertium patet solutio ex supradictis; nam etsi medicina versetur circa singularia, & corruptibilia, tamen sufficit in specie hæc esse æterna. Ad quartum respondeo gratis esse dictum medicinam non esse habitum demonstratiuum, cum supra oppositum fuit probatum, nec inde cõcludere debemus, quia medicina non semper demonstrat, ergo non est scientia, non enim hoc est necessarium; nam etiam Metaphysica non semper demõstrat, & tamen dicitur scientia, ipsa etiam philosophia naturalis sic se habet. Ad quintum non est necesse, vt scientia habeat principio determinata; nam quæ determinatio est principiorum in Metaphysica, & in philosophia? Bene tamen verum est, scientias debere habere quasdam propositiones famosas, & immediatas; attamen, quod debeat habere tot principia, & non plura apud Aristotelem non inuenitur, nec scientiæ rationem complet. Medicina igitur cum habeat suas propositiones, & principia, vt vidimus non erit excludenda à scientiæ genere naturave. Ad sextum supponit vnum falsum, scilicet esse totale subiectũ medicinæ corpus humanum, hoc enim non est verum, vt infra patebit, benè verum, & subiectum hoc principale; nam secundum nos subiectum medicinæ est corpus viuens, de quo possunt optimè omnes affectiones demonstrari, & de subiecto quædam probantur, vt principia, & causę, & quędã, vt passiones, medicamenta vero, & alimenta, & alia id generis fortassis, vt causæ sanitatis, & morbi considerantur. Ad septimum patet ex dictis solutio, si dixeris cum Zabarella, tunc illa medicinæ pars non amplius erit medicina. Respondeo esse medicinam physicam, nam eadem est medicina cum physica. Ad octauum non est necesse, vt medicina perueniat ad primam causam, nam sufficit medicinæ, vt habeat propositiones quasdam veras, & famosas. Nec Hippoc. erat necessum, vt de materia, & forma pertractet, hæc enim sunt admoda remota principia à corpore viuente. Vt ex dictis etiã vnicuique, velim, innotescat, ineptam esse sententiam Turisani primo Artis med. 7. Conciliatoris diff. 3. & Argenterij asserentium, medicinam esse medium quippiam inter scientiã, & artem, ea præsertim ratione, vt inquiunt, qua medicina axiomata considerat esse scientiam, ea verò ratione, qua ad particularia descendit, esse artem, & Turisanus addebat, medicinam, quando venit ad opus, dici medicatiuam potius, quam medicinam, quare secundum hos medicina est aggregatum quoddam, sed ex supradictis patet esse erroneam hanc opinionem, nam quinque sunt habitus principales, vt supra diximus ex Arist. 6. Ethic. Adhuc vnius scientiæ vnus est finis, sed si medicina est illud aggregatum, tunc duos haberet fines, & æque primos. Nec valet id quod inquit Montanus, vt hæc inconuenientia fugat, medicinam esse scientiam practicam; nam practicum est, quod operatur, & nihil derelinquit operis ad extra, sed medicina sanitatem relinquit, ergo, sed hinc sit finis præsentis Theorematis.

Solutiones argumentorum.

Turisani, & Conciliatoris inepta sententia.

Quod

Quodnam sit medicinæ subiectum.

Theorema III.



QVoniam oblata fuit nobis occasio in præcedentibus theorematis de medicinæ subiecto, quod ibi supposuimus, ideo breuiter, quid sit sentiendum, doceamus. Et quoniam subiecti sunt quamplures acceptiones, illas nos tanquam inutiles logicis omittamus, tantum de subiecto adæquato, & totali medicinæ sermo fiet, quod subiectum apud Arist. quandoque vocatur genus, quandoque compositum, & hoc subiectum habet suas passiones proprias demonstrabiles de ipso, & principia. Hoc autem quale sit in tota medicina dicatur cum Arist. harum rerum antiquo magistro libro de sensu. & sens. c. 1. esse corpus viuens, seu animalis, & nos subiungimus, & humanũ præsertim natura, vel arte sanabile. Verum ne hinc sic sicco pede pertranseamus, ponderanda sunt singula supra dicta verba. Subiectum igitur in tota medicina est corpus viuens cum Arist. neque sine maxima ratione, nam intendens Arist. in paruis naturalibus inuestigare operationes communes, & proprias animalium, proprias inquit esse duas, sensum, & motum ipsis animalibus, communes verò ipsis animalibus, & plantis sunt quinque, vigilia, & somnus, iuuentus, & senectus, inspiratio, & respiratio, vita, & mors, sanitas, & morbus.

Verum hæ quinque operationes, seu affectiones ita sunt adinuicem dispositæ, vt vigilia, & somnus, iuuentus, & senectus sint communia omnibus animalibus, inspiratio verò, & respiratio tantum conueniunt aaimalibus pulmonem habentibus, mors verò, & vita, sanitas, & morbus sunt communes animalibus, & plantis. Si ergo mors, & vita, sanitas, & morbus sunt passiones vtrorumque scilicet animalium, & plantarum, ex hac doctrina, quæ rei naturæ innititur, constat vnicuique nos debere assignare quoddam subiectum, de quo demonstremus has proprias passiones. Si enim dixerimus, subiectum in medicina esse corpus humanum tunc dubio procul sanitas, & morbus non erunt tantum hominis passiones, cum etiam plantis conueniant, & reliquis animalibus brutis, ergo magis commune oportebit assignare subiectum, de quo demonstrentur illæ passiones, quod quidẽ ex mente Arist. erit corpus viuens. Dictum etiam fuit in tota medicina hoc esse statuendum subiectum, nam ad totam medicinam pertinet etiam tractatio de plantis, de stirpibus, de piscibus, & reliquis. Subiunximus nos, & humanum præsertim natura, vel arte sanabile, nam maximum est discrimen inter subiectum totius scientiæ, & inter subiectum artificis, subiectum quidem totius medicinæ est corpus viuens, artificis vero subiectum, & præsertim huius nostræ medicinæ erit corpus humanum, seu homo, nam medicina nostra tota versatur circa hominem, ab ipso vel auferendo morbum, vel sanitatem conseruando, & introducendo. Corpus humanum esse subiectum in medicina non solum confirmauit Galenus 1. Aphor. primo, & 1. de san. tuend. & 2. de cris. cap. 9. & alijs in locis, sed Auic. prima primi c. de diffin. medicinæ, Auer. 1. collig. & 2. physic. cõtex. 3. Haly. Abbas 1. theoricæ. Sed hic dubitabis, si est corpus viuẽs subiectum in medicina, ergo ars Veterinaria includitur in medicina, quæ quidem ars est satis ignobilis. Respondetur hanc quidem includi in re considerata totius medicinæ, verum quoniam nos addidimus corpus humanum &c. ideo medicina nostra, quam in dies exercemus, quia versatur circa nobilissimum entium scilicet hominem, differt ab illa. Neque tamen est inconueniens, si includeretur, nam quo magis scientia est vniuersalis eo est nobilior, dicente Arist. 1. Poster. tex. 183. vniuersale esse honoratum magis. Non ne philosophia naturalis pertractat de muschis, grillis, & cæteris vilibus animalibus? Non igitur est ignobilis nostra medicina, illa præsertim, quam illustrissimè conscripsere Hip. & Galenus. Dices vnius scientiæ vnũ debet esse subiectum, ad quid ergo duo ponuntur subiecta? In promptu responsio est, si dixerimus valere maiorem de adæquato subiecto in totali scientia, quod diximus in medicina esse corpus viuens, modo ipsa etiam medicina habet corpus humanum, vt principale subiectũ, primo enim quod tota medicina considerat, & ad quod dirigitur, & ob quod fuit inuenta, vel a Deo donata fuit homo seu humanum corpus. *Dubitatio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

Hic etiam oritur pulchra difficultas, si subiectum scientiæ debet habere principia, & passiones teste Arist. 1. Post. tex. 2. tex. 57. tex. 76. & tex. 179. modo corpus viuens habet passiones, & illas proprias, vt supra vidimus, non tamen habet principia. Dicatur principia esse in duplici differentia, alia complexa, alia incomplexa, incomplexa vt formale, finale, & remotum efficiens Aristoteli derelinquamus, efficiens tamen propinquum a medico potest considerari, illa tamen scilicet formale, finale, & remotum efficiens, quia non sunt adeo medicinæ necessaria, ideo derelinquamus, nec de illis conscribere voluit Hip. & Galenus, materiale etiam principium, vt materiam primam eidem Arist. demandemus, tantum materialia propinqua sunt medico magis necessaria, vt elementa, temperamenta humores, & c. non enim est necessaria medico medenti materia prima. Principia verò complexa sunt illa principia cognitionis, & sunt illę propositiones famosæ, & maximæ illæ, de quibus in primo theoremate diximus, per quas maximas venamur naturalem, & præter naturam corporis dispositiones, & hæc principia clarissima sunt, quorum copia est in nostra medicina. Habet ergo statutum a nobis subiectum principia. Illud tamen est diligenter notandum, hæc tria considerare scientiam per se, subiectum, principia, & passiones, alia vero considerari per accidens, vt verbi gratia in medicina per se, & primario considerantur subiectum, principia, & passiones, alia verò vt montes, valles, situs locorum, aquarum sunt per accidens, secundum quod vel variare, vel conseruare valebunt corpus supra dictum. Addidimus tandem (natura, vel arte sanabile) nam secundum Hip. & Galenum lib. 6. epidem. com. 5. tex. 1. & 3. art. med. 29. morborum medicatrix est ipsa natura, medicus autem minister, & hoc est, quod Arist. 1. de part. animal. cap. 1. dicebat, quod sanitas *Difficultas* *Solutio.*

tas sponte, & arte fieri potest. Supradicta ergo verba attingunt finem medici; cuius finis est, vel sanitatem conseruandi, vel illam amissam inducendi, nec ob id duo sunt fines, sed vnus, cũ ex Auer. 1. collig. in principio cum sanitatis inductio non est aliud quam ægritudinis remotio. Nunc aliorum dogmata contemplemur.

Quid alij senserint:

TOt, tantæque sunt de subiecto controuersiæ, vt vix duos reperias idem de hac re sentientes. Autumant enim nonnulli medicinam non habere subiectum, quemadmodum & alias artes; Alij istud quidem concedunt, sed in eo assignando toto cælo differunt, nam alij corpus humanum, alij sanitatem, alij sanum, alij aliud commẽti sunt subiectum. Qui sanitatem ponunt, vt Manardus, & Montanus errant cælo aperto, nam sanitas finis est medici, finis autem seu scopus intentio, & propositum a subiecto longè differt, vt apud logicos est in confesso, quod diffuse probauit Zabarella lib. de meth. logicæ. Qui etiam corpus humanum subiectum statuant a veritate aberrant, vt ex supra dictis patet, cum hoc sit subiectum artificis primarium, non autem artis. Qui sanum subiectum faciunt, vt Curtius ex Arist. 4. met. com. 2. male faciunt, nam potius sanitas, quàm sanum ex hoc contex. esset colligendum vt rectè inquit Argenterius in quo plura sunt aduersus Curtium. Sed maiores insurgunt difficultates aduersus supradictam nostram sententiam in prima theorematis parte iactam, nam si subiectum est corpus viuens, & humanum præsertim natura, vel arte sanabile, tunc medicus non deberet manum admouere heticæ tertiæ speciei, & nos totum videmus oppositum, nam curare nitimur illam. Sec. sanabile arte, vel natura, vel est res considerata, vel modus considerandi, non est res considerata, nam illa est corpus viuens, ergo se tenet ex parte modi considerandi, si sic tunc modus considerandi habet rationem formæ; ergo quemadmodum rationale est differentia hominis, & per se inest homini, & facit per se differre hominem a brutis, ita ly natura, vel arte sanabile, per se inhærebit corpori, ergo medicus a physico per se differunt, & non per accidens. i. in fine illo accidentali.

Respondeo ad primum, verum esse hecticam tertiæ speciei non esse curabilem, attamen quia in ipsa nos vtimur cura palliatiua, & huiusmodi hecticos aliquantulum curamus, nunc a fęcibus ipsos expurgando, nunc remouendo aliqualem putredinem, & hoc modo possunt hectici reduci ad medicinæ subiectum. Cum enim nihil agat vltra vires, nam cum reperiantur morbi quidem lethales hi etiam non possunt curari, quare ly (arte sanabile) intelligi debet potius de illis corporibus oppressis morbis non omnino lethalibus.

Ad secundum concedimus ly sanabile se tenere ex parte modi considerandi, & concedimus per se inhærere corpori viuenti, non tamen est de omni, nam non omne corpus morbis oppressum est natura, vel arte sanabile; Ad consequentiam vltimam negatur tota consequentia, nam per se non differunt medicus, & physicus, sed accidentaliter. Contra dices, nam modus considerandi facit differre scientiam, ergo. Respondetur verum hoc esse, attamen differentia duplex est, vel essentialis, vel accidentalis, sat est in nostro casu, si inter medicum, & physicum sit differentia accidentalis, & extrinseca, & quoniam modus considerandi non proprie est forma, ideo non semper facit differentiam specificam, nam si esset vera forma semper faceret differentiam specificam, cum a forma proueniat specifica distinctio, & hæc satis.

Quæ nam sit medicinæ recta diuisio.

Theorema IV.



DIuinissimus Plato in Philebo non ob aliud diuisionem Dei donum, ac philosophiæ ornamentum appellabat, nisi quia, qui eam inuenit, aut Deus fuit, aut saltem homo Deo similis: qui enim diuidere non ignorat, multa sciat oportet, & quoniam teste Galeno primo meth. med. cap. 3. ex Platonis, & Arist. mente nihil est diuisione difficilius, & ipsemet Galen. lib. 2. meth. med. cap. 6. malis coquis medicos comparabat, qui diuidere nesciunt, eapropter de medicinæ diuisione quæ nam sit opinio verior, tunc breuibus discutiatur. Semper illud logicorum axioma verum esse putauimus, diuisionem esse debere bimembrem, vel saltem ad bimembrem reducibilem, quare illa erit expetenda diuisio, quæ sit bimembris. Si verò nos voluerimus rei naturam consulere, inueniemus medicinæ diuisionem esse sumendam ab ipsius subiecto, & ab illa ratione formali subiecti, quæ erat finis ille accidentarius scilicet mederi, & ad particularia descendere, cum enim medicina, aut sit physica, eiusque pars, aut ab ipsa non distinguatur essentiali fine, sed tantum accidentali vt diximus, aut difficillimum erit ipsam diuidere, aut hoc modo illam diuidemus, erat enim medicinæ subiectum corpus viuens, & humanum præsertim natura, vel arte sanabile, quare in duas diuiditur partes ipsa medicina, aut in theoricam ipsius corporis, aut in practicam, seu factiuam. Theorica subdiuiditur in tres, in physiologiam, græcè φυσιολογικὴν, quæ est tractatio de componentibus, & constituentibus corpus illud supradictum, & de elementis, temperamentis, humoribus, partibus, &c. de quibus Galenus in prima classe sermonem facit, in pathologiam, græcè παθολογικὴν, seu αἰτιολογικὴν, & est contemplatio de essentia, causis, symptomatibus, quibus illud corpus opprimitur, de quibus Galenus in tertia classe, & insignificatiuam, i. σημειωτικὴν. i. de signis, quibus illud corpus, quo morbo, causa morbi, & quibus sympromatis sit oppressum, dignoscatur, de quibus in quarta classe; Factiua medicina, seu practica in duas subdiuiditur in curatricẽ, & conseruatricem,

Medicinæ prima diuisio.

curatrix

curatrix in tres in διαιτητικὴν φαρμακευτικὴν, & χειρουργικὴν. i. diæteticam, pharmateticam, & chirurgicam, conseruatrix in sex ex Galeno libro de opt. sec. ad Trasyb. cap. 30. in euecticam, salubrem, præseruatiuam, analecticam, geronomicam, & comptoriam, græce in ἑκτικὴν, quæ conseruat corpus sanum, in ὑγιεινὴν. i. salubrem, quæ conseruat corpus salubre vt multum, in προφυλακτικὴν. i. præseruatiuam, seu precautiuam, quæ versatur circa corpora neutra decidentiæ, in ἀναληπτικὴν. i. resumptoriam, seu resumptiuam, quæ circa corpora neutra conualescentiæ, in γεροκομικὴν. i. geronomicam, ad senum custodiam pertinentem, de qua Galenus libro 5. de sanit. tuen. in κοσμητικὴν. i. artem comptoriam, seu decoratoriam, quæ ad fucos, & mulierum pulchritudinem attinet. Hæc igitur diuisio medicinæ optima est, nam comprehendit omnia in medicina considerata, & tractata. Et tractatio metallorum, lapidum, plantarum, & piscium reduci potest ad medicamentariam, seu pharmateticam, & diæteticam. Vnde valde miror Argenterium in hoc fuisse hallucinatum, asserendo deficientem esse hanc diuisionem ex eo, quia in hac non comprehenditur signorum tractatio, medicamentorum cognitio, & sanitatis curandæ ratio. Verum Argenterio parum oculato hoc dubium esse non debebat, nam tractatio signorum, seu simiotica comprehenditur in subdiuisione medicinę theoricæ, quomodo enim curare morbos poterimus, nisi illos prænoscamus, cognitio quoq; medicamentorum in subdiuisione medicinæ practicæ continetur scilicet in pharmatetica, ratio conseruandi sanitatem in secundo membro subdiuisionis medicinæ practicæ continetur. i. in conseruatrice. Quare laudanda est omni ex parte hæc diuisio medicinæ. Nec quidquam momenti sunt, quæ Montanus affert aduersus hanc diuisionem, nam non solum fuit Auicennæ, & Auer. 1. Canticæ cap. 1. & 1. Collig. cap. 1. Sed etiam Philothei grauissimi viri græci 1. Aphoris. 1. & Galeni lib. de constit. art. med. cap. 13. nec non ante hos omnes Plutarchi in vita Homeri, vnde mirum est, cur tam pueriliter, ac oscitanter fuerit lapsus Montanus, vt dixerit, hanc supradictam diuisionem non fuisse græcorum. Errauit etiam Montanus asserens Platonem, Arist. Galenum, & Auerroem totam medicinam practicam fecisse, nam ex superioribus theorematibus primo, & secundo hoc quàm falsissimum esse constat. Multa quoque absurda habet Montanus, quæ fusè ab Argenterio referuntur. Hæc igitur est altera medicinæ diuisio. Nunc alteram in medium afferamus, quam, quoniam non videtur esse Galeni, multi non receperunt. Nos autem, vt ingenuè fateamur, etsi Galeni non sit, non ineptam illam dijudicamus, eamque probamus, ac recipimus, quæ huiusmodi est. Tota medicina in tres partes, seu ordines diuiditur, in res naturales, in res non naturales, & res præter naturam.

Argenterij lapsus.

Montanus hallucinatur.

Alia medicina diuisio.

Primus ordo est ex ijs, quæ nostrum compaginant corpus, & sunt septem illa, elementa, temperamenta, humores, partes corporis, actiones, facultates, & spiritus.

Secundus ordo est ex ijs, quas res non naturales appellant, quæ sic dicuntur, quod corpori nostro aduersantur, si sinistre ijs corpus vtatur, ab ijs enim alteratur, & sanitas perturbatur, & sunt numero sex, Aer, motus, & quies, cibus, & potus, somnus, & vigilia, excretio, & retentio, & animi perturbationes.

Tertius ordo est ex ijs, quæ præter naturam dicuntur, & sunt tres, morbus, causa morbi, & symptoma, ad quos ordines, nisi in longum nostra protraheretur oratio, reduceremus quamplures medicinæ partes.

Quid alij senserint.

SExcentas forè animaduerto sententias de medicinæ diuisione, vt si cunctas prosequi velim dies profectò Iosue non sufficeret, Ea propter rem breuiter absoluam. Hippocrates libro de veteri med. & Cornelius Celsus sui operis in principio in tres partes diuiserunt medicinam, in Chirurgiā, pharmaciam, & diætam, quę quidem diuisio non est numeris omnibus absoluta; nam tantum respicit curatiuam. Galenus varijs in locis varias affert diuisiones, libro qui inscribitur medicus capit. 7. & libro de const. ar. med. in quinque partes diuisit medicinam, quam diuisionem insectatus est Fernelius in physiologiam, de qua in prima classe, in pathologiam, seu ethologiam, de qua in tertia, in salubrem, de qua in secunda classe, in simioticam, de qua in quarta, & in therapeuticam, de qua in quinta, sexta, & septima classe pertractat, quæ quidem diuisio, quoniam nō est per opposita, vt Philosophi, & Logici testantur, & Galenus volebat lib. de Ar. Gymnast. ad Trasybul. & quoniam non est bimēbris, non videtur idonea. Galenus etiam lib. primo, de Ratio. Vic. in morbis acutis com. 3. & libro 10. meth. med. cap. 6. in tres etiam diuisit partes ipsam medicinam, in dignotionem, prænotionem, & curationem. Hanc sequitur Altimarus, Vega, & alij. Quidquid sit de conseruatrice parte, an sub hac comprehendatur, nam supradicti auctores affirmant ex Galeno ad Trasybal. cap. 20. est tamen adhuc insufficiēs; nam non erant duo capita distincta facienda, cum dignotio, & prænotio in vno, eodemque capite contineantur, nec etiam est bimembris, Mitto quæ contra hanc conscripsit Saluus Silanus. Aliam attulit diuisionem Galenus libro part. ar. med. cap. 6. quæ fuit etiam in tres partes, in significatiuam, conseruatiuam, & curatiuam, hanc sequitur Sclanus in Aphorismis. Sed est insufficiens; nam non cōprehendit physiologiam, & contra hanc diuisionem nonnulla scripsit Ioannes Altimarus, illius Donati Antonij Altimari filius, vbi probat, spurium esse illum Galeni librum, & dato, & non concesso, quod non sit spurius, Galenus ibi loquitur, ad mentem Empiricorum, præsertim Theutæ cuiusdam Empirici. Galenus quoque libro de ar. gymnast. ad Trasybul. cap. 4. in duas diuisit, in conseruatricem, & curatricem, sed est insufficiens; nam non comprehendit pathologiam, physiologiam, & significatiuam. Sunt etiam aliæ diuisiones à Galeno allatæ, verum legentur illæ magis diffuse apud Argenterium. Sat nunc sit has magis Principes enumerasse.

De nomine, & essentia Elementorum.

Theorema V.



Elementorū tractatio vtilis est medicinæ.

Voniam non solum medicis, sed philosophis, etiam hęc nostra theoremata conscribimus, ideo non solum de illis quatenus ad morbum, & sanitatem possunt conferre, vt diuinus fecit Hippocr. libro de Carnibus, sed alia etiam nonnulla scitu digna pertractanda proponimus. Illud tamen prius lectorem monitum velim, hanc de Elementis theoriam, & summe necessariam, & valde vtilem esse. Dicebat namque Galenus 7. Meth. cap. 2. maximè vtilem esse Elementorum contemplationem medico rationali, & arte Hippocratica digno, cum qui prima corporum elementa non nouit, curare morbos ignorauerit, morbos pręsertim partium similarium Gal. addebat libro de Diff. Morb. cap. 5. Nec est contra hanc iactam veritatem aduersus Galenus 8. de Hip. & Plat. placitis cap. 3. vbi Elementorum theoriam medico esse inutilem testatus est, nam ibi semetipsum exponit, scilicet medicus curans, & in actu exercito sanans scire nō debet, cur aqua humectet, vret ignis, vel cur fluat aqua, & sursum feratur ignis, &c. hæc enim omnia ad morborum curationes non conferent. Quo circa cum nos non tantum curantibus medicis, sed physiologiæ amatoribus conscribimus, plura de illis si dixerimus, non est cur erubescentes recusemus. Sed hinc facto exordio, dicamus cum Galen. primo Methaphys. doctrinæ elementorum inuentorem, & veluti parentem fuisse Hippocr. libro de Natura Humana, Aristotelem autem fuisse rationem Hippocr. interpretem.

Verum pace Galeni dixerim, ante Hippocr. nonnulla in Pimandro de illis dixisse Mercurium Trimegistum inuenio, & si sacra licebit immiscere prophanis ante hunc multa, eaque præclara. à quo omnis est orta philosophia, Mosem in sacra Genesi diuinissimè curasse vnicuique potest esse compertum. Sed his omissis, vt ordine quodam incidamus in hac, quam præ manibus habemus diuisione elementorum, ante nostros oculos Arist. præceptum proponamus, habet enim ipse primo Cœli, & Mundi contex. 110. quæ sunt multiplicia prius esse distinguenda, deinde diffiniēda, vt omnis ambiguitatis, & confusionis occasio è mente lectorum tollatur, quod etiam præceptū confirmauit noster Gal. 2. de Diff. Puls. cap. 4. Elementum igitur vox est ambigua, ac multiplex, pluraque significat. Apud Arist. & eius animam Cordubensem Auer. 4. Cęli 37. & 3. Cęli 31. dicitur elementum de quatuor corporibus, & de prima materia, & prim. Phisic. 48. & 56. & 57. & 12. Metaphys. 23. vocantur elementa principia rerum naturalium, scilicet materia, forma, & priuatio, & ab Arist. & ab Antiquis, & primo Cœli contex. 91. Arist. vocat Cœlum elementum, & ex Simplicio 3. Cœli 3. Omne corpus simplex dicitur elementum. Galenus etiam libro de Nat. Hum. cap. vltimo inquit nomine elementi nos sępę per abusum simplices, & primas compositionis cuiusq; rei particulas, illius elemēta appellamus. Quomodo harmonica dixere elementa, rhytmica, geometrica, arithmetica, orationis, vocis, demonstrationisque, ita & Plato ait Hesiodum dixisse, centum esse plaustri elementa, vbi inquit, centum lignaque plaustri. Quæ tamen singularum rerum dicuntur adhunc modum elementa ea, omnia, neque simplicia sunt exactè, neque prima. At quæ omnium rerū communia sunt, vt re vera prima, & simplicia sunt, ita, & propriè elementa nominātur, quę Hippocrates nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci appellauit lib. de Nat. Hum. & Arist. 2. de Gen. & Corr. p. tex. 16. Nos vero omnibus illis derelictis acceptionibus elementi, tantū de elementis, idest quatuor corporibus pertractabimus, quæ propriè elementa vocantur, cętera verò supradicta impropriè elementa dicuntur, de igne, aere, aqua, & terra, tractationem verò de materia, & forma, & priuatione ab Arist. plenè pertractatam, 1. & 2. Physic. exquirant Lectores. Sed nominis elementorum cognitione perspecta ad rei essentiam accedamus. Elementum definitur ab Arist. tribus in locis, habet enim 5. Metaphys. cont. 3. elementum esse ex quo fit aliquid primo, ut inexistente indiuisibili specie in aliam speciem, & in hoc loco clarissimè Arist. exemplificat de elementis vocis, dicitur primò, ex quo fit, seu componitur aliquid, quia omnes per elementum intelligunt id ex quo aliquid componitur, dicitur (primò) ad differentiam eorum, quæ componunt quidem, sed ipsa ex alijs componūtur, vt caro, ossa, &c. & ideo Arist. 3. Cœli 37. dicit contra Anaxagorā partes similares non esse elementa, dicitur (indiuisibili specie in aliam speciem) idest in naturas quasdam specificas, & existentes; nam resoluitur quidem elementum in materiam, & formam, sed istę non sunt species, sed partes speciei, nec per se separatæ existunt. Hæc tamen diffinitio, vt rectè admonet consumatissimus Philosophus Zimara Hydruntinæ Prouinciæ sempiternum decus Theoremate 27. potius de materia, quam de forma in via compositionis verificatur, namque digniori modo dici elementum de materia, quam de forma testabatur Auer. 5. Metaph. 29. Aliam attulit diffinitionem 7. Metaph y. tit. vltimo, & est, Elemētum est in quod diuiditur inexistens, vt in materiam, vt clarè de syllabis manifestat, quæ diffinitio potius de prima materia verificatur in via tamen resolutionis; nam forma corrumpitur, & materia manet. Tertiam tandem attulit diffinitionem 3. Cœli 31. quam inquit Auer. esse vniuersalem omnibus opinionibus de elementis; nam in hac omnes consentiunt, vt elemētum sit illud corporum, in quod postremo, & per se omnia composita resoluantur, in quibus inest potētia, aut actu, hoc enim vtro modo se habeat dubitabile est, ipsum autem est in diuersa specie indiuisibile, quare simplex corpus erit elementum omni permistione carens præter eam, quę est materię, & formæ, & hæc est elementi propriè sumpti vera diffinitio; nam per illud verbum, Corpus, excluduntur indubitanter demōstrationes, prima elementa vocis, materia, forma, priuatio, quia nō sunt corpora. Galenus noster primo de Elemen. 1. ait elementum esse minimam rei portionem, quam constituit, & 8. de Hipp. & Plat. plac. capit. 2. eandem fere protulit diffinitionem, est enim elementū minima pars eius, cuius est elementum, per minimum autem indiuisibile quippiam intelligere debemus,

Prima diffinitio Elementi.

Zimara laus.

Secunda diffinitio Elementi.

Tertia diffinitio Elementi.

bemus, ergo ipsum erit indiuisibile, seu inresolubile, alia ergo corpora in ipsa resoluentur, & clarius elementum diffiniuit libro de diffinit. med. Est enim elementum ex quo primo, vt simplicissimo progenita sunt omnia, & in quod simplicissimum resoluuntur. Conueniunt tamen, tam Arist. quam Gal. diffinitiones, ac ferè in vnum coincidunt. Bene verum illæ Galeni non sunt exactæ, & completæ, ex omnibus tamē, quas attulit Gal. fieri potest vna completa, cuiusmodi est illa Arist. 3. Cœli 31. pro cuius faciliori intelligentia sunt nonnulla notanda, primum est, vt elemētum sit corpus de genere substantiæ compositæ ex materia, & forma, non corpus quantitatiuum de genere accidentiū, in quod cętera corpora resoluūtur, & per hæc verba differt elementum à tribus illis principijs, primo, & secundo Phys. materia, forma, & priuatione, quæ corpora non sunt. Secundum est, vt ex illo aliquid fiat; nam est aliquod corpus ex quo nihil fit, vt Cœlum. Tertium est indiuisibile in diuersa specie, ad differentiā corporum, quę diuiduntur in corpora specie differentia, vt animal, quod diuiditur in membra specie differentia; Aer tamen, ignis, aqua, & terra corpora sunt, quæ non diuiduntur in corpora specie differentia. Quartum, & vltimum est, quod adi sum elementum cętera corpora resoluuntur, vt per hoc differat à cæteris causis; nam non omnis causa dici potest elementam, sed illa, quæ compositionem ingreditur. Hæc igitur est elementi exacta diffinitio. Elementum est illud corporum, ex quo fit aliquid, & in quod postremo alia corpora resoluuntur per se in quibus inest potentia, aut actu, ipsum autem est indiuisibile in diuersa specię. Omnes tamen Galeni diffinitiones de elementis, si in vnum colligantur poterunt hanc eandem Arist. formare diffinitionem. Quamuis Arist. diffinitio in 3. Cœli duobus causarum generibus careat, scilicet efficiente, & finali, sed de efficiente venit excusandus, quippe qui mundum ab ęterno perperam constituit, finalem omisit fortassis notam ex libris de Gen. & Corrupt. & ex Metheor. Auicenna verò vir doctissimus li. 1. fen. 1. d. 1. c. 2. illam addidit, quæ est, quod ex horum elementorum commistione, non ex corruptione diuersæ species generatorum sunt, in hoc enim mistio differt à corruptione, quod in mistione miscibilia manent suis formis substantificis, alterata tamen, ob id Arist. ore potius naturæ, quam hominis decantauit mistionem esse miscibilium alteratorum vnionem primo de Gen. & Corrupt. tex. vltimo, & hæc circa elementorum essentiam.

Quatuor sunt notanda pro intelligentia diffinitionis elementi.

De Numero Elementorum.

Theorema VI.



CVm satis superque superioribus Theorematibus demonstrauerimus, vel medicinam esse eandem cum physica, vel saltem ab illa non nisi fine illo accidentali differre, non est cur cum Auic. in tractatu de elementis perperam sentiamus, scilicet de numero elemētorum debere medicum philosopho credere, namque præterquā falsa est hæc Auic. sententia, vt ex superioribus patuit, tamen Hipp. quem oscitanter legit Auicenna, apertissimè contradicit. Habet namque venerandus senes Hipp. libro de natura ferè in principio; Si vnum esset homo non doleret, & quia dolet, ergo per contrariam causam dolet, sed quia doloris non est vnicum remedium, sed plura, inde doctissimè collegit plura esse elementa, & cum hoc axioma demonstrasset, descendit vlterius, & magis propriè quaternarium numerum elementorum demōstrat ex interitu hominis; nam hoc intereunte, per cuius interitum etiam omnium mistorum interitum intelligit, vt ipse in Aphorismis sępe sæpius facere solet, vt per vnius exemplum multa intelligat, homine igitur intereunte calidum, frigidum, siccum, humidum, idest, elementa; nam qualitatum nomine ignem, terram, aquam, aerem intelligit, vt semetipsum declarauit loco supra citato, & Gal. libris de elem. & de natur. hum. patefecit, quare intereunte homine, elementa ad suum locum abeunt, & à misto segregantur, quod etiā clarissimè Hipp. innuit libro de Carn. in principio. Vnde valeant Auic. & alij pseudo philosophantes asserentes Hipp. non probasse sufficienter numerum elementorū, sed probatum sumpsisse. Neq; valeret, si dixeris, alieno habitu Hip. fuisse indutum, dum probauit numerum elementorum; nam ipsemet in principio de nat. hum. confessus est, se velle de nat. hominis pertractare quātum ad medicinam pertinet, ergo non alieno habitu indutus hoc est executus. Demonstrauit igitur, & sufficienter quatuor esse mundi elementa, ignem, aerem, aquam, terram, ignem autem loco citato ęthera appellat, & fuit demonstratio ex resolutione, quæ experientia patet. Hoc idem etiam ex ipso Hippocr. satis plenè colligere licet lib. de Nat. Hum. & lib. de Carnibus ex combinatione qualitatum, cum enim libro de Carnibus dixerit quatuor esse, consequenter sequitur quatuor esse combinationes compatibiles, & duas incompatibiles, scilicet frigidum, & calidum, & humidum, & siccū. Cęterum calidum, & siccum in igne, calidum humidum in aere, frigidum humidum in aqua, frigidum siccum in terra. Numerus etiam quaternarius elementorum colligitur ex motibus quatuor simpliciter rectis, duo enim sunt loci contrarij, maximè distantes, & duo medij, quia tantum quatuor sunt naturæ simplices, quarum vnaquæq; ad proprium locum fertur, leue enim simpliciter ad superum locum simpliciter fertur, scilicet ad concauum orbis lunæ, & hoc est ignis, leue secundum quid ad locum, secundum quid sursum fertur, & hoc est aer, graue verò simpliciter in locum simpliciter deorsum, quod est mundi centrum, & hæc est terra, graue secundum quid in locum deorsum secundum quid fertur. & hoc est ipsa aqua, quam etiam demonstrationem diuinissime tetigit Hipp. lib. de Carnibus, inquiens, calidi plurima portio, cum turbata essent omnia, in supernam circumferentiam secessit, & hanc æthera veteres appellarūt, altera pars inferna appellatur terra frigidum quid, & siccum, tertia pars aer medium locum occupauit, calidum quid, & humidum; Quarta verò pars terræ proximum locum cępit humidissimum, & crassissimum. Numerum etiam quaternarium elementorum colligimus apud Hippocr. ex quatuor humoribus, qui sunt in corpore, vt

Numerus quaternarius elemētorum ex resolutione.

Ex Combinatione.

Ex motibus rectis.

Ex euacuatione quatuor humorum.

Hipp.

Hipp.loco citato demonstrauit, quatuor autem esse humores patet ex medicamentis trahentibus quatuor humores, vel saltem tres euidenter; nam medicamentum hæmagogum, seu trahens sanguinem difficilè reperitur, quamuis olim teste Galeno libro de Purg.Med.Fac.cap.4. reperta sit medicina, quæ sanguinẽ trahat, vbi pulchram recitat historiam, & idem testatur Conciliator diff.144.referens Paduæ hanc herbam fuisse repertam. Quatuor ergo sunt elementa, & hoc Hippocr.auctoritate, & ratione fuit probatum, quod etiam diuinissimus Plato in Timæo confirmauit. Vnde non possum non magnopere admirari omnium ferè philosophorum nostri temporis oscitantiã, qui tantum Aristotelem numerum quaternarium elementorum demonstrasse tradunt, atque contendunt, & præcipuè Toletus 2.de Gen.& Corrupt.q.4. Certè de Arist. illud dicendum, magis eleganter, ac luculenter hæc omnia, quę veluti semina Hippocr.inseruit, declarasse, atque nobis posteris demonstrasse 2.de Gener.& Corrupt.cuncta tamen, quæ ipse dixit in hac parte præsertim ab Hippo. commutuatum esse omnes pro certo (velim) habeant, vt ex supradictis liquido constat. Hic missas facio quatuor alias pulcherrimas rationes Marsilij Ficini in Compendio supra Timæum, quaternarium numerum elementorum patefacientes, sunt enim scitu pulcherrimæ, ac nisi prolixitatis vitio incusaremur, illas in medium afferremus, illic lectorem demandemus. Patet igitur, tum ex resolutione misti, tum ex combinatione qualitatum, tum ex motibus simplicibus rectis, & ex quatuor humoribus quatuor esse elementa mundi. Mitto nunc rationes alias, & præsertim illam, quæ sumitur ex complexionibus. Vnde sagax natura, seu vt melius loquar Deus Opt.Max. rectè elementorum numerum ad quaternarium limitauit; nam infinita facere noluit, quia tunc corpora sublunaria essent infinita, & sequeretur esse infinitos locos, infinitos motus, infinitas naturas, & infinitum mundum, quę omnia apertissime fieri non possunt, teste Arist.3.Cœli 41. præter quod si infinita forent diffinitione carebunt quomodo enim infinitum sub scientiam, & diffinitionem cadit, infinitũ enim est impertransibile primo phys. & sequeretur etiam infinitas esse qualitates, vt Arist. colligit 2.de Gen.35 Nec etiam elementa esse vnum potuerunt, vt probauit Hipp.lib.de Nat.Hum.& cum Arist.clarius probatur à posteriori, quia non tantum est vnus motus simplex rectus ex 3. Cœli 51. essent enim omnia, aut leuia tantum, aut grauia, cum moueantur ab elemento prædominante mista, at sensata constat experientia plures esse corporum naturalium motus, ergo, & plura elemẽta; Deinde posita elementorum vnitate non essent plures materiæ secundæ, neque plures formæ substantiales, ergo neque plura mista, sic Auerr. arguit primo Canticorũ, capit.17. 3.& nos cũ eodẽ Auerr.primo Cant.cap.9. nam in vno misto experimur contraria intrinseca, cum ab intrinseco destrui possit, ergo plura elementa. Nec etiam elementa sunt duo, debent enim esse plura, quã duo; nam si quis affirmaret ignem, & terram esse simplicia, aquam verò, & aerem esse mista, & composita, hic non posset afferre rationem aliam, quare aqua esset grauior aere, nisi altero istorum triũ modorum, vel primo quidem, quia aqua plus obtinet de terra, vel secundo quia ipsa minus obtinet de igne, vel tandem tertio, quoniam in aere minorem habeat proportionem terra super ignem, quam habeat terra super ignem in aqua, sed omnes isti tres modi sunt insufficientes, & claudicant, ergo reliquum est, aerem, & aquam esse simplicia, & non mista (loquor autem nunc de elementis in se, & secundum suam naturam) Aduersus primum modum sic arguo; nam sequeretur, quod magnus aer esset grauior parua aqua, inferiusque descẽderet, quod semper est contra sensum, & consequẽtia tenet, quia plus haberet de terra in se magnus aer, quam parua aqua. Aduersus secundum modum sic argumentor, quia tunc paruus aer esset grauior magna aqua, quod quidem est falsum, patet consequentia; nam paruus aer minus habet de igne, quam multa aqua, in qua plus est de ignis leuitate. Tandem aduersus tertium modum, quia tunc æqualiter grauis esset magna aqua, sicut parua, & sequeretur, quod magnus aer esset æqualiter leuis, sicut paruus aer, tenet consequentia, quia in vtroque esset æqualis proportio, sunt ergo elementa plura quam duo. Nec possunt esse elementa tria; nam non sunt tres tantum loci elementis correspondentes, nec inter tria extrema tantum saluari possunt duæ contrarietates, quia tunc duo vni forent cõtraria, sed vt est in adagio, nec Herculeis hoc sufferret, ergo nec etiam ipsa natura. Non igitur sunt tria elementa, erunt ergo quatuor, vt supra rationibus, & experientia fuit comprobatum.

Multorum philosophorum Oscitantia.

Infinita nõ sunt Elementa.

Elementa non sunt vnum.

Elementa non sunt duo.

Non sunt tria Elementa.

Quid alij senserint.

PArmenides, testante Philosopho primo Physic.tex.41. tantum duo recepit elementa, illud quidem calidum, & ignem appellabat, & illud frigidum, & hoc terram vocabat, aquam, & aerem mista esse dicebat, & hanc opinionem Telesius libro iuncta propria principia videtur recipere ponens Cœlum, & terram, & videtur hæc opinio probabilis; nam aer est mistus cum vaporibus, aqua etiam dulcis est, ergo mista sunt, tantum duo sunt simplicia, scilicet ignis, & terra. Iectes Pythagoreus duas terras posuit.

Ad hoc, & sit secunda ratio, non videntur esse quatuor elementa, sed octo; nam cum dentur corpora naturaliter duas sibi determinantia qualitates, dari debent alia corpora sibi tantum vnam qualitatem determinantia, ergo dabuntur etiam elementa quatuor, quorum alterum erit calidum tantum, alterum frigidum tantum, tertium erit humidum tantum, quartum erit siccum.

Tertio, quia alius est quaternarius elementorum ab his, quæ communiter ponuntur elementa, quia qualitatibus combinatis naturaliter prior est vna earum, quia dualitatem naturaliter præcedit vnitas, ergo prima corpora, quæ sunt elementa non sibi duas determinãt qualitates, ergo alia sunt corpora, quæ sunt elementa ab his, quæ ponuntur elementa.

Quarto datur caliditas copulans ignem cum aere, datur humiditas copulans aerem cũ aqua, datur frigiditas copulans aquam cum terra, ergo datur siccitas copulans terram cum alio elemento, & consequentia probatur; nam non maiorem habet virtutem vna qualitatum primarum, in copulando

lando elementa symbola, quam alia, & etiam contraria qualitas, vt humiditas non debet habere maiorem potentiam sua contraria siccitate.

Quinto, fumi in aerem ascendentes simplices sunt, ergo vltra elemẽta dantur alia.

Sexto, nouem sunt hominis cõplexiones, quatuor simplices, & quatuor compositæ, & vna æqualis, ergo proportionabiliter nouem erunt elementa, elementum calidum tantum, frigidum tantũ, humidum tantum, siccum tantum, & quatuor prædicta, & vnum temperatum.

Septimo, materiæ elementorum sunt eiusdem rationis, ergo vna cum erit materia, vnum erit elementum, & non quatuor.

Octauo, tres tantum sunt loci, sursum, deorsum, & medium, ergo tria elemẽta, quę ad illos locos naturaliter ferantur.

Nono, videntur esse duo tantum elementa, vnum leue, & alterum graue, idest, videtur esse quinque elementa ex Arist. libro de Cœlo, & Mundo ad Alexand. cap. 2. & 3.

Vltimo, quot sunt planetæ tot sunt elementa, sed planetæ sunt quinque, ergo, & elementa, Antecedens est Auer. 2. Cœli com. 44. Stellæ habent qualitates similes vnicuique elementorum.

Sed breuiter his sit responsum, ad Parmenidis, & Telesij auctoritatem dicimus, illa argumenta probare tantum iniquitatem elementorum, non autem numerum eorundem. Icetes Pythagoreus cæcutiuit omnino, vt duas terras astruat. *Solutiones argumentorum.*

Ad secundum necessę quidem est, vnumquodque elementorum, sibi duas qualitates primas determinare; nam aliter in quodlibet aliud elementum transmutari non posset, quia ad quodcunque aliud elementum transmutaretur contrarietatem non haberet in qualitatibus, vt calidum tantum ad humidum tantum, similiter frigidum tantum ad siccũ tantum, deinde adderem, quod peius est; cũ non essent inuicem miscibilia omnia elementa; nã misto miscibilium supponit alterationem, necesse quoque esset, vt nullum sit mistum perfectum ex cunctis elementis æque primo ad mistionem concurrentibus.

Ad tertium respondeo, etsi valeat hæc consequentia, Binarium est, ergo vnitas est, non tamen valet hæc, corpus sibi determinat duas qualitates primas, ergo debet dari corpus sibi tantum vnam præfigens, nec aufertur qualitatum simplicitas ex combinatione.

Ad quartum, ego negarem vltimam consequentiam; nam in hac rerum vniuersitate non sunt infinita multiplicanda entia absque necessitate, oportet enim esse statum quendam in rebus dicebat Arist. primo Poster. & Horatius in Arte Poetica.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum.

Ad propositum igitur dicerem, elementum coniunctum terræ per siccitatem esse ignem, quem natura sursum locauit, & non deorsum, vt elemẽtorum ordo compleatur, quemadmodum supra ignẽ non fuit necesse aliud ponere elementum igni copulatum, sicco, terram enim oportebat infra locare, non autem ignem.

Ad quintum respondetur cum Arist. & Auer. 2. de Gener. & Corrupt. 28. fumum esse compositũ ex terra, & aere, nec obstat, quippiam compositum in aerem ascendere; nam hic aer in hac prima regione est valde alteratus ab aqua, & terra, & per consequens, non est multum leuis, & ideo in hoc aere nostro fumus ascendit, qui quidem in superiori regione aeris descenderet, aut non ascenderet.

Ad sextum, Deus, & natura nil frustra moliuntur, neque multiplicant entia, absque necessitate primo Cœli 32. tertio de Anima 45. & primo de Part. Animal. cap. 1. & 2. Cœli 59. & ideo cum quatuor sufficiant elementa ad rerum generationem, vt visum est supra, non fuere alia necessaria. Deinde erat necessum, vt actiuæ qualitates in summo, & puro esse determinent sibi passiuas, quarum gratia elementa ad se inuicem fortius sese reprimunt, refrangunt, atque sese reducunt ad quandam temperiem magis idoneam formæ misti introducendę, quare satis melius, & vtilius fuit, vt elementa contrarientur in duabus qualitatibus, quare ad argumentum dicendum, non esse simile de complexionibus, & elementis, eo quod in omni complexionato, vt sic loquar, sunt quatuor qualitates primæ refractæ.

Ad septimum, licet vna sit rerum omnium prima materia, non tamen sequitur vnicum esse elementum, cum plurificetur materia ad pluritatem formarum, nec postea inde sequitur, vna est materia, ergo vna forma elementorum; nam si elementa inter se specie, seu forma non differunt, tunc contra sensum, & experientiam sequeretur, idem substantialiter esse ignem, & aquam, & transmutatio vnius elementi in aliud non esset substantialis, sed accidentalis.

Ad octauum motus circularis non ostendit nobis elementum vniuocè, sed æquiuocè, cum Cœlum non sit miscibile, sed elementorum principium, sumitur tamen elementorum numerus ex motibus rectis, qui quatuor sunt.

Ad nonum respondetur præter leue, & graue simpliciter dari leue, & graue secundum quid.

Ad decimum dicimus Aristot. ibi vocare elementum naturas, & corpora, quibus mundus constat, quæ sunt quatuor elementa, & cęleste corpus.

Ad vltimum dicatur, qualitates elementorum esse similes qualitatibus planetarum, non tamen sequitur, vt tot sint. & hæc satis.

An hæc Elementa mundi, quæ sensibus percipiuntur, vt terra, aqua, aer, ignis sint simplicia an mista.

Theorema VII.



PRæsens exagitatur Theorema, de Elementis non quidem secundum propriam eorum naturam consideratis, sed de istis quæ oculis videntur, & sensu tactus tanguntur; nam clarum quidem est, elementa in sui natura considerata, debere esse simplicissima, & purissima corpota, quæ fortassis non reperientur, vel mente potius erunt excipienda talia, vt ob id diuinus Plato, & Philebo nullum elementorū, quæ apud nos sunt esse syncerum, & integrum aut umauerit, sed vile, & permistum; Idē etiam post ipsum Arist. 2. de Gener. & Corrupt. 20. apertè docuit, hæc elementa nō esse simplicia, sed potius mista, nō est autem ignis, & aer, & vnumquodque prædictorum simplex, sed mistum, & non ignem, sed igneum, non aerem, sed aereum vocari affirmat. Galenus etiam noster lib. de elementis primo cap. 5. inquit non solum in animalium corporibus terra syncera, & impermista non reperitur, sed neque in mundo talem posse reperiri ait, nam quamcunq; eius portionem sumpseris statim, & calorem, & humiditatem, & substantiam aeream participabit, quod etiam libro de Nat. Humana 38. confirmauit, exquisitum, & purum elementum mente potius excogitari posse, quam inueniri asseruit. Et ob id rectè à Io. Pico in Heptapli capit. 3. fuit dictum, elementum nō dari simplex, nec videri, nec tangi, nec sub vllum omnino sensum cadere posse, & Marsilius Ficinus in com. Timæi dicebat, elementa infra Lunam in vnam molem esse compacta, & ignem esse soliditatis terrenæ participem, ne ob tenuissimam, nobilissimamque naturam cōtinuo dispergatur, terram quoque per se torpentem ignis consortio actionem, vigoremque nancisci, & sic de cæteris. Vt non immerito dici possint, hæc nostra elementa mista, & ferè verè mista, vocenturque elementa respectu aliarum rerum naturalium, quæ ab ipsis constituuntur, quoniam cum illis comparata simplicia sunt cum tamen re vera sint permista, adulterata, & peregrinæ materiæ obnoxia, vt elementata potius veniant dicenda, quam elementa.

Responsio tacitæ obiectioni.

Nec obstant superius allatæ diffinitiones elementorum, & Galeni auctoritas, scilicet quod elementa sint simplicia corpora, indiuisibilia, & simplicissima; nam Arist. & Galenus considerarunt elementa in sui natura, vt esse deberent, vt hinc pateat duplicia esse elementa, alia permista, & impura, & sunt hæc à nobis dicta, & alia pura, quæ nullam dimittunt mistionem, vereque elementa vocantur, quæ superius fuere diffinita.

Dubitatio, & responsio.

Sed dices elementorum impuritas vnde prouenit? Respondetur breuiter ex Cœlorum, stellarum, planetarum influxu, motu, & lumine. Solisque actione, & mutua eorum alteratione, nec non etiam alterantur, à mistorum corruptione.

Obiectio solutio.

Dices, hæc puritas, vel impuritas elementorum in quo præcipuè attenditur. Breuiter dico circa duo, primo circa substantiam, & de hoc non quæritur in præsentiarum, vel circa qualitates, & de hoc dicimus nostrum theorema verificari; nam secundum qualitates hęc elementa mundi non sunt pura, cum sint permista.

Dubiū de igne in cōcauo, & terra in centro.

Responsio.

Dices, iam de terra, & aqua videtur hoc esse verissimum, & de prima, & secunda regione aeris, quod sint alteratæ, permistę, & impurę, & de hoc igne flamma, seu carbone, tamen quid philosophandum de igne illo in concauo existenti, & de terra in centro, & aqua in profundo, seu medio mari? Respondetur, mea sententia est de igne, quod in propria Sphera fortassis erit purus, saltem secundam eam partem, secundum quam contangitur ab orbe Lunæ, non autem secundum partem, quæ tangitur, & connectitur ab aere; nam humiditas aeris semper agit saltem passiue. Dicebat namque ea, quæ principia sunt, & veluti fontes, à quibus hæc, quæ videntur elementa fluxa sunt, alicubi esse syncera, & pura. De aere crediderim nullibi esse syncerum, nec in prima, nec in secunda, nec in tertia regione aeris. De aqua dixerim nequaquam in medio, vel profundo Mari esse simplex elemētum; nam ima pars alteratur à terra, cui supereminet, media, & superna alterantur in dies. De terra ausim fortassis affirmare in centro esse purum elementum, non autem in superficie, & ratio est, quia centrum secundum communem Astrologorum consensum, & præsertim secundum Ptolomæum sunt plus minus 3579. milliaria, ergo neutiquam potest alterari ab aliquo.

Obiectio diluitur.

Sed aduersus dicta obijcies, nam si reperitur aliquod elementum purum tunc illud haberet qualitatem in summo gradu, gradus autem summus est infinitus, quia qualitas est infinitè intensibilis, esset igitur elementum quale infinitum, quod est impossibile. Respondeo, non currere argumentum, nam qualitas omnis ex sua intrinseca natura certum sibi intensionis terminum exquirit, nec dicitur summus gradus, quia est infinite intensus, sed quia vltra intendi non potest.

Difficultas.

Responsio.

Dubitabis iterum, etiam si reperiretur aliquod elementum purum tunc illud esset insensile Licet enim suapte natura sint sensibilia corpora elementa, ex parte tamen nostra potius mente, quā sensu percipiuntur, & dubio procul philosophādum est, terram in centro nullum habere colorem, veluti de igne constat in propria Sphera. Constat igitur hucusquę hæc elementa, quæ videntur, & tanguntur, vt aqua, terra, aer, & ignis noster, esse permista, & alterata. Et ob id videmus terram nutrire triticum, hordeum, & plantas; idem etiam de aqua patet, quæ si pura essent non nutrirent, vt habet Arist. l. de sens. & sens. cap. 5. & Gal. primo de Elem. Nullum enim simplex nutrit, dixit ętiā 4. Meteor. 21. & 3. de Anima 64. Siue tamen sint alterata, & mista hæc elementa ab æterno, vt voluit Arist. mundum faciens æternum, siue in tempore, vt nos credere cum S. R. E. debemus, nunc non disputo, non enim facit ad rem, nec est præsentis speculationis.

De modo quo Elementa manent in mistis.

Theorema VIII.

ETsi parum, vel nihil ad medicum opus referat præsens hæc disceptatio, quinimò Galenus in quodam fragmento de natur. facul. substantia cognitu haud esse necessarium præsens Theorema pronunciauit, an scilicet elementa formaliter, seu secundum substantiam, an potestate, seu secũdum qualitates maneant, cum sat fuerit medicis in mistis eorum remanere substantiam, nos tamen, ne puram medicinam exercere videamur breuibus hanc disceptationem decidemus. Huius Theorematis ansam nobis ante omnes Arist. dedit 3. Cœli 31. diffinitus elementum, quod est illud corporum, ex quo aliquid fit, & in quod postremo omnia composita resoluuntur, in quibus inest potentia, aut actu, hoc enim vtro modo contingat dubitabile est. Quæ Aristot. verba sexcentas peperere latebras, vt hi in vnam, alij in alteram abijerint sententiam. Nos autem primum eam, quam veriorem, vel saltem probabiliorem sententiam arbitramur, in medium afferemus. deinde veritate perspecta aliorum placita contemplabimur. Hunc enim scribendi modum, vt supra diximus, in nostris Theorematibus seruabimus. Arbitramur igitur elementa secundum formas integras remanere in mistis, sed secundum qualitates refractas, eamque opinionem verissimam esse, difficultatibus minimè scatere, authoritatibus esse munitam, rationibus fulcitam, & experientia comprobatam, quæ certè sunt efficacissima media pro rerum veritate adipiscenda.

Verum auctoritati confidimus, sed multum rationi damus, at longè plurimum experientiæ, quæ rerum magistra prebetur, condonamus. Probatur igitur primo hæc sententia cum Auicen. libro 1. suæ sufficientiæ cap. 10. Auer. primo de Generatio. & corruptio. 90. 3. Cœli 67. Philopono 1. de Generatio. & corruptio. 74. Alberto Magno rracta. 6. capit. 5. cum Ianduno 6. Phys. quæstio. 4. & cum Alexander Aphrodisæo lib. de Mistio. cum Aristot. primo de Generatio. & corruptio. 84. vbi habet, quod miscibilia quando veniunt ad mistionem, neque corrumpuntur, nec alterum eorum, neque ambo, si ergo non corrumpuntur, remanent.

Sed quidam neotorici respondent non corrumpi elementa in mistis absolutè, & simplicíter veluti quando transmutatur ignis in aquam, sed dicuntur corrumpi hoc pacto, cum non in alterum, sed potius ambo in tertium quodam mutantur, quod non quidem contrarium, sed potius virtute, & valore ambo contineat, & hoc pacto non dicuntur absolutè corrumpi elementa in mistis cum maneant secundum virtutes. *Responsio quorundã.* Sc pace horum dixerim hæc responsio claudicat, nam non possunt corrumpi formæ elementorum, vt aduersarij concedunt, incorruptis, & illæsis qualitatibus, seu virtutibus eorum remanentibus; nam bone Deus, quod genus philosophandi est hoc, aut à quo didicere, posse corrumpi formas substantiales sine primarum, vel secundarum qualitatum ablatione? *Impugnatio.* Nam secundum Aristot. & veram philosophiam qualitates sunt medium, & copula, quibus forma substantialis in materia suscipitur, & in materia conseruatur, atque agens in corruptione prius attingit, abijcitque qualitates, quam formam substantialem, sicut & in generatione generans prius qualitates, quibus materiam disponit, quam formam substantialem producit, quare non possunt corrũpi formæ substantiales, & qualitates remanere, & confirmo hanc rationem ex Aristot. libro de sens. & sensil. nam ignis non agit inquantum ignis, sed inquantum calidus, ergo prius in qualitatibus actio viget.

Secundò principaliter ex eodem Aristot. contex. 84. miscibilia postquam se miscuere possibilia sunt separari rursum, ergo si possunt separari, manebant prius. Neque valet si dixeris quod possunt separari, idest, possunt de nouo ex corrupto misto generari, hoc enim infra à nobis impugnabitur.

Tertiò, in tex. 88. eiusdem libri asserit Aristot. guctam aquæ mille congijs aquæ non permisceri, quia gucta destruitur, ergo vult Aristot. omnia miscibilia seruari in misto, atque seruari res non dicuntur, nisi earum maneant formæ, sed hæ cum sint substantiæ non possunt intendi, ac remitti, ergo qualitates sunt illæ, quæ cum sint accidentia, alterantur, & intenduntur, ac remittuntur, quare si gucta vini non miscetur mille congijs aquæ, quia corrumpitur, ergo vt fiat mistio debet seruari forma. Illud tamen obiter circa mistionis naturam sciendum, quod quæ miscentur ita debere contrariari, vt non sit eorum, tam inæqualis contrarietas, quod debilius, ac impotentius à fortiori, & & potentiori vincatur, adeo vt in contrarij naturam vertatur, tunc enim neutiquam mistio, sed generatio foret, nam exempli gratia, vna drachma vini mille cõgijs aquæ non commiscetur, neque lignum paruum igni magno, aut paucus cibus corpori, quoniam vinum in tanta quantitate pauca superatur ab ingenti aquæ mole, & in illius naturam conuertitur, sic etiam de ligno ad ignem, & cibo ad corpus licebit philosophari, quæ potius generationes, quam mistiones sunt. *Notandum valde.* Ergo in misto elementa debent permanere, & alterum alterum corrumpere non debet. Nec valet quod habent aduersarij, quod gucta vini non admiscetur toti aquæ non solum quia corrumpitur, sed quia nihil eius remanet, vt inquit litera, nam hoc est fugere naturam mistionis, vult enim probare Aristoteles in mistione debere remanere miscibilia secundum formas, non solum secundum qualitates, & inquit, guctam vini non miscere decem millibus congijs aquæ, subiungit, soluitur enim forma, & mutatur in vniuersam aquam, ergo mens Aristotelis est, quod in mistione debent manere formæ elementorum, parum tamen refert, si elementa maneant secundum virtutes, cum de formis Aristot. loquatur, quare sic respondere est inuertere totum Aristot. sensum, & experientiam. *Obiectio diluitur.*

Quartò, ex diffinitione mistionis 1. de gener. tex. vltimo, nam mistio est miscibilium alterato-

rum vnio,non dixit corruptorum,quia corruptio est substantiæ mutatio,quæ enim alterantur, non corrumpuntur. Hic est duplex responsio D. Thomæ, & Scoti, & vtraque ab Archangelo Mercerio optimè confutatur,quare non est cur hic multum insudem.

Responsio aliorum.

Quintò,idem confirmatur ex 2.de Gener.49.& 5.Metaph.3.& 7. Metaph.vltimo, vbi ex diffinitione elementi colligitur manere elementa in mistione, & 3. Cœli 67. disputans contra Platonem docet elementa non habere figuram aliquam,quia si haberent,non possent permanere in misto,& primo Cœli initio docet, mistum moueri ab elemento prædominanti, ergo ibi manent elementa, quomodo autem manere possunt nisi sint actu? Quamuis aduersarij respondeant manere secundum virtutes,sed hoc fuit supra impugnatum.

Septimò,addantur rationes,& experientiæ. Quomodo elementa possunt segregari à mistis,nisi actu essent in mistis? Elementa verò posse segregari à mistis testatus est primus ante omnium memoriam Hippoc. lib. de Natu.hum. vbi intereunte,inquit, homine elementa ad locum suum commigrare,quo pacto commigrare possunt,nisi actu sunt in misto? Docuit etiam idem Aristot. 1. de Generatio. & corruptio.84. possibilia esse rursum separari. Nec valet Vallesiana responsio primo libro Controuersiarum à causa, scilicet vniuersali posse generari elementa illo tunc, scilicet ad hominis interitum, hoc enim dictum veram philosophiam non sapit, qui enim causa vniuersalis producere potest absque particularibus dispositionibus in materia introductis? Sed ibi non sunt dispositiones, verbi gratia, terræ, ergo non potest produci terra nisi præfuisset, & conseruata fuisset, & sic de cæt.

Vallesius cõfutatur.

Octauò, si elementa non manent in mistione, tunc necesse est,vt corrumpantur, sed cõtra, nam nullum est corrumpens,ergo non corrumpuntur,ergo manent formaliter; nam vel corrumpuntur ad corruptionem termini,& hoc modo non, nam sic relatiua corrumpuntur, vel ad corruptionem subiecti,& nec etiam,nam immediatum subiectum elementorum est materia,ergo esset ipsa corruptibilis contra Aristot.1.Physic.82.nec corrumpuntur à contrario,quia tũc remaneret aliquod elementorum formaliter,quod aduersarij negant, nec à Cœlo corrumpuntur, quia saltem remanebit ignis,cui non est contrarium,deinde Cœlum est causa remota, nec tandem corrumpi possunt à forma vltimata, quia forma misti non est contraria formis elementorum, cum substantia substantiæ non sit contraria,quare formaliter manent elementa in mistis.

Nonò,adsit experientia,videmus enim ex combusto ligno cineres, qui sunt formaliter terra, ergo nisi terra præfuisset, quomodo generari de nouo potuisset? à quo enim producitur,si antea non erat,terra enim erat frigida, & sicca, ergo a calido illo comburenti generari non poterit. Nisi dixeris cum Ariminensi 2.senten.distist.25.esse cineres corpus mistum.

Obiectio Ariminensis diluitur.

Sed contra, nam cinis est verè terra, & nullam video differentiam inter hanc, & illum, quinimò si verum est, vt verissimum est elementa qualitatibus esse expertia, cinis est insipidus, sapor autem insipidus frigiditatem arguit. Addo etiam, si cinis est mistum, omne mistum, vel est perfectum, vel imperfectum ex Metheoris,& tunc sit vtcunque necesse erit,vt resoluantur in aliquod elementorum, at in quod resoluitur nisi semper in terram? Ego quidem pluries destillaui cinerem, & nihil ex illo extraxisse persenti, semper remanebat terrestris pars, quare neutiquam erit mistum.

Cinis elambicatus.

Decimò,addatur experientia ex chymica,nam in rosa elambicata clarè videtur aqua clarius terra,ignis,& aer,quia sensum ferè effugiunt,non apparent,est tamen credendum secundum rei veritatem,ibi adesse. Sed dices,has aquas secretas,seu destillatas non esse elementum aquæ, cum naturam misti, scilicet saporem,& odorem sapiant. Nisi esset, non reperiri in mundo elementa pura,vt supra dictum, ergo, quoniam rosa non fuit ex elementis puris producta, ideo in illa pura nõ resoluitur,cum quippiam peregrinæ materiæ habeant semper hæc nostra elementa admistum.Nec valet,quod nonnulli gratis effutiunt, partem tenuem rosæ conuerti in vaporem, qui condensatus euadit aqua,cum vapor secũdum Metheoristas sit formaliter aqua, veluti exhalatio formaliter terra. Tandem addatur vltima experientia ex Megethio Alexandrino medico, qui Petro de Apono narrauit, à viro,qui dolorem coxendicum patiebatur, exiuisse ignem à vertebro coxæ, & combussisse omnia,& statim cessauit passio,ergo elementa actu sunt in mistis.Ab oculis etiam nonne exeũt flammæ,vt inquit Aristot.l.de sens.& sens.& Theophrastus, & sensus ipse hoc animaduertit? Manent ergo in mistis elementa secundum eorum formas integras cum qualitatibus refractis ob mutuam eorum actionem,idque authoritatibus, rationibus, & experientijs fuit abunde comprobatũ.

Dubitatio, & solutio.

Sed dices si in mistis sunt formæ elementorum,est ne alia forma præter has,quæ dicatur forma misti? Respondetur affirmatiue,quod sit,& non est alia à formis elementorum,tanquam re distincta, sed est forma ex earum formarum congressu exoriens, ita vt quæ erant quatuor formæ in vnam migrauerint,quæ est forma misti,quod inde breuiter probatur,nam vnum mistum differt essentialiter ab altero misto,ergo per aliquam formam propriam,consequentia est nota,quia temperies,& dispositio est solum accidentalis forma,antecedens est notum, nam aurum, & lapides specie differunt. Deinde si non esset forma vna continens elementa profectò dissoluerentur, & vnumquodque in suum discederet locum. Sed illud tandem est animaduersione dignum, non eadem esse elementa in misto, & extra, nam in misto habent qualitates refractas, castigatas, remissas, & vt Arabes loquuntur ligatas, extra vero habet integras qualitates, ita vt rectè dixerit Alexander Aphrodisæus tract. de mistione, non eadem numero esse elementa in mistis, & extra, sed eadem specie,nam in mistis ob mutuam, continuamque actionem,& reactionem aliquid amiserunt.

Obiectio, & solutio.

Nota.

Quid alij senserint.

SEd non satis est nostram confirmasse sententiam, nisi quid alij contra ipsam effutiant, rectè teneamus. Auerroes 3. Cœli 67. est huic sententiæ aduersus, quamuis arguat ipse contra Auicenna,& probare intendat formas elementorum remanere remissas, veluti,& qualitates, quare in qualitatibus nobiscum sentit, discrepat tamen à nobis, seu ab Auic. quod velit Auer. formas elementorum posse intendi,& remitti, hoc præcipuo suo imaginario fundamento, quod formæ elementorũ ad accidentis naturam accedunt, vnde medias inter substantiam, & accidens statuens posse intendi,& remitti, seu suscipere magis,& minus conscribere fuit ausus,& primò, nam qualitates sequuntur formas, ergo si qualitates alterantur, alterantur,& formæ cum eadem videtur esse ratio de vno gradu qualitatum, quam de alijs, ergo si potest forma elementi existere sine aliquo gradu suarum qualitatum, potest similiter existere sine alio, quare,& sine omnibus, hoc autem fieri non potest, nō enim aliquis dicere poterit, formam elementi seruari posse destructis omnibus gradibus suarũ qualitatum. Hæc Auer. contra nostram sententiam, & Auic. Vnde non possum non magnopere admirari Albertum cognomento Magnum lib. 1. de Gen. tract. 6. cap. 5. & 3. Cœli tract. 2. cap. 1. & 8. asserentem inter Auic.& Auer. nullum esse discrimen, nisi in verbis, cum manifestissime increpetur Auicenna ab Auer. vt optimè notat Bannes primo de Gen.& corrupt. *Alberti Magni oscitantia.*

Secundò si elementa manent formaliter in mistis, tunc sequeretur dari corporum penetrationẽ, nam essent plures particulæ sub eodem situ, vel sequeretur misti generationem esse congregationem, quæ ab Aristotile impugnatur, sequela antecedentis probatur, nam si formæ elementorum integræ manent, non possunt informare vnam, eamdemq; particulam materiæ, ergo vna pars erit informata forma ignis,& alia forma aquæ,& sic de cęteris, quare non erit mistio, & sic non quælibet pars misti esset mista contra Aristot. rationem, & experientiam.

Tertiò, sequeretur duo absurda; primò, misti generationem esse alterationem accidentalem; nam quidquid aduenit enti in actu est accidens, cum igitur in misto sint actu elementa, ergo forma misti resultans ex illis esset accidens, nam aduenit enti in actu; secundò, sequeretur, subiectum generationis non esse materiam primam, sed ens in actu, quod est falsum, nam tunc quod generatur esset accidens.

Quartò, si elementa manent formaliter in misto, tunc non possemus saluare illam famosam propositionem, Generatio vnius est alterius corruptio,& è contra, primo de Gener. & corrupt. tex. 17. quare cum elementa non corrumpantur, mistum non dicetur generari.

Quintò, si elementa manent in misto formaliter, tunc sequeretur, quod esset corruptio substantiæ,& non esset resolutio in materiam primam.

Sextò, si elementa manent formaliter in misto, tunc non poteris respondere, quare pisces in mari non extinguantur ab aqua, cum habeant pisces ignem formaliter.

Septimò, sequeretur quod mistum non esset vnum, sed plura, cum sint in misto elementa formaliter.

Octauò, quæ specie differunt continuari non posunt ex libro 8. Physic. tex. 3. & 4. sed formæ elementorum specie differunt, ergo continuari non posunt, nec facere posunt vnũ mistum vnius speciei, sed solum per aggregationem.

Nonò, quælibet forma substantialis propriam dispositionem requirit in materia, sine qua illa esse non potest, sed impossibile est eandem esse dispositionem, quam requirit forma ignis, & quam requirit forma aeris, vel aquæ, ergo impossibile est, quod in eadem parte misti sint formæ substantiales ignis,& aquæ probatur consequentia, quia alias contraria in gradibus intensis essent simul in eadem parte subiecti, quod est contra totam philosophiam.

Decimo, non sunt multiplicāda entia absq; necessitate, sufficit enim vna misti forma, & probatur; nam non est necesse ponere formas elementorum propter operationes; nam mistũ habet operationes proprias specie distinctas ab operationibus elementorum,& cōsequentes solam misti formam, neque propter qualitates; nam qualitas cuiusque misti differt specie à qualitatibus elementorum, neque tandem propter generationem; quia tam forma misti, quam formæ elementorum habent entitatem sufficientem, vt possint esse termini suæ generationis, & in hoc forma misti non eget formis elementorum, nisi tanquam termino à quo, hic autem in generatione misti recedit, ergo in misto non remanent formæ elementorum.

Vndecimo, duo termini generationis à quo,& ad quẽ simul manere non possunt, at forma misti,& formę elementorum se mutuo respiciunt, vt termini generationis oppositi, cum ex elementis generetur mistum, ergo non possunt in misto formæ elementorum manere cum forma misti. His pro coronide addatur vltimum argumentum ex duplici Aristotelis loco desumptũ; nam primo, de Generatione,& corruptione 84. dicebat manere elementa, quia virtutes eorum manent,& libro secundo, de part. animalium capite 1. habet, mistum constare potius ex viribus elementorum, quam ex elementis,& vires esse inquit calidum, frigidum, humidum, & siccum, quod etiam confirmauit Galenus libro primo de Hum. capit. 1. vbi potestate esse elementa in mistis asseruit. Ergo patet ex dictis elementa non manere formaliter, sed tantum secundum qualitates, & tantum elementorum materiam remanere. Hæc sunt argumenta, & rationes, quæ colliguntur ex monumentis D. Thomæ primo de Gener. Scoti, Capreoli, Gregorij, Heruæi in 2. sentent. distinctio. 15. quæstio. 1. Conciliatoris differ. 16. Marsilij quæstio. 22. Alberti de Saxonia quæstio. 19. & aliorum. Alij, vt refert Marsilius quæstio. 22. concedunt quidem formas elementorum in mistis cum qualitatibus remissis, vt nos supra defendimus, tamen differunt à nobis, quod non ponunt aliam formam misti, nisi proportionem, & elementorum concordiam. *D. Thomas Scotus, Capreolus. Gregorius, &c.* *Sententia aliorum.*

Alij tandem, vt refert Gregorius in 2. dist. 15. q. 1. dicunt elementa manere secundum partes substantiales, quas entitates vocant, ex quibus forma integratur, quæ sunt ita affectæ, vt nec habeant idem nomen, nec eandem rationem cum forma elementi, quam integrant, & dicunt, quod manent elementa secundum aliquod harum partium, ita vt non sit alia forma misti distincta præter harum particularum ordinem, & dispositionem. Hæc sunt omnia motiua, rationes, effata contra sententium, quæ sic diluuntur.

Contra Auerroem. Cęterum veritate perspecta facile erit ad hęc omnia respondere, si prius contra Auer. dixerimus, eius fundamentum esse à veritate alienum, commētitium, & fabulosum, & primo quantum ad eius dictum, scilicet formas elementorum esse medium quid inter substantiam, & accidens, nō opus est multis verbis; nam recte à D. Thoma, Scoto, Soncinate confutatur, & nimis in lōgum nostra protraheretur oratio, si hoc confutabimus. Quoad aliud dictum, scilicet formas elementorum suscipere magis, & minus, breuiter me expediam his duabus rationibus; nam hoc etiam à supra enarratis doctoribus fusissime confutatur; Prima, quidquid competit generi, competit & contentis sub illo, sed generi substantię competit non suscipere magis, & minus, ergo, & contentis, Secunda, forma substantialis quælibet est perfectior quouis accidente, sed est aliquod accidens, vt proprium, quod non suscipit magis, & minus, ergo, nec substantia, & quamuis Zabarella libro de Mistione ex sentētia Bacconij 2. sent. nitatur totis viribus cum quadam noua ei prius doctrina, sed antiqua apud Bacconium, de suscipere magis, & minus, cum mutatione speciei, & sine speciei mutatione persoluere argumenta contra Auerr. tamen nisi labor hic in impugnando Zabarellam mihi demptus fuisset à quodam Iesuita, libenter in eam Prouinciam descendissem, sed soluamus rationes.

Solutiones argumentorum. Ad primum respondetur non valere rationem Auerr. nam poscit ordo vniuersi, vt sine quibusdam gradibus possit manere forma elementi, non tamen sine omnibus, quemadmodum non valet argumentum illud, quo nonnulli vtuntur ad mundi interitum secundum speciem humanam, possibile quidem est, Socratem non generare, & Ioannem, hunc, & illum, & cæteros, & sic de omnibus, ergo mundus annihilabitur, sed hoc non valet, nec reperitur; nam si non sinit ipsa rerum parens natura, vt hoc contingat inconueniens, ita à pari de elementorum gradibus philosophari licet.

Ad secundum Respondeo, cum Iacobo de partibus supra Auic. in mistione maiorem esse vnionem miscibilium, quam in congregatione congregatorum; primò, quia in mistione miscibilia per alterationem continuam se reducunt ad vnam complexionem, & adeo sunt refracta, vt proprios actus ferè explicare nequeant, vt ignis in homine non vrit; secundò forma substantialis resultat in mistione, postquam miscibilia se redegerunt ad aliquod comploxionale temperamentum, in congregatione autem hæc non contingunt. Vnde sic alteratis qualitatibus per continuam actionem, & passionem quælibet postea pars misti est mista; nam adeo bene miscentur, vt vnaquæque pars misti habeat omnia elementa secundum formas integras, & qualitates refractas; Nec datur corporum penetratio, cum elementorum formæ, quæ substantiæ sunt, non misceantur adinuicem vsque ad minutiores particulas, quoniam tunc contingeret corporum penetratio, quam natura exhorret, sed qualitates sunt, quæ vera sint accidentia totæ, & aliæ alijs miscentur, & confunduntur tali, & tali modo, vt per totam misti magnitudinem fundantur, & alterentur ad inuicem.

Ad tertium non sequitur misti generationem esse alterationem; nam forma misti resultans non aduenit enti in actu perfecto; nam quamuis maneant integræ formæ elementorum, non tamen sunt formæ perfectæ, & consummatæ, ita vt perfectior ipsis alia forma non possit resultari mutua qualitatum actione, & illud quod generatur tunc esset accidens, quādo forma resultans adueniret subiecto in actu perfecto.

Ad quartum breuiter sit responsum, cum hic multa possemus dicere, quæ proprio Theorematę dicentur, ex vnius generatione sequi alterius corruptionem, vel secundum totum, vel secundum partem, qua stante distinctione dicamus, quod quando mistum generatur ex elementis immediate, tunc sufficit, aliquam elementorum particulam interire, vt mistum generetur, nec vllum sequi absurdum, vt verificetur propositio. Hoc sat erit, quamuis me non latet esse alias responsiones, quæ mihi non satisfaciunt.

Ad quintum non semper immediate corrumpitur mistum, & tendit ad primam materiam; nam mediate hoc potest contingere, corruptis enim postea elemētis res abit in illam: vnde primo phys. dicebat Aristot. & quidquid corrumpitur in hoc abibit vltimum, vel mediate, vel immediate in nonnullis, mediate in quampluribus, quare nullius est momenti argumentum.

Ad sextum facilis est responsio, nam etsi elementa formaliter sint in mistis, & in piscibus præsertim, tamen, quia maximè sunt cum qualitatibus fractis, ideo non est necesse, vt ignis, qui est in piscibus extinguatur ab aqua.

Ad septimum, tunc sequeretur non esse vnum mistum, quando illæ formæ elementorum essent omninò perfectæ, & aliam non expectarent, at quia sunt imperfectæ, & subordinatæ ad nobiliorem formam, ideo non faciunt plura distincta in specie, cum secundum illam formam perfectiorem, quæ resultat ex mistione mistum dicatur vnum.

Ad octauum Respondeo, quod quæ specie differunt, & sunt perfecta, & non subordinata ad vlteriorem formam continuari non possunt, modo non sic res habet de formis elementorum.

Ad nonum Respondetur, nullum esse absurdum, vt in vna, eademque parte sint plura contraria non in esse summo, sed in esse refracto, & per consequens possunt esse variæ, atque diuersæ dispositiones, prout earum natura exposcit, nec vllum est inconueniens; nam tunc esset inconueniens, quando qualitates elementorum non essent inuicem castigatæ, & refractæ.

Ad decimum, bene respondet Zabarella capit. 12. libro de Mistione, negando sequi id, quod Scotus infert, multiplicari entia sine necessitate, sequeretur quidem si cum nonnullis dixerimus formam misti esse additam formis elementorum, & re distinctam ab illis in ipso misto,

at

at nos asserimus solam misti formam sufficere ad mistum constituendum,& ad omnes operationes obeundas,sed ad hanc esse necessarias formas elementorum.

Ad vndecimum respondetur,quod duo termini generationis simpliciter, & perfectè simul manere non possunt, scilicet à quo,& ad quē, si tamen terminus à quo est in actu imperfecto, & subordinato tunc possunt,nec vllum est inconueniens. O dices, tunc non est generatio misti,sed tantum alteratio accidentalis: quia non sunt corruptæ formæ elementorum, cum generatio vnius sit alterius corruptio. Sed hoc nihil est, nam in responsione ad quartum huic instantiæ fuit responsum. *Obiectio soluitur.*

Ad vltimum,scilicet ad Arist.in primo de generatione, & corrupt.84. dicatur, quod quando dixit in misto remanent elementorum virtutes, seu facultates,non intellexit has sine formis substantialibus,quoniam hoc impossibile est,sed ait,ac si diceret, quoniam licet vna cum qualitatibus, seu virtutibus formæ substantiales quoque supersint, quia tamen formæ elementorum in misto suis nō funguntur muneribus,neque mistum in esse constituunt,neq; ipsum denominant, cum hoc faciat forma resultans,& qualitates in misto suas operationes exercent, ipsumque denominant calidum, frigidum,humidum,siccum,propterea non formas,sed elementorum virtutes, & qualitates in misto remanere asseruit. Neque igitur. (dixit) permanent actu,vt corpus,& album, neque corrumpuntur,neque alterum,neque ambo,saluatur,seu seruatur virtus,seu facultas eorum. Sic etiam respondere possumus ad aliam Arist.auctoritatem 2. de partibus cap.1.quem locum perperam Buccaferreus intellexit primo de gener.& corrupt.cap.de mistione,nos enim dicimus, primam misti compositionem esse ex elementis, vel fortasse rectius ex virtutibus elementorum, causa verò quare sic est Arist.locutus nulla est alia,nisi hæc, quoniam cum mista ex elementis nequaquam componi possint, nisi alterentur, elementa vero non possunt alterari, nisi ratione qualitatum,ideo mistorū compositio, quamuis ex elemētis sit,magis tamen fortassis rectè dici potest ex virtutibus elementorum; nam ignis,& sic de cæteris elementis,non agit inquantum ignis,sed inquantum calidus ex Aristot. libro de sensu,& sensili. Sed veram esse hanc expositionem inde colligere licet; nam tex. 84. dicebat Arist. σώζεται γάρ ἡ δύναμις αὐτῶν, idest, seruatur enim virtus eorum, quasi dixerit, in mistione elementa,seu miscibilia non sunt in actu perfecto,vt corpus, & album, neque intereunt, neque alterum,neque vtraque,remanent enim formæ elementorum,at quoniam alterantur elementa ratione qualitatum istorum elementorum remanet adhuc vis, potentia, facultas, virtus, & qualitas, hæc enim est,quæ de elementis apparet in conspicuo. Non me latet Zabarellam etiam maximam vim facere in hac dictione δύναμις, cum secundum ipsum,& formam, & naturam rei quandoque significet,non tantum qualitatem. Sed nugæ sunt, nam δύναμις semper facultatem, potentiam, virtutem,& operationem quandam apud Græcos significat. Cæterum de illorum sententijs,quas refert Marsilius,& Gregorius non est curandum; nam supra fuere impugnatæ, probauimus enim in misto reperiri formam misti. Illa verò sententia,quam refert Gregorius est improbabilis,& cōmuniter non tenetur,& ideo nihil contra illam. Sed non plus vltra, plura enim,quam volebamus, conscripsimus. *Non placet expositio Zabarellæ.*

An Elementa Simplicia nutriant.

Theorema IX.



Omniscius Hippocrates videtur primo hanc litē diremisse,habet enim lib. de Corde, si modo Hippocraticus est hic liber,loquens de aere,& aqua,non enim humanæ naturæ alimenta hæc sunt,quomodo enim hominis alimentum sunt ventus,& aqua,& per ventum aerem intelligit, sed sunt magis cognatæ affectiones castigatio,& medela. Quid clarius in Hipp.doctrina reperiri vnquam potest? Post Hippocratem diuinus Plato 5.de legibus separauit aquas ab alimentis. Post hos effulsit Arist.penes quem nihil aliud inuenias,quam constantiæ incudem,malleum diligentiæ,ignem veritatis,qui vniuersaliter hoc theorema promulgauit,nullum scilicet simplex nutrire, hancque litem composuit libro de sensu,& sensili capit.5.& lib. 4.Metheor.contex.21. & in parte 3. de Anima 64. quibus omnibus in locis manifestissimè probauit, nullum simplex posse nutrire. Cum igitur elementa, secundum eorum naturam considerata sint simplicia nutrire non valebunt. Hanc etiam veritatem confirmauit sapientissimus Galenus lib.4.de Simpl.med.fac.cap.10. nam quæ nutriunt dulci sapore maximè nutriunt, modo elementa sunt qualitatis expertia; nam sapor, & color sunt misti affectiones. Sed præter authoritates addantur rationes, & experimenta. *Aristoteles encomium.*

Primò,nutritio ex 4.Meteor.est concoctio.idest elixatio,sed concoctio est misti affectio,quia cōcoctio requirit corpus heterogeneum.

Secundò clarissimum placitum est omnium philosophorum, eandem esse materiam proximam nutritionis,& generationis,sed materia proxima generationis est mistum,vt semen,ergo,& materia nutritionis debet esse mista. Tandem addatur experientia multorum seculorum diuturnitate confirmata, nam si elementa nutrirent certè reperti fuissent,vel homines,vel aues, vel alia animalia,quæ tantum elementis nutrita fuissent. At quis vnquam igne nutritus fuit, vel in igne sese conseruauit? Dices antequam vlterius progrediamur,postquam elementa non nutriunt,an inter elementa vnum esse possit nutrimenrum alterius? Pulchra quidem est difficultas,& videtur quod sic, nam Hipp. lib.de Flatibus propè principium habet, ignem nutriri aere, vbi spiritum vocat aerem, inquit enim, Omne quod inter Cœlum, terramque est, spiritu repletum est, hic enim spiritus igni nutrimentum est,quo si ignis priuaretur viuere non posset, &c. *Curiosa interrogatio. Responsio.*

Respondeo Hipp.non intellexisse veram nutritionem,quę animantis tantum est,sed sic venit intelligendus;nam loquitur de igne in concauo orbis Lunæ,vbi simplex magis viget ignis, qui cum à corporibus cælestibus distrahatur,& difrangatur ob motum,non potest non currumpi, quare ad generationem deperditi, & ad refrigerium eius,qui deperditur, & conseruationem aer inferior se contulit,quare transumptiuè, & metaphoricè de nutritione elementorum loquitur, volens eorum generationem, & transmutationem intelligere. Patet igitur ex his elementa simplicia non nutriri. Neque verum omnino putandum erit illud Arist.dictum libro 5.de Hist.Animal.cap.19.de Salamandra,quæ igne non consumitur, & Serenus Poeta idem hoc carmine cecinit,

De Salamandra quid sentiendum.

Seu Salamandra poteris, nullis obnoxia flammis.

Et idem Arist.loco citato,& Theophrastus libro de Igne,& Antigonus libro de Admirandis Auditionibus confitentur in fornacibus Cypri esse quædam animalcula, quæ in medio igne exoriuntur, pennata,paulo muscis grandibus maiora,quę per ignem saliant,ac oberrent,amotoque igne statim emoriantur; Hoc inquam,verum neutiquam putandum est,nam maximè hoc naturæ operibus repugnat.

Et primò de Salamandra,experientia enim est in contrarium;nam igne consumitur,vt ego quãdoque Neapoli sum expertus, præter quam Dioscorides lib.2.capit.56.& Gal.lib.3.de Temper.& Olympiodorus in metheoris affirmant ab igne, scilicet cõsumi, quamuis Gal. asserat ad certum vsque temporis spatium nihil ab illo pati,neque mirum ob nimiam eius rigiditatem, ob quam etiam Plinius lib.10.Nat.Hist.cap.67. Arist.dogma secutus igne non vri perperam autumauit. Possumus tamen pro Aristot. dicere, vel eum hyperbolicè fuisse locutum, vt scilicet ob immensam frigiditatem non nisi longo post tempore Salamandra comburatur, vel quod melius, eum exotericè fuisse locutum,ad vulgi,scilicet opinionem, & secundum famosas sententias, & certè ex litera colligitur, inquit enim, nonnulla corpora esse animalium,quæ igne non absumantur, Salamandra claro documento est,quæ,vt aiunt,ignem inambulans,non extinguitur. Exotericè igitur est Aristot. locutus; nam verè ignis est talis,tantæque potentiæ,vt omnia deuoret,in suamque naturam conuertat.

Quid pro Aristot.dicendum.

Nec etiam illud verum de bestiolis illis in Cypri fornacibus,vbi chalcites lapis ingestus, quam plurimis diebus crematur, quod scilicet in igne nascantur,& viuant; nam nulla ibi potest esse materia generationis illorum animalium, nec non nutritionis. Nulla enim humiditas, nec etiam præter naturam potest esse in illis fornacibus, quæ sit materia generationis illorum animalium; nam omnium animalium generationis materia est aqua, & terra ex primo de Gen.Animal. sed quæ humiditas in illo lapide reperiri potest? Vnde male Buccaferreus lib. 4. Metheor.tex.30.voluit reperiri materiam humidam,& vitiosam in illo lapide,quod nec ex propria illius lapidis natura,nec ex fornacibus ipsis hoc colligi potest, quare nec generari, nec conseruari possunt illæ bestiolæ, vt ob id rectè dixerit Mattiolus supra Dioscoridem, Gal. si vera essent, quæ Aristot. habet neutiquam reticuisse, cum fuerit diligentissimus rimator eorum,quæ Cypri habentur. Neque Mercurialis libro 3.de internis puer.morb.capit.2. assecutus est intentum,volens Arist.saluare, dixit, posse animalia illa in his fornacibus reperiri,sed nequaquam generari illic, verum cum prius laterent in illa terra, quæ vritur igne,deinceps vi exeunt ex ea, atque volitant; nam nulla est humiditas in illo lapide. Deinde dato, &non concesso, quod generatur ex illa, quomodo volitare possunt, quin statim ab igne absumantur,& statim cinerescant, cum ignis ille sit maximus, & in maiori quanto maior est virtus,ergo erit actiuissimus,& comburentissimus,& calidissimus,ergo hoc Arist.dictum, & Theophrasti neutiquam verum erit existimandum, dicat tamen quidquid sibi velit Marcellus Donatus lib.2.de Medica Historia Mirabili cap.26.

Quid sentiendũ de Animalib. in Cypri fornacibus genitis.

Error Buccaferrei.

Mercurialis non est assecutus intentum.

Aduersus Marcellũ Donatum.

Primò, quod scilicet,non semper illa animalcula generabantur pro defensione Aristot. sed hæc responsio,& fuga manifesta; nam argumenta supra facta procedunt tam de continua, quam temporanea generatione illorum animalium.

Secundò dicere,quod Galenus nõ rogauit,atque precibus non efflagitauit fornarios, vt illa animalcula ei ostendant,est summa dementia, cum Gal.de industria illuc nactigauerit, vt sciat naturam quorundam lapidũ,scilicet Misi, Cadmiæ, Sori,& Chalcitis,vnde ob id dixit lib. 9. de Simpl. Med.Fac.se distulisse edere nonum librum de Simpl.Med.Fac. nam ei supradictorum lapidum naturæ non erant cognitæ. Quomodo ergo illa animalcula non vidit in Cypri fornacibus? aut saltem per relationem non audierit? Sed satis de hoc argumento. Nec etiam verum est, quod de chamæleone proferunt, scilicet nutriri aere; nam hoc animal ob sanguinis inopiam diutius tollerare famem potest,vt patet de gliribus,vrsis,& ranis magnis,& de alijs animalibus, quæ in cauernis, inquit Auer.2.de Anima com.5.thesaurizant tota hyeme nihil assumendo;nam suo humido intrinseco nutriuntur,sic de chamæleone dicimus,quod cum animal timidissimum sit sanguine nõ abundans,ob quod fortassis multiformis efficitur,lingua tamen sesquipalmum longa,exerta,ac vibrata, muccoque oblita,locustas,formicas,muscas,scarabeos,& alia insecta per aerem volitantia, quibus vescitetur,corripit,retinet, ad se adducit. Vt non immerito de hoc animali Arist. verba faciens libro 2.de Hist.Animal.cap.11. subticuerit hanc,quam chamæleoni tribuunt, proprietatem? Idem etiam philosophãdum erit de illo animali,quadrupedi indico, quod aere nutriri Iulius Cæsar Scaliger conscripsit libro primo,de plantis Aristot.adscriptis,quod animal canem leuem vocant,& de illa aue,quæ Manucodiata dicitur, quæ quidem animalia vel frigida sunt, & exanguia, vel aliquibus animalculis vescuntur.

De Chamælcone quid dicendum.

Cur varios recipit colores.

De quadrupedi Indico quid.

De Manucodiata.

Sed quid de cicadis dicendum? Respondeo has rore cœlesti nutriri, & non simpliciter aere. Nec etiam solam aquam posse semper nutrire est longa rerum experientia compertũ, & si quis vnquam fuerit,qui aqua tantum nutritus fuerit, vt refert Albertus Magnus lib. de Animal. de quodã melancholico,qui multis mensibus,& annis vitam sola aqua substentauit,Cœlius etiã Rhodiginus de quadam puella refert,historiam,quæ diutissime sola aqua vixit, hæc quidem omnia contingere poterant,

Qui aqua fuerint enutriti.

poterant, vel quia non erat aqua simplex, & pura, vel ad eorum temperamentum hoc referendum in quo multa portio phlegmatis inexistit, ratione cuius phlegmatis crediderim etiam vixisse puellam illam Germanicam biennium sine cibo, de qua Simon Portius pulchram narrat historiam, potest enim in huiusmodi corporibus aqua bibita couerti in phlagma, veluti in biliosis vertitur in bilim secundum Hipp; in libro de Rat. Vic. Nos quoque dum hæc scribebamus Messapiæ nostro oppido obseruauimus Illustrissimum Andream Albritium nostrum amantissimum compatrem tunc Messapiæ Vice Marchionis partes agentem vixisse 24. diebus sine cibo, tantum aquam ebibentem; at quoniam erat phlegmaticus, corpusque habebat obesum, ideo sine cibo tamdiu perdurare potuit. Aqua igitur simpliciter non nutrit, & argumentũ quoq; sensatum est ex Hipp. lib. 6. Epidem. com. 4. tex. 20. nam ab Hipp. vocatur aqua, edax, & vigilia edax, vnde abstemij magis comedunt, quam vinosi. Quamuis me non latet secundum Gal. esse aliam rationem in abstemijs, quia scilicet aqua refrigerat & corrugat os ventriculi, & sic gignit maior ẽappetentiam. Vtcumque tamen sit vtrumque potest defendi. Sed tandem quemadmodum in igne negauimus posse generari, & conseruari animalia, an idem in niue contingat? Respondeo esse disparem rationem; nam nix aliquid calidi continet, neque absolute frigidissima est, quare mistum est, licet imperfectum, non ergo mirum, si in ipsa, præsertim in veteri hoc contingat, vt scilicet vermes quidam generentur, qui sunt rubidi, & hirtos habent pilos, vt habet Arist. lib. 5. de Histor. Animal. cap. 19. Sed hæc iam satis.

Quæ auctor hæc scribẽs obseruauit.

An in niue generentur aliqua Animalia.

Quid alij senserint.

HOmerus non solum aquam nutrire, sed esse τροφιμόταταν affirmauit, & post ipsum Pacuuius Poeta Brundusinus Ennij ex sorore nepos aerem nutrire quibusdam carminibus decantauit in Chryse, sic inquiens.

Hoc vide circumsupraque quod complexu tenet.
Terram, quod nostri Cœlum memorant, græci perhibent æthera
Quidquid est hoc, is omnia format, animat, auget, alit, serit,
Sepelit, recipitque in se omnia, omniumque est idem pater
Itidemque eadem, quæ oriuntur de integro æque eodem occidunt.

Sed dimissis Poetis solidius philosophemur. Hipp. videtur dixisse elementa nutrire lib. 1. de diæta in principio, vbi habet, ignem omnia per omnia mouere, aquam omnia per omnia nutrire, quinimo libro de affect. addebat, non solum aquam nutrire, sed corpori robur addere, veluti caro, & panis. Eandem sententiam videtur habuisse Arist. libro 4. de Gen. Animal. capit. 2. & prima sec. problem. problem. 13. & 15. vbi aquam corporibus esse alimentum confirmat. Theophrastus dilectus Arist. discipulis lib. 2. de caus. plantarum cap. 8. & 15. aquam nutrire plantas testimonio Agricolarum terram aqua irrigantium comprobauit. Celsus lib. 2. capit. 18. aquam modicè nutrire dixit, Galenus etiam pluribus in locis idem confessus est, Plutarchus in quæst. Natur. non longe à principio idem habet, Rondoletius libro primo de Histor. Piscium cap. 12. & 13. Pisces quosdam nutriri aqua patefecit. Sed præter has virorum doctissimorum auctoritates, adest ratio physica; nam mistũ, & simplex coutrariantur adinuicem, ergo vnum potest conuerti in aliud, nam inter contraria est actio, & passio, ergo cum aqua admouetur intus in corpore, quia vadit ad carnem, quę caro est mistum, aqua agit in carnem, ergo potest conuerti aqua in carnem, ergo simplex potest conuerti in mistum, & sic poterit simplex nutrire mistum. Sed facile soluuntur obiecta ex supradictis; nam mundi elementa hæc, quæ videntur vix sunt elementa simplicia, sed permista, quare cum aqua, terra, aer non sint illa simplicissima corpora, de quibus tot, tantaque quæruntur à philosophis, sed alteri naturæ permista, peregrinisque semper materiebus referta, poterunt quandoque nutrire, sed quo pacto de quibusdam elementis hoc contingat, inferius declarabitur. Sic ad Homeri, & Pacuuij auctoritatem respondetur, vel eos poeticè fuisse locutos, Ad Hipp. respondet Marinellus per ignem calorem naturalem intelligere, per aquam humidum radicale.

Solutiones rationum.

Verum si attentè legamus Hipp. in illo toto libro, manifestè videbimus eum loqui de elementis, quare cum prima distinctione dicamus, aquam nutrire, quia non est elementum simplex. Sed de aqua melius infra. Ad Theophrastum, Galen. Plutarchum, &c. eadem responsio valet. Ad rationẽ respondeo, quod caro non conuertit aquam in sui naturam si elementum purum est, quia non est sibi similis aqua, nam caro mistum est, nos verò nutrimur ex similibus, & elementa mista esse iam supra fuit probatum, ergo aqua poterit conuerti à carne in sui naturam, & sic nutrire, quod si concesserimus nihil inde absurdi sequi posse putandum est; nam dicimus aquam conuerti à carne non in sui naturam, sed in exhalationem quandam, & halitum sensilem, & insensilem, sensilem appello egressum ipsius per sudorem, per lotium, vel per alias sordes è corpore exeuntes, & insensilem per poros eius egressum. Sed dices, in misto sunt elementa, vt supra fuit probatum, ergo saltem, vt partes debent elementa nutrire, cum totum non distinguatur à partibus. Nisi esset elementa, vt diximus, non esse simplicia, vel dato quod aliquod reperiatur simplex, nutrire illud ea ratione dicimus, quatenus mistum constat ex his, nec posset vnquam mistum nutrire, nisi ex illis constaret, vt dicere possimus nutrire elementorum aliquod vt quò, mista verò vt quod, vt Scoticè loquar, itaque respondentes non erimus coacti negare elementa esse in mistis, vt perperam Buccaferreus in paruis Natural. qui ob huius argumenti difficultatem confugit ad hoc dogma, elementa, scilicet corrumpi in mistis, & non esse in illis.

Marinellus confutatur.

Obiectio, et responsio.

Sed totã rei summã in hoc argumento video esse cõstitutam in aquæ elemento, ea propter quid de ipsa dicendũ, cũ præsertim iuxta Hip. lib. de Affect. aqua robur corpori addatur, & aqua Tyberis

De Aqua breuiter quid sentiendum.

 pingue-

pinguefaciat equos,& mulos? An dicendum secundum rei veritatem aquam per se non nutrire, si simplex elementum est, sed vocari ab Hip. τῆς τροφῆς ὄχημα, scilicet vehiculum nutrimenti, vt possit nutrimentum melius adhærere, & conglutinari corporis solidis partibus, non secus ac fabri murarij irrigant parietes aqua, vt calx magis adhæreat, quare aqua irrigante facilius nutrimentum conglutinatur, & in hunc sensum aqua corpori robur addere potest, & si quandoque nutrire dicamus aquam, seu nutritioni inseruire, id quandoque accidit in phlegmaticis corporibus, in quibus aqua in phlegma conuertitur, vt optime multis rationibus, probat Augenius tomo 2. epist. 2. libri. Vel ipsum purum elementum non erit putandum, & sic fortassis potest humectare, pinguefacere, & incrassare, vel quia in phlegma conuertitur, & hoc postea nutrit, & pinguefacit. Et si Galenus 5. Aphor. 27. & Arist. prima par. probl. probl. 13. dixerint aquam concoqui, id tamen impropriè tenendum, scilicet potius digeri, sumpserunt enim largo vocabulo coctionem pro digestione, iuxta illud Hip. quod sit vehiculum nutrimenti. Vt ob id ipse Gal. rem hanc de aqua considerans a veritate coactus 4. Apho. 13. testatus fuerit, aquã, neque extrinsecus, neque intrinsecus admotam corporis solidas partes substantificè humectare valere. Quo pacto vero dicatur posse nutrire, supra iam est abunde declaratum, quemadmodum de alijs elementis.

An Elementorum qualitates sint substantiæ, & accidentia.

Theorema X.



QVoniam ijs, quæ sumus dicturi de temperamentorum natura, multum scire conducit, an Elementorum qualitates sint substantiæ, an accidentia, ideo operę pretium facturum esse duximus si breuissimis verbis hoc theorema dilucidabimus, & vt vnicuique notum euadat qualitates Elementorum non esse substantias, sed accidentia, seu passiones hinc sumatur orationis exordium. Elementorum qualitates primas, non secundas intelligo, scilicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, quæ secundũ Arist. in prædicamẽta. Qualitatis reponũtur in tertia specie qualitatis, ergo neutiquam erunt dicendæ substantiæ, idem etiam ex Arist. lib. 3. Metaphys. text. 17. patet, & Auer. libro 5. Physic. 10. & 8. metaphys. 5. passiones, & non substantias vocat. Sed dimissis auctoritatibus ad rationes nostras conuertatur oratio.

Primo, quod vni est substantia alteri non potest esse accidens, quoniam oppositum prædicati non stat eum subiecto, sed in mistis qualitates accidentia sunt, ergo, & in Elementis, Maior est Arist. lib. 1. phys. 27. minor patet, tum Arist. auctoritate lib. 3. metaph. 17. tum etiam sensus experientia, nam hic eodem modo immutatur ab illis, sensus enim tactus necessarius est iudex tangibilium qualitatum, idem enim est calor ignis, & misti secundum speciem, differunt tamen penes moderatum, & immoderatum, vt ex Arist. constat 2. de anima 41.

Secundo nulla substantia sensu percipitur teste Aristot. 3. de anima 10. & 2. de anima 65. sed has qualitates sensus ipse iudicat 2. de gener. & corrupt. 8. ergo neutiquam substantiæ esse possunt.

Tertio, si qualitates elementorum essent substantiæ tunc ad substantiam per se esset motus, quod videtur contra Peripateticorum doctrinam 5. phys. 10. patet consequentia, nam ad caliditatem per se est motus.

Quarto manifestè sequitur in substantia esse intrinsicè contrarietatem, quoniam caliditas frigiditati per se contrariatur, quod est contra Arist. in substantiæ prædicamento.

Quinto si qualitates Elementorum sunt substantiæ, tunc substantia susciperet magis, & minus, quod est maximè inconueniens, patet manifestè assumptum, nam frigidum est magis, & minus frigidum, sic etiam & calidum.

Sexto materia nunquam recipit formas nisi sit bene disposita, ergo, si qualitates sunt substantiæ, tunc materia reciperet formas absque dispositionibus.

Septimo substantia non agit immediatè, sed medijs instrumentis, sed qualitates agẽdo non vtuntur instrumentis, ergo non sunt substantiæ, patet maior ex Arist. in libro de sensu, & sensili, nam ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus. Quare & auctoritatibus, & rationibus clarissimum est, qualitates Elementorum non esse substantias. Sed qui contrariam sententiam tuentur his omnibus rationibus duobus tantum medijs satisfacere conantur, distinguentes, primo de actu primo, & secundo, concedunt qualitates pro actu secundo esse accidentia, negant pro actu primo, distingunt etiam de substantia perfecta, & imperfecta, quare dicunt substantiam perfectam non percipi a sensu, hanc non suscipere magis, & minus, ad hanc non esse motum, hanc immediate non operari, hanc tandem non recipere formas absque dispositionibus, sed imperfectã esse omnino idoneam ad hæc, quæ diximus, quibus duobus medijs omnes difficultates subterfugere sibi persuasere. *Responsio Aduersariorum.*

Sed hi certè incidunt in Scyllam cupientes vitare Charybdim, vt est in adagio, nam exẽplo sit: vna qualitas scilicet caliditas tunc pro actu primo (inquiunt isti) substantia est, caliditas verò pro actu secundo, scilicet pro calefactione est accidens, sed contra, nam hoc principium calefaciendi erit ipsa forma ignis, nam principium operationis cuiuscunque rei ex philosophiæ veris fundamentis est forma, & essentia rei, quare credentes hi nouam in medium afferre doctrinam, a nostra sententia minimè discrepant, nam qualitates pro actu primo vocantur illis ipsemet formæ Elementorum, quæ per nos substantiæ sunt. *Cõfutatio.*

Contra secundum, nam magis, & minus non variant speciem, sed omni generi substantiæ competit non suscipere magis, & minus, vt supra vidimus, ergo falsum est eorum medium. Quare inconcussa,

concussa, firma, & stabilis remanet hæc iacta sententia, scilicet qualitates Elimentorum non esse substantias, sed accidentia.

Quid alij senserint.

VIdetur posse colligi ex Arist. 2. de gen. & corrupt. tex. 7. & libro 4. meteor. 1. qualitates elementorum esse formas, vocantur enim vtrobique principia elementorum Galenus libro 1. de elementis, cap. 8. & 9. & libro quod animi mores corp. sequantur temper. cap. 3. & libro de nat. humana idem confessus est. Aphrodisæus libro 3. quæst. natural. cap. 14. & primo quæst. natur. cap. 6. & 12. libro Metaphys. cap. 12. idem asseruit, Olympiodorus lib. 4. Metheor. cap. 1. Simplicius lib. 1. phys. tex. 11. Ammonius in prædicamentis cap. de substantia. Io. Grammaticus libro 2. de gene. & corruptione 49. 129. 157.

Sed missis auctoritatibus idem ratione probatur. Et primo nam nulla apparet operatio in elementis præter qualitates, ergo qualitates sunt formæ elemeutorum, huiusmodi argumento vtitur Arist. argumentans contra Plat. lib. 2. de anima 124. demonstrans in plantis non esse sensum, nam nulla apparet in illis operatio sensitiua præter vegetationem, & hoc est Achilles Matthæi Curtij in hac materia asserentis qualitates elementorum esse formas. *Achilles Curtij.*

Secundo idem est principium distinguendi, & essendi rei, sed primæ qualitates sunt principia distinguendi vnum elementum ab altero, ignis enim distinguitur ab aqua, quia hic calidus est, & siccus, illa frigida, & humida.

Tertio ponatur siccum terræ agere in humidum aeris, & corrumpere humidum, & introduci siccum in aerem, & calidum aeris agere in frigidum terræ, & fieri ignem, tunc caliditas, quæ erat in aere remanebit sine subiecto, & forma, & sic accidens esset absque subiecto, quod est absurdum.

Quarto tunc agens generans corrumperetur, quod sic probo, ponamus ex duobus elementis scilicet ex Terra, & Aere gigni ignem, tunc ad ignis generationem corrumperetur, & forma Aeris, & forma Terræ.

Quinto illud est substantia alicuius, quo posito ponitur, & quo ablato aufertur, sed posita caliditate in igne, & frigiditate in aqua ponuntur ignis, & aqua, ergo caliditas, & frigiditas sunt formæ ignis, & aquæ. Sed his omnibus sic respondetur. Ad omnes Arist. & aliorum auctoritates respondetur per principia intellexisse principia non intrinseca, & vera, sed circumscriptiua, & dispositiua. Idem de Olympiodoro, Io. Grammatico, Ammonio, & Simplicio fatendum, & si aliam habuerint sententiam, non recipio. Alexander Aphrodisæus, an verè senserit qualitates elementorum esse formas est sub iudice lis. Iandunus libro 4. phys. quæst. 4. negat esse huius opinionis, Archangelus Mercenarius affirmat. Ego tamen magis in Ianduni opinionem abierim, quam in Mercenarij, & falso Auer. lib. 8. metaphys. 5. & lib. 5. phys. 10. Alexandro adscribit hanc opinionem, nam tract. de mistio ne fecernit qualitates a substantia, & idem rursus in paraphrasi de anima cap. de substantia animæ rationalis confirmauit, & libro de sensu, & sensil. cap. 4. explicans illam Arist. famosam propositionem, Ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus clare confessus est, qualitates esse distinctas a substantia elementorum, nam substantiæ nihil, inquit, esse contrarium, agere verò, & pati sunt a qualitatibus, & si quandoque Alexander dixerit, qualitates elementorum esse formas, & differentias, hoc secundum quandam rei similitudinem est accipiendum, non secundum rei veritatem, & ad aures ipsius, vt loqui visus est quandoque Arist. in libro 2. de gen. & corrupt. tex. 7. Idem etiam de Galeno dicendum. *Responsio ad Argumentum.* *Quid de Alexandro sentiendũ.*

Ad rationes, Ad primam negandum venit assumptum, nam in igne præter caliditatem, & siccitatem alia reperitur operatio, quæ est formam substantialem inducere, & ignem parere, quæ a forma substantiali proueniunt, & licet ignis hæc opera per calorem exercere videatur, id tamen est secundario, & instrumentaliter, quoniam forma substantialis ignis caliditate vtitur, vt instrumento ad generandum ignem, sicut in animalibus anima calore vtitur ad procreandum animal.

Ad secundum responsio fit, qđ esse principiũ quo stat aliquid dupliciter intelligitur principale, vel instrumentale, primũ est forma ignis, secundũ est forma accidentalis, potest autem ignis cõparari ad duos effectus, ad ignem productum, & tunc ignis est principale, & ad caliditatem productam, & est instrumentale, si enim ignis solam caliditatem produceret, & nõ formam ignis, seu igneitatẽ, vt ita loquamur, oporteret igneitatẽ deforis venire, & non educi de potentia materię, quod est contra totam philosophiam.

Ad Tertium dicatur illo tunc introduci formam ignis, & sic non esse necesse remanere caliditatem sine forma, & subiecto.

Ad quartam concedatur totum, nam sic poscit ordo vniuersi, vt generatio vnius sit alterius corruptio.

Ad quintum respondet Auer. libro 8. metaphys. com. 5. illud est forma alicuius, quo posito primò ponitur, modo posita caliditate, & siccitate non primò ponitur ignis, sed eius forma scilicet igneitas. Sed contra responsionem Auer. nam posito habere tres statim, & primo ponitur triangulus, deinde Isosceles, & iamen habere tres non videtur esse forma trianguli, sed proprietas. Respondetur, quod posito habere tres non ponitur primo trianguls, sed ponitur forma trianguli, nam habere tres angulos æquales duobus rectis est proprietas insequens formam trianguli, quemadmodum non posito risibili, primo ponitur homo, sed forma hominis, quare non currit instantia facta, & hęc hactenus circa elementorum naturam in vniuersum. Hic multa missa facimus Theoremata, eaque pulchra, & curiosa, nam nimis in longum nostra protraheretur oratio, & phylosophicas potius partes exercere, quam medicas videremur, eoque magis, quia testabatur Gal. lib. 8. de Hip. & Plat. pla. cap. 3. scire ad morborum curationem non conferre, cur humectet aqua, vel cur fluat, & sursum feratur *Instantia.* *Responsio.* *Multas quæst. reliquit auctor circa naturam elemẽtorum.*

feratur ignis, nos quoque addimus, & alia, an scilicet elementa possint augeri in infinitum, quantum in ipsis est, an elementa moueantur secundum locos a se ipsis, an ab alijs, an elementorum alterum altero sit magis necessarium, an elementum terræ habeat pro loco suo superficiem aquæ, an centrum, an qualitatum elementorum duæ sint actiuæ, & duæ passiuæ, an omnes actiuæ, an qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei, an quodlibet elementorum ex quolibet immediate generari possit, an ex duobus elementis fiat tertium, an symbola facilius mutentur, quam asymbola, an elementa moueantur in vacuo si reperietur, sed de his alias.

An aer sua natura sit calidus, an frigidus.

Theorema XI.



PRæsens disceptatio fuisset a nobis silentio inuoluta, nisi olim nostras quidam medicus ea de re nobis occasionem quandam exhibuisset, qui totis viribus in publico quodam virorum cætu Valletij, seu ante ipsum Thomæ de Garbo opinionem esse veram, immo verissimam de aeris natura autumauit, verum quoniam si rationibus egisset, vel saltem ijs quas affert Vallesius, vsus fuisset, perperam Hercle non fecisset, sed quoniam gratis loquebatur, ideo eius sententiam paruifeci, meliorem aliquando nactus occasionem illam euersurus. Vt igitur ad Theorematis discussionem accedamus, breuiter prius sciendum, aerem nunquam frigidum esse putandum, sed calidum, & qualitatum expertem non esse, vt Vallesius auctumauit. Aer igitur calidus est, & auctoritate, & ratione, Auctoritas prius sit Hip. libro de carnibus in principio, asserentis aerem calidum quid, & humidum, mediumque tenere locum, Arist. libro 1. de gen. & corrupt. 22.23. & 24. & lib. 2. de gen. & corrupt. 16. inquit, aerem esse veluti euaporationem quandam, quæ extenuata, solutaque a calore aer efficitur, & est communis, & omnium Arist. interpretum, & ferè omniũ medicorum, & philosophorum.

Sed ad rationes descendamus, Prima, leuitatem, raritatem, & tenuitatẽ calorem argumentari necesse est, quis enim est sanæ mentis ille Philosophus, qui hoc neget? Cum igitur sensu ipso auctore hæc omnia sint caloris effecta, quæ omnia sunt in aere, ergo aer calidus dijudicandus.

Secunda ex vniuersi ordine, ac necessitate aer erit calidus putandus, & tenendus, elementa enim duo habent, vnum quod adinuicem transmutentur, & alterum, quod cum partes sint vniuersi, sedemque determinatam habeant, vnum alterius locus existit, de ratione primi contrarij aduersisq́ue qualitatibus esse prædicta opus fuit, nam omnis transmutatio fit ratione contrarij, de ratione secundi in aliqua qualitate communicare, atque consortes esse oportuit, quia cum locus sit conseruatiuus locati ex libro 4. phys. 48. conseruatio fieri debet a simili, non a contrario, nam similia similibus conseruantur, contraria contrarijs curantur, ad hanc quidem rationem, quæ finitima, & vicina sunt elementa sic sunt adinuicem disposita, vt vnam similem, alteram qualitatem contrariam habeant, vt ratione similis qualitatis, vnum alterius locus esse possit pro vniuersi perfectione, ratione contrariæ inuicem transmutantur, quod si communem tantum habeant qualitatem, vnum quidem alterius locus existeret, sed inuicem non transmutarentur quidem si vnum alterius locus esse non posset, vnde aer igni contiguus ratione loci consimilem habet qualitatem, scilicet caliditatem, propter actionem, & transmutationem contrariam habet humiditatem, cum aeris humiditate conuenit acqua, dissidet frigiditate, & sic de cæteris philosophandum, quare patet aerem esse calidum.

Tertia si esset frigidus, vt stoici, & Empedocles existimarunt, tunc inter aerem, & aquam non esset generatio, nam cum transmutatio fiat ratione contrarij, sic aer, & aqua frigiditate, & humiditate conuenirent, & inter ea non reperiretur contrarium, igitur in ea, neque generatio, neque transmutatio, quod est contra Arist. rationem, & experientiam, nam omnia elementa sunt transmutabilia adinuicem. Nec valet, quod Stoici de oleo afferunt, nam etsi oleum etiam teste Arist. sit aereum, cum supernatet, tamen non congelatur verè a frigore, sed potius consistit; & incrassatur, & quia est viscosum, & crassum celerius vincitur a frigore, quam aqua, non tamen ex hoc est arguendum ob id esse frigidum. Tandem experientia probatur, aerem esse calidum, nam in hyeme experimur, cum ingredimur in clausum cubiculum ibi aerem non esse frigidum, sed calidum, ergo signum est ex sui natura esse calidum. Probatum igitur sit auctoritate, ratione, & experientia aerem esse calidum. De eius humiditate non est controuersum apud auctores.

Quid alij senserint.

LEgimus apud Arist. libro 2. de gen. & corrupt. ex mente Empedoclis aerem esse frigidum, & ipsemet Arist. libro 1. de gen. & corrupt. 34. & libro 2. de gen. & corrupt. 31. aerem frigidum appellat. Seneca libro 2. quæst. nat. cap. 10. eandem insectatur opinionem, Gal. etiam libro 8. de vsu part. 3. aerem esse æstiuo tempore cerebro nostro frigidiorem testatur, sed cerebrum est natura sua frigidum, ergo aer ad Gal. mentem frigidus erit. Cardanus etiam libro primo subtilitatum 3. & ante ipsum Thomas de Garbo in sua summa priori parte quæst. 2. potius frigidum, vel nullius qualitatis participem faciunt. Sed præter has doctissimorum virorum auctoritates adsunt rationes, & experientiæ.

Primo, videmus aerem per leuem infrigidationem verti in aquam, ergo aer erit frigidus.

Secundo quo magis ascendimus in aerem, maiorem sentimus frigiditatem.

Tertio per inspirationem sentimus maiorem refrigerationem, ergo aer erit frigidus.

Quarto flabello refrigeramur, ergo aer frigidus.

Quinto

Quinto quod est dimissum suæ naturæ,& redit ad frigiditatem est frigidum,sed aer est huiusmodi,nam cum est calidus redit frigidus,ergo.

Sexto vniuscuiusque natura perfectior,& purior debet reperiri in sui meditullio, quam in extremis,sed medium aeris est frigidum,vt ex niuibus,grandinibus,& c.apparet.

Septimo media aeris regio frigida semper est, nam ibi fiunt niues, pluuiæ, grandines, ergo violentum erit perpetuum,nam illa perpetuò durabit ad aures Arist.sed nullum violentum est durabile primo Cęli,ergo. Alij,vt hisce tricis,& labyrinthis se liberent, autumnarunt aerem sua natura, neq; calidum,nec frigidum esse,sed esse qualitatum expertem,& quamuis posse suscipere naturam, vt Vallesius libro 1. controuer.3. & ante ipsum Thomas Garbius tenent idem,quod sic probāt,nam quod facile est ad alterutrum extremorum transmutabile,illud vtriusque est expers,nam quod contra alterū suam naturam est effectum, difficilè ad aliud, quod est illi contrarium trahitur,& ob id temperata corpora sunt ad contrarias mutationes idonea,vt inquit Arist.5.part.probl.problem.22. Sed aer facile leui ex causa de calido frigidus,de frigido calidus euadit,ergo. Sed his non obstantibus verum remanet iactum Theorema,aerem scilicet sua natura esse calidum. Ad obiecta,& primo ad auctoritates dicatur, vel Arist. locutum fuisse ad mentem Antiquorum,quos non tenemur defendere, maxime Empedoclem, qui versibus philosophiam conscripsit, vel Arist. loqui de hoc nostro aere,qui facilè,ob peregrinam,quam habet impressionem, cum sit impurus,fit frigidus. De Seneca respondet Conciliator,quod errauit,vt moralis. Ad Gal. dicimus, vel non fuisse locurum ad mentem suam,vel nullibi manifestè dixisse aerem esse frigidum. Ad illud de cerebro,non colligitur in Gal. doctrina aerem esse frigidum, nam cerebrum in actu adhuc est calidum,dein Gal. comparatiue loquitur, non excludens ab aere caliditatem, sed inquiens, cerebrum habere maiorem caliditatem, quam aerem, inquit enim,tactus noster calidius semper inuenit cerebrum,quam ambientem nos aerem. *Solutio rationum.*

Sed ad rationes modo respondeamus, Ad primam dicimus,non esse mirum,si aer per leuem infrigidationem conuertatur in aquam, nam hic aer,qui est in hac prima regione non est syncerum elementum,sed habet admistam etiam frigiditatem cum humiditate.

Ad secundam dicendum,si hoc non est ad maximam distantiam esse in hyeme,quia aer est frigidus ab extrinseco,& radij solares tepercussi in terra non ita calefaciunt tantam aeris distantiam, si verò est ad maximam distantiam hoc est, quia accedimus ad secundam aeris regionem, quæ est frigida.

Ad tertiam respondetur per expirationem remitti vaporem calidum, per inspirationem introduci aerem,qui non est ita calidus,vt vapor emissus,& ideo refrigerat.

Ad quartam dicatur, aerem, qui est propè nos, ratione nostræ expirationis,& euaporationis esse calidum,illum verò,qui venit ad nos esse minus calidum, & minus calidum respectu maioris calidi videtur frigidum, nouus enim semper introducitur aer, & ideo frigidus, vel dicendum, quia per flabellum vnitur aer,per vnionem autem causatur aliquid in aere frigiditatis, quia sicut rarefactio est causa caloris,ita condensatio est causa frigoris.

Ad Quintam supponit falsum,scilicet aerem natura sua esse frigidum,quod erat probandum.

Ad sextam respondet Conciliator negando maiorem, exemplificando de pulsu medio inter fortem,& debilem,& tamen fortis est melior,& perfectior debili, vel aliter dicendum valere maiorem si esset medium per æquidistantiam a calido.

Ad vltimum de aeris media regione dicendum, non esse extreme frigidum illum aerem, sed aliquid habere caloris, licet pusillum,esse autem frigidum inferioris,& superioris aeris comparatione. An autem cum hoc debili calore possit semper durare aer,quia esset ei res violenta,& contra sui naturam dicere non audeo, nam secundum speciem durare potest, non autem in numero, vt semper sit vnus aer, nam cum ad multam venit frigiditatem, quam sua natura insita non fert condensari, putandum est,& fieri aquā. Quare locus ille perpetuò frigidus est,non sine debili,& pusillo calore, non tamen semper hic aer in numero,sed hic, & hic in spetie,cum alius, & alius accedat, cum alius alteretur,alius corrumpatur, & alius in nubem vertatur, & ne detur vacuum alius vel a supera, vel ab infera regione continuatur,quare dicimus, veram esse Arist. propositionem,nullum violentum durabile in specie, non in numero. Patet etiam experientia, aerem secundæ regionis non esse multum calidum, nam accidit quotidiana experientia, multos secundam aeris regionem pertransisse, cum altissimos peterent montes, neque multum frigidi persensisse in æstate, animaduerterunt ipsi postea secundam transisse regionem,quia redeuntes in montium dimidium,& appendicibus multam aquam inuenerunt, quæ ab aere deciderat. Si dixeris non persentiri frigiditatem in ascensu montium ad secundam aeris regionem ob radios Solis repercussos a terra eorundem montium,sed tamen si non ascenderes per montes absque eo quod per terram pertranseas, tunc valde esset frigida aeris secunda regio. Sed hoc non obstat, nam ob eandem rationem non deberent generari nubes propè montes, quia non poterit esse tanta frigiditas,vt condenset. At quotidiana videmus experientia maiores generari nubes propè montes,quam alibi, ergo non est ratio sufficiens, quæ obscuret frigiditatem secundæ regionis aeris. Non negamus tamen ob hanc causam minorem debere nos percipere frigiditatem,cum semper aliquid agat caliditas illa repercussa à montibus. Quare concludatur non esse frigidissimam aeris secundam regionem, vt nonnulli contendunt. Est adhuc tenuis,& rarus ille aer, quæ non omnimodam frigiditatem argumentantur, calorem aliquem adipiscitur à contactu superioris aeris. Adde etiam nam transeunt per eam exhalationes calidæ,& siccæ ad tertiam aeris regionem. Defectum habet certè maioris caloris,nam ad illam partē non perueniunt radij solares à terra repercussi,nec à Cęli motu diurno circumfertur aeris secunda regio, vt male Zabarella libro de regionibus aeris. Omnia enim elementa quamuis natura eorum habeant qualitates insitas, & congenitas, & naturales, tamen seruantur illæ à Cælesti latione lumine,& motu libro 2. Cęli,& Mundi 42.& lib. 1.metheor. dicebat,vt inde omnis virtus gubernetur,oportuit, mundum hunc superioribus lationibus esse contiguum, vel priuatione luminis, & motu qualitates elemen- *De Aeris secūda regione quid sentiendum.* *Obiectio.* *Solutio.*

elementorum refranguntur, vt accidit in secunda aeris regione, qui aer sua natura calidus dicitur, tamen frigidus respectu superioris, & inferioris plagæ, quarum infima a radijs solaribus in calore conseruatur, & supera à motu, media verò neutrum habet, ob id minus calida putanda. Nec propterea ex his colligendum erit, secundam aeris regionem non esse posse idoneam causam generationis nubium, imbrium, cum ibi non sit extremissima frigiditas, nam vapor à terra eleuatus ab hac infima aeris regione calidus ascendit ratione radiorum ad secundam aeris regionem, ad quam, vel parum antequam perueniat, vel ibi præcise incipit eum calor deserere, ille autem à sua natura, & à loci frigiditate adiutus condensatur, & in nubem vertitur, & iterum in aquam, & deorsum vertitur. Sic igitur sit de secunda aeris regione determinatum. Sed quid tandem de vltima opinione Thomæ de Garbo, & Vallesij sentiendum. An ex dictis etiam falsam esse conuincitur? Vnde non possum non magnopere admirari Vallesium, qui volens, vt ipse credidit, sibique tribuit, nouam, sed meo iudicio veterem opinionem insectari, in eam deuenit demẽtiam, vt aer nullius qualitatis sit apud ipsum. At turpe quidem est absque fortissima causa derelinquere præceptores, scilicet Hip. & Arist. Sed quid hos dico, rationem, & experientiam aerem calidum attestantes? Sed forte similes desiderant habere labra lactucas, vt ait adagium. Eapropter eorum soluatur ratio, & finis præsenti theoremati imponatur. Dicamus igitur aerem non ob id, quia ad alterutrum contrariorum est transmutabile, non esse sua natura calidum, nam hoc non ab eius temperie, seu temperamẽto æquali, vt supponit argumentum ei peruenit, sed à raritate, & subtilitate, qua fruitur, quare natura sua non est talis, vt qualitatum sit expers, sequitur tamen bene, quod minus sensibiles qualitates habeat oportet, vt de elementis medijs solidissimè philosophabatur Aristot primo phys. 54. quare propter debilem caliditatem, & multimodam varietatem, videtur neque calidus, neque frigidus, sed tamen determinatur natura sua ad caliditatem. Nec argumenti maior vera omnino putanda erit, nam infantes etiam facilè ad duo extrema, & contraria mutantur scilicet ad fletum, & risum, non ob id tamen arguendum erit ipsos sua natura non esse risibiles, qua homines sunt, sic etiam de aere philosophandum. Obijcies, risum, & fletum non ea ratione contrariari ad inuicem, vt frigiditas, & caliditas, cum hæc sint contraria pugnantia adinuicem, & contendentia de possessione subiecti, illa verò nequaquam, sed sat erit sufficere mihi esse contraria, ratione cuius contrarietatis militat argumentum.

Vallesius cõfutatur.

Sit ne Aqua frigida an calida.

Theorema XII.



O Miseras hominum mentes, ò pectora cæca; Vt rectè cum Propertio Poeta loquar. Tanta enim est humani ingenij caligo, tanta philosophorum, ne dicam pseudophilosophorum vanitas, licentia, proteruitas, vt nil fingi, aut mente cogitari tam absurdum, incompositum, inopinabile, & ab omni vera ratione abhorrens, quin aliquando aliquem istorum pseudophilosophorum fautorem, & defensorem aliquando habuerit, quod ex hoc vno cognosci facilè potest, vt vel inanis gloriæ aucupandæ causa, vel nouitate dogmatum neotericus, quidam philosophus natione Calaber, patria Consentinus, nomine Berardinus, cognomine Telesius, in eam sententiam, seu potius dementiam deuenerit, vt rationes spernere non contentus, sensum ipsum ore aperto denegare fuerit ausus aquam scilicet asserens esse calidam. O miram quidem ingenij audaciam, tantorum sęculorum dogma firmatum, Hip. Platonis, Arist. & Gal. & omnium sapientissimorum virorum auctoritate munitum, ratione duce, & experientia comprobatum paruipendere, nonnullisque leuibus, ac apparentibus rationibus euertere. Sed si hoc peruersum dogma medicinæ fundamenta stabilita non peruerteret, cum aquã tanquam febribus contrariam in dies exhibeamus, ab hoc certè theoremate supersedissemus, ac tanquam hęresim in philosophia, & medicina redoleat, abhorruissemus. Eapropter, vt tutò medici missellis ægrotis aquam suo tempore, & mensura tanquam febribus contrariam, eosque extinguentem exhibeant, hoc theorema discutiendum breuibus proposuimus. Pateat igitur, auctoritate Hip. lib. 1. de diæta, & lib. 3. de morbis, & alijs in locis, aquam esse frigidam, Arist. primo de Gen. & Corrup. 23. & alibi, & Gal. sexcentis in locis idem confirmauit.

Sed quæso sensus, & experientia accedant. Mitto nunc rationem ex qualitatibus elementorum desumptam, nam hyeme frigidam aquam experimur, & aerem per frigiditatem in aquam conuerti de facile, ex causa etiam materiali, scilicet vapore, qui est substantialiter aqua, & tandem aqua calefacta reducit se ad pristinam frigiditatem, & ad maiorem quam sit ambiens. In dies etiam illam fęlici successu febribus acutis exhibemus. Frigida ergo est aqua, & qui negat sensum indiget pęna sensus, dicebat Arist. libro 1. Topicorum cap. 9. Vnde Telesius sensu tactus orbatus esse debebat, vt verè paralyticus dici potuisset, quod credo ei contigisse, cum per Neapolim celeberrimam omnium ciuitatem olim vigente hyeme obambulans inciderit in multam aquæ quantitatem, vbi an calida, an frigida fuerit, ipse si viueret, dicat, & pulchrè certe dixit Auic. libro suo Metaphys. eos, qui negãt euidentia, & clara, non esse rationibus defatigandos, sed igne tandiu torrendos, quoad fateantur non idem esse vri, & non vri, dolere, & non dolere, & Scotus lib. primo Sent. d. 39. facetè dixit, eos, qui negant contingentiam, & clamant omnia necessario euenire, tormentis exponendos esse, & tamdiu cruciandos, donec contedant possibile esse eos non torqueri, ita & Telesio, si enim aquæ nudus immersus fuisset, veluti veste amictus in illam incidit, illico, crederem, clamaret, foras vt exeat ob aquæ magnam frigiditatem.

Dictorium in Telesiũ.

Quid

Quid alij senserint.

MVltis medijs, multisque vijs Telesius libro 3. cap. 25. iuxta sua propria principia nixus est mortalium animis persuadere aquam esse calidam, ex ortu aquarum, ex constitutione, actione, passione, dispositione, specieve, & operatione.

Primò igitur arguit ex materiali causa pluuiæ, quod argumentum ex ortu ipse appellat, vapor, ex quo fit pluuia est calidus, ergo aqua calida, antecedens est ex ipsomet Arist. in Metheor.

Secundò ex causa efficiente pluuiæ argumentatur, & secundum ipsum vocatur argumentum ex constitutione, Aer est calidus, & humidus, ergo & aqua, nam aer est causa efficiens pluuiæ, scilicet secunda aeris regio, ibi enim conspissatur vapor, qui in nubem vertitur, ex qua gustatim fluit aqua, & confirmat eo argumento, nam in Arabia non fiunt pluuiæ nisi ex ventis etesijs, qui sunt calidi, ergo, & aqua calida, idem etiam patet ex Chymicis, balneis, & ollis, vbi generatur aqua ex fumo, & vaporatione calida, & cooperculis calidis.

Tertio ex actione aquæ est immittare gustum, sunt enim exempli gratia sapores in duplici differentia, alij blandi, & mites, & gustui iucundi, alij mordaces, & nociui, & omnino lædentes sensum gustus, modo videmus saporem dulcem, præpinguem oblectare gustum nostrum, qui sunt sapores calidi, & non frigidi, nam dulcia sunt naturæ amica, & familiaria, austeros verò, & acerbos, & mordaces sapores videmus afferre læsionem, & mordicationem sensus gustus, qui sapores sunt frigidi, & non calidi. Modo clarissima, & sensata experientia videmus aquã oblectare sensum gustus, ergo existimandum erit ipsam esse calidam, nam dulcis.

Quarto ex passione, videmus enim aquam à calore recipere perfectionem, tenuis enim redditur, ac subtilis, & magis trasparens, contra à frigore penitus immutatur à sui natura, & si quãdo diutius manet, vt in montibus accidit, conuertitur in terram, cum ergo à calido perficiatur, aquam esse calidam tenere debemus, nam à frigore passionem patitur destructiuam, à calido verò perfectiuam.

Quinto ex dispositione arguit, quæ sunt tenuia sunt calida, aqua tenuis, ergò.

Sexto argumentatur ex specie, seu apparentia, aqua lucida est, ergo calida, tenet consequentia, vero existente antecedente, quod ipse probat, nam lux est facies caloris, in aqua aliqualis lux, ergo aliqualis calor.

Septimo ex operatione, quod semper mouetur calidum, aqua semper mouetur, ergo, maior clara, nam mobilitas caliditatem, immobilitas frigiditatem ex primo metheor. cap. 4. arguit. Verũ etsi hæc argumenta prima facie videantur esse aliquid momenti, & quidam demonstratiua esse glorientur, & sensu, & experientia petita, tamen rectè philosophanti non erit difficile illa persoluere. *Soluuntur rationes.*

Ad primum ergo dicamus, aquam produci ex vapore tamquam ex materia transeunte, non tanquam ex materia manente, & ideo calida aqua non erit tenenda, nam etsi vapor calidus ascendat, tamen cum ad quendam locum incipit peruenire caliditatem, incipit ammittere, deinde sua natura, & loci conditione condensatur, ex quo nubes, ex qua aqua. Ad experientiam de ventis etesijs dicimus, verum esse illos ventos in Arabia deferre pluuiam, nam ibi alio modo non pluit, verum illos non esse causam proximam pluuiæ, sed esse nubem, quæ à vapore, &c. quare aqua non erit calida.

Ad secundum argumentum ex natura aeris desumptum, iam quid sit dicendum patuit theoremate superiori, vbi aerem calidum esse probauimus, & quid de secunda aeris regione sit dicendum explicuimus, vt non oporteat eadem semper repetere.

Ad tertium dicimus Telesium vnum falsissimum supponere, omne scilicet calidũ immutare blandè sensum gustus, quod est falsissimum, nam salsi sapores sunt calidi, & blande non immutant sensum gustus: Ad punctum ergo argumenti respondemus, aquam immutare sensus gustum non ob aliud nisi ratione mollitiei, nec verum est, placet gustui, ergo calida, nam tunc sequeretur, quod aqua quo magis calida eò deberet magis placere, quod est absurdum, nam etiam aqua tepida displicet, tanto magis calida, ergo ideo placere videtur, quia explet sensus appetitum, sitis enim est frigidi, & humidi appetitus ex 2. de anima 28. Deinde addo, aliud est elementa esse pura, & aliud impura, fortassis aqua non est elementum purum, vt supra visum est, quare nõ est mirum si quo quo modo immutat blande sensus gustum, nec ob id simpliciter calida erit, & in prædominio.

Ad quartum dicimus, aquam non ob id esse calidam, quia condensatur à frigido, nam non per accidens condensatur ab illo, quatenus in ipsa est quid terrei admistum, ratione cuius condensatur.

Ad quintum falsa est maior, nam aqua non est tenuis, immo crassa, & Hip. lib. de carnibus crassissimum quid aquam appellauit.

Ad sextum dicimus esse falsum, & negandum antecedens, nam aqua est ascolor, & mare rubrum appellatur, non quod aqua eius re vera sit rubra, sed quod eiusmodi appareat à subiectæ arenæ rubedine, vel Solis repercussu, siue quod magis placet, imitatione Græcorum, qui mare hoc Erithræum appellarunt ab Erithrea Rege Persei, & Andromedis filio, qui in ea ora imperauit.

Ad septimum dicendum aquam non moueri quia calida, sed quia grauis, & humida, omne enim graue cupit descendere, & quamuis aqua maris videatur moueri, hoc est per accidens, scilicet ratione ventorum, quare aqua frigida erit, & hæc satis.

Quæ

Quænam sit optima Aqua.

Theorema XIII.



NOn curiosum modo, sed satis vtile nobis videtur præsens theorema, dicebat nanque Hip. libro de aere, locis, & aquis oportere medicum cognoscere facultates aquarum, quemadmodum enim gustu differunt, & pondere, & statione, sic quoque virtute, alijs aliæ longè præstant, & omnis itus Plinius lib. 31. cap. 3. dicebat, multum vitæ interesse hoc theorema dignoscere. Eapropter nos breuibus, quæ fuerit nostra sententia, exponamus. Probabimus igitur nos, & auctoritate, & ratione aquam fontis esse optimam, & cæteris alijs meliorem, & ob id languentibus cæteris omnibus esse præferendam.

Primo patet auctoritate Gal. primo de san. tuenda cap. 11. & primo de simpl. med. fac. cap. 4. & 5. & libro 10. meth. med. c. vltimo, & libro 4. de san. tuend. cap. de confec. oximellitis, quibus omnibus in locis extollit ad cęlum aquam fontis. Sed accedamus ad rationes, quarum prima petatur ex sacrosancta scriptura, nam Deus opt. Max. sitienti populo Israelitico ex precibus Moisis dedit aquā fontis, & non pluuialem, nam lapis scaturiuit aquam, non ne poterat Deus pluere, & omnes illas gentes satiare. Sed quia viderat Deus Opt. Max. nobiliorem esse aquam fontis aqua pluuiali, ideo illam dedit.

Secundo illa aqua est melior, quæ non est admista cum peregrinis materiebus, sed aqua fontis est huiusmodi, nam pluuialis fit ex vapore, seu exhalatione, magis tamen ex vapore.

Tertio quodammodo aqua cisternæ fit ab arte, cum ab arte conseruetur, nisi enim ars conseruaret illam, illa careremus. Sed nobilior est illa aqua, & melior, quæ fit à natura, quam illa, quæ conseruatur ab arte, & quamuis aqua pluuialis sit etiam à natura, tamen habet peregrinas materias, quibus caret aqua fontis, cum fiat, & coletur sensim, atque gustatim ex appendicibus montium, in quorum concauitatibus gignitur aqua fontis? Tandem ex qualitatibus aquarum sumatur argumentum hanc nostram sententiam confirmans. Certissimus iudex bonitatis aquarum sensus ipse est ex Gal. libro 1. de simpl. med. fac. cap. 5. & libro 6. epid. com. 4. text. 10. & lib. 1. de san. tuen. c. 11. Quatuor autem sensus exteriores concurrunt ad hoc iuditium faciendum, scilicet visus, olfactus, gustus, & tactus, vnde aqua à visu non limosa & obscura, sed clara, & transparens videri debet, non debet olfactus fætidam illam dijudicare sulphuream, nec bituminosam, nec nitrosam, gustui non debet esse amara, salsa, austera, pontica, &c. & ob id dixit Arist. lib. de sensu, & sensili cap. 4. aquam debere esse insipidam. Tactus ipse non crassam, & limosam illam dijudicare debet, sed tenuem subtilem, non crudam, nam debet esse vehiculum nutrimenti, si esset cruda, & crassa non pertransiret, inflaret præcordia, cito debet calescere, & refrigerari 5. Aphor. 26. in ipsa cito debent legumina incoqui ex libro 6. epid. com. 4. text. 10. Aqua igitur, vt sit optima debet esse leuis, & non multum ponderosa. Quare non laudo id, quod dicit Plinius libro 31. cap. 3. scilicet, quod aquæ omnes sunt similes in pondere, ita vt hoc signum à pondere non faciat ad bonitatem, vel malitiam aquarum secundum ipsum, cum tamen ex quotidiana experientia hoc falsum esse pateat. Addo præterea Pauli Aeginetæ auctoritatem, qui libro 1. cap. 50. post alias conditiones laudat aquam leuem esse, verum huic soli conditioni non est confidendum ex Paulo. Quinimo etiam addo ex Athenæo, qui libro 2. inquit, aquam Peirenes fontis in Corintho appensam leuiorem fuisse deprehensam reliquis omnibus totius Helladis, & Seneca libro 3. 9. num. cap. 2. recipit hanc conditionem inter aquarum bonitatem. Vnde optima censenda erit illa aqua, quæ non sit limosa, crassa, obscura, viridis, stagnans, & palustris, sed clara, transparens, non debet esse fætida, sulphurea, butiminosa, nitrosa, amara, austera, salsa, sed subtilis, tenuis, & leuis, & dulcis. i. familiaris, & cum Galeno lib. 6. epid. com. 4. text. 10. non debet producere morbos endemicos, vt habitantes montes transalpinos ob aquarum fortassis prauitatem habent Βρογχοκήλας. i. gutturis tumores, sicuti etiam idem contingit quibusdam populis Calabriæ, quarum omnium conditionum maiorem partem hæc carmina continent.

Plinij lapsus.

Optima aquæ conditiones.

Sic aqua clara fluat, qualis nitidissimus aer,
Dulcis, & exigui ponderis, & gelida,
Et tenuis currat, nullo purissima limo,
Sitque sapor nullus, sit procul omnis odor.
Frigescat breuiter, modico simul igne calescat,
Vtilis, & duris apta leguminibus.
Hanc mihi si quis aquam dederit vinosa valete
Pocula, nara, vincit optima lympha merum.
Atque Deorum certè præstat Nectar amatum.

De huiusmodi aqua exclamabat lepidissimus Poeta Pindarus, ἄριϛον μὲν ὕδωρ ἄριϛον μὲν ὕδωρ, & Plato ex mente Pindari quasi admiratiuè loquatur, inquit aquam, quæ res quidem est prætiosissima vilissimo pretio vendi. Vt non immerito etiam aquam Aegyptij pro Dea venerati sint. Sed ex dictis patet clarissimè, has omnes conditiones posse accommodari aquæ fontis, & fluminis, quæ quidem habet has omnes supra enarratas conditiones. Sed illa quoque inter has optima censenda est ex Gal. 1. de san. tuend. quæ ad Orientem est exposita, quæ transeat, fluatque per arenam, seu terram argillosam, & hinc quoque est, quod aqua salsa si per arenam pertranseat dulcis euadit.

Aqua fontalis, seu fluminis est omnium optima.

Quam-

Quamuis secundum Arist. libro 2. metheor. cap. 3. & libro 8. de histor, animal. cap. 2. sit alius modus faciendi aquam salsam dulcem, videndus ibi Arist. Aqua igitur fontalis, seu fluuialis ad orientem versa laudatur, quæ per arenam, & terram argillosam fluat, non sit limosa, nec è terra scaturiat, & si ad Aquilonem sit exposita non improbatur ex Hip. libro de aere, aq. & locis, si è petra scaturit sicca, & dura est, & ægrè concoquitur, ac tarda est, & hinc est, quod Auic. 2. 1. doc. 2. cap. 16. laudat aquam fontis, tanquam meliorem, quæ currat super lutum potius quam super petram, per lutum tamen oportet vel intelligere ipsam met puram terram, vel firmum, solidumve lutum, non cænosum, non limosum. Vnde aqua fontalis, seu fluuialis cæteris omnibus venit anteponenda, secundo loco cisternalis, tertio putealis, deinde aliæ.

Quid alij senserint.

Videtur esse Hip. sententia libro de aere, aquis, & locis aquam cisternæ esse omnium optimam, nam est leuissima, & dulcissima, Columella libro primo de sua agricultura cap. 5. & Celsus libro 2. cap. 8. idem testantur. Galenus etiam libro 7. de compos. med. 5. l. cap. 2. laudat aquam pluuialem, idem etiam libro 6. de comp. med. 5. l. in confectione diacodionis laudat cisternæ aquam, nam non putrescit. Eandem habent sententiam Paulus libro 1. cap. 10. Aetius libro 3. cap. 165. & Iobertus in paradoxis.

Sed adsint rationes, probantes aquam cisternalem esse optimam, & primò, nam Sol est causa efficiens aquæ pluuialis, quia Sol cocoquit, & subtiliat, quod non videtur contingere in aqua fontis.

Secundo ex loco propinquiori Cælo, vbi scilicet generatur aqua pluuialis. Plinius in aliam deuenit sententiam libro 31. cap. 3. vituperans aquam cisternæ, & pluuialem, & laudans aquam putealem in oppidis, præsertim illam, in qua exercitationis ratio crebro haustu contingit. Sed ad hęc breuiter sit responsum. Ad Hip. auctoritatem dicimus, aquarum bonitatem, & profectionem non tantum vt supra patuit esse sumendam ex secundis qualitatibus, sed etiam ex primis, modò dato, & non concesso, quod aqua pluuialis sit leuior, & leuissima, nam ex Auer. libro 3. Collig. c. 18. oppositum patet, aquam fontis esse leuiorem aqua cisternæ, tamen non habet hoc aliud, quod scilicet citò calescat, & citò refrigeretur, quod tantum est in aqua fontis. Amplius adderem, aquam pluualē semper habere admistas peregrinas materias, & exhalationē, & vapores, quare si habet vnā conditionem, ei multæ deficiunt. Et equidem pluries varias, & diuersas aquas fontales, & cisternales mensuraui, & æquales animaduerti. Quinimo Plinius inquit, non ob id aqua pluuialis est leuissima, quia sursum trahitur, nam etiam lapides sursum trahuntur, & id genus alia grauiora. Neque cum Plinio ausim affirmare ob id non esse bonam aquam pluuialem, quia facilè computrescit, minusque resistit nauigationibus, nam hoc potius perfectioni erit imputandum, vt rectè inquit Paulus Aegineta, nam mutationis facilitas virtuti potius, quam vitio tribuitur, quare optima censenda est illa aqua, quæ promptè putrescit, & fortassis cum mutari incipit parit non nulla mala, & sic dicimus aquam pluuialem posse postea parere tusses, grauedines, asperitates pulmonis, duritiem alui, vnde potius tunc medicamentosus potus venit nuncupandus, vt dixit Io. Franciscus Picus libro 2. cap. 24. in examine doctr. vanitatis gentium. *Rationibus respōdetur.* *Cōuellitur Plinius.*

Ad rem tamen redeundo dicamus, quod data comparatione inter aquam fontis, & pluuialem præponenda est aqua fontis, seu fluuialis aquæ pluuiali ob supra dictas rationes, & ob dicendas. Nam fieri quidem non potest, vt Sol non trahat à sexcentis rebus, varijs, & diuersis, nec non à rebus putidis, malè olentibus, cadaueribus, stagnantibus, cloacis, stercoribus, à lapidibus, herbis, & plantis bonis, & malis. Vbi ob id dixerit Hip. libro de aere, aquis, & locis, aquam pluuialem ex omnibus putrescere, atque malum odorem habere. Sciendum tamen inter aquas pluuiales magni laudari eam aquam, quę non cadit è cælo cum tonitruis multis, nec cum procellis, nimbisque, sed eam, quæ tantum nubilo cælo cadit, nam in supradictis aquis est maximus excessus exhalationum. Laudamus etiam magis aquam pluuialem, quæ maxime fit intus mare per centena milliaria collecta in aliqua exigua insula, & in aliquo polito, & mundo loco seruatam, habeatque locos, per quos transit, mundos, ac nitidos, & in illo mari multi transuersentur fluuij, & prima aqua cadens è cęlo æstate, vel Autumno non excipiatur, sed secunda, & quæ deinceps sequuntur. Hæc aqua cisternalis, seu pluuialis maximè quidem mihi probaretur, maximè cum aqua fontis non suppeditaret, quare in locis vbi non est aqua fontis, vel fluuialis consulerem, vt tuto vtantur mortales aqua cisternæ. *Cur aqua cisternalis non sit omni ex parte laudanda.*

Ad rationes supra factas facilè est respondere, nam parum refert, quod aqua pluuialis sit cælo magis vicina procreata, cum non habeat alias conditiones. Nec refert, quod à Sole fiat aqua pluuialis, nam etiam fontalis fit ab ipso Sole, & calore intraneo, penetrant enim radij solares ad multum tractum in viscera terræ. Deinde pro coronide addatur ad perfectionem, & maiorem bonitatem aquæ fontis, nam hæc est in continuo motu, pluuialis nequaquam, quantum enim perfectionē afferat continuus motus, etiam lippis, & barbitonsoribus est notum. Objicies, antequam ad Plinij opinionem ascendamus, acquirit ne perfectionem maiorem aqua cocta, an è contra? Respondetur breuiter, si aqua est optima, & habet conditiones supra dictas, vt est aqua, quæ Neapoli, & alijs in locis bibitur, non debet concoqui, nam ferè ad purum elementum aquæ accedit, quid enim poterit ab hac aqua separare ignis, vnde rectè meus Præceptor in Philosophia Io. Berardinus Longus nunquam satis laudatus dicere solebat, nullo modo aquam fontis, maximè Neapolitanam esse coquendam, & male facere nō nullos medicos Neapolitanos illam incoquentes, nam per coctionem semper partes magis tenues, ac subtiles euolant, & exhalant, ergo perfectionem acquirere non potest. Si verò est aqua crassa, & grossa in substantia, & turbulenta maximè, vt est aqua puteorum, non tamen omnium, tam illam incoquere debemus iuxta Auic. præceptum libro 1. feud. 3. doc. 5. c. 7. nam caloris est separare heterogenea, & partes crassas à minus crassis, & facit vt decoctio descendat *Obiectio. Solutio.*

scendat quod crassum est, deinde accipi debet aqua superior, quæ verò est propè fundum debet in terram proijci, idem etiam Auic. confirmat primi 2. doc. 2. sum. 1. c. 16. & Conciliator 23. part. probl. probl. 18. Sed dices, quando coquitur, seu elixatur aqua, an cooperculo clauso, an discooperto id fiat? Respondeo, vel elixatur aqua, vt emendetur ab aliquo vitio, vel vt aliquam facultatem recipiat alicuius simplicis. Vt emendetur fieri debet vase detecto, lentoque igne, & sine fumo, vt vapor exspiret, nec in illam iterum cadat, cum verò elixatur aqua, vt recipiat facultatem alicuius simplicis, vt ligni indici, Chinæ, salsæ, &c. tunc cum vase cooperto fieri debet, ne facultas quidem simplicis exspiret, ac exhalet. Sed quid ad Plinij sententiam dicatur. Respondetur breuiter, nos non probare aquam putealem maximè illam, quam ipse laudat in oppidis, nam in his sunt cloacæ, & alia sexcenta putida, quæ penetrant vsque ad aquas. Deinde experientia probatum est aquas has puteales in oppidis esse salsiusculas, crassas, & grossas. Non negamus tamen ex his aquis reperiri aliquas extra vrbes in agris perfectissimas, sed raræ sunt. Constat igitur hucusque, quænam sit aquarum optima.

Quomodo sit coquēda aqua.

De Fluxu, & Refluxu Aquarum.

Theorema XIV.



QVoniam eò nostra se recepit oratio, vt de aquis in vniuersum à nobis sermo factus fuerit, præclarum, illustre, & admirabile naturæ arcanum, quod est de fluxu, & refluxu aquarum præterire non potuimus, eoque magis in hanc arenam descēdimus, quoniam varias, ac innumeras ea in re animaduertimus sententias, quæ si veræ, aut saltem probabiles fuissent, certè nos acquieuissemus. At quoniam huius mirandi naturæ arcani causam haud exactè sunt assecuti, ideo quæ nostra fuerit opinio, si breuibus exponatur, haud ab re facturos esse duximus. Et veluti admirabilis est ista theorematis inuestigatio, vt etiam Regius Propheta Dauid psalmo 92. dixerit de hoc fluxu, & refluxu loquens mirabiles esse elationes maris, & mirabilem in altis Dominum, ita etiam est ardua, & magnis difficultatibus scatens præsens de accessu, & recessu aquarum inquisitio, tum ob varietatem fluxus, & refluxus in diuersis maribus, quinimo vt infra dicetur in eodem mari, nec non ob diuersitatem opinionum, cum diuersæ, ac innumeræ ea de re à sapientissimis, & doctissimis viris proferantur sententiæ, tùm tandem quia de hoc naturæ arcano, vel paruam, vt Buccaferreus, vel nullam, & melius cum Francisco Vicomercato, omniscius Aristot. quem in rebus physicis tanquam ducem insectari soliti sumus, mentionem facit. Verè quidem Arist. libro 2. metheor. cap. primo de duplici genere fluxus mentionem fecit, alter est, qui in angustijs, & fretis exoritur, alter, quo è Septemtrionalibus partibus ad Australes vniuersim maria defluunt. Prioris generis fluxus causam attribuit Arist. ad libramentum maris, quod in vastissimo, & profundissimo mari insensile, in angustijs verò, & fretis magnum esse conspicitur. Posterioris fluxus causa duplex ab Arist. affertur, altera est terræ Septentrionalis altitudo, altera est fluuiorum altitudo, qui posterior æstus apparet ex Arist. in palude Mæotidæ, quæ in Pontum Euxinum, & hic in Aegæum influunt. Hæc Arist. de fluxu, qui quidem non pertinet ad fluxum, & refluxum Oceani, & maris Adriatici, & non nullorum fretorum, de quo fluxu nostrum exagitatur Theorema. Vt certè mirandum sit, nec in problematis, (liber enim de proprietatibus Elementorum Aristotelis non est) nec alibi de hoc fluxus genere verba fecerit. An autem vera sint, quæ conscripta fuere à Plutarcho libro 3. de plac. scilicet putasse Arist. & Heraclitum hunc æstum fieri à Sole, vel à Cælio libro 9. cap. 8. scilicet Arist. assidua meditatione, quæstionem de admiranda vi, & natura Euripi septies in die, ac nocte reciprocantis, explicare non valentem, viribus, & vita destitutum interijsse, an inquam, hæc vera sint nunc determinare non est præsentis speculationis, sat erit, difficilem, & arduam nos aggressos esse contēplationem, quia præsertim Arist. lucerna destituti sumus. Nostrum igitur theorema versabitur circa illum fluxum, atque refluxum, qui clarissimè conspicitur in mari mediterraneo superiori, & in illa parte præsertim, in qua Venetiæ sitæ sunt, Brundisium, Tarentum, & quamplures aliæ Ciuitates, in quibus locis bis in die, & nocte fluit, & refluit, spatio sex horarum fluit, totidem refluit. In Mediterraneo vero inferiori, seu Tyrrheno, vt in Hetruria non apparet, cum sit idem sinus. Hic etiā fluxus clarissimè conspicitur in sinu Angliæ, nec non in mari Erithræo, quod vulgò ab omnibus mare rubrum dicitur. Apparet & alius Lusitaniæ vsque ad Portum Bonæ spei, ad quem fit fluxus octo horarum spatio, refluxus vero quatuor. In Indijs Occidentalibus referente Acosta libro 3. c. 14. præcipue in Panama, & Aqua Viua singulis diebus mare fluit per duas legas, totidemque refluit. Obseruatus adhuc recens est superioribus annis quidam fluxus ab ijs, qui ab Hispania nauigant ad Insulas Occidentales à Christophoro Columbo adinuentas, qui nauigantes ex Hispania diebus circiter viginti quatuor nauigationem conficiunt, cum tamen in reditu ad Hispaniam tres, aut etiam plerumque quatuor menses nauigando consumant. De hoc igitur æstu, & de causis variationis ipsius, nam quædam maria octo horis fluunt, quædam quatuor, & è contra alia, alia in minori, alia in maiori, enitendum erit quoad vires, veram, vel saltem probabilem huic sanè difficillimo problemati dissolutionem assignare, idest, causam, ob quam fiat hic fluxus, atque maris refluxus variato modo adinuenire. Erit igitur opinio nostra illa, quæ maximè omnium probabilis est, quævè minores, quam aliæ sententiæ difficultates habeat, quæ cunctas instantias ab alijs adductas facilè soluat. Non enim ea in re demonstrationes habemus. Dicimus nos hunc fieri æstum ob variam terræ posituram, ac in æqualem maris alueum, vbicumque enim in littore reperitur altitudo terræ, & in media, vel propè mediam, vel parum longè à media maris parte decliuitas quædam terre, ibi tunc fiat iste fluxus, aqua-

Quæ sit causa fluxus, & refluxus essētialis.

aquarumque refluxus oportet, discedẽtibus enim partibus aquæ à littore ad mediam maris partem fit fluxus, iisdem verò vel à seipsis, vel fortassis à montibus in media maris parte, vel propè mediam vel parum longè à media existentibus, collisis, ac repercussis recedentibus fit refluxus aquarum, verisimile namque est in mari esse montes, vel si è contra in littore erit decliuitas, in media verò parte maris erit altitudo, tunc fluxus fit à media maris parte, refluxus verò à littore, & sic fit iste fluxus, aquarumque maris refluxus, & permutatur, atque variatur ob maiorem, vel minorem decliuitatem, & altitudinem vel littoris, vel mediæ maris partis, & quia quandoque est eadem via, qua fertur ad littus, vel ad mediam maris partem, & è contra ideo, contingit æquale esse tempus accessus, & recessus aquarum in quibusdam maribus, si verò non est æqualis variari quidem potest. Vel quandoq; in vno litore est altitudo terræ, & in olio decliuitas, tunc à litore alto fit fluxus aquarum, quæ ab alio litore depresso repercussæ, & collisæ recedunt, ita vt primus fluxus sit aquæ naturalis, secundus non item. Hinc factum esse putamus, vt in locis quibusdam fiat fluxus horarum quatuor spatio, refluxus verò earumdem aquarum horarum octo spatio, vel è contra, & rationem, ex his, quæ supra diximus facilè colligendam putamus, quoniam media pars maris longe eminentior est, & editior ipso litore, vel è contra. In mari verò Adriatico, & in Oceano Occidentali, quoniam non est tanta vel litoris, vel mediæ maris partis decliuitas, vel eminentia, ita vt litus in magna eminentia terræ non superet mediam maris partem, vel è contra, ideo fit fluxus sex horarum spatio, refluxus verò eodem temporis spatio, tam in die, quam in nocte, quia igitur magna reperitur proportio litoris ad medium maris vel è contra, ideo fit æquale tempus accessionis, & recessionis aquarũ. Hæc igitur est causa essentialis incrementi, & decrementi aquarum scilicet diuersa, variaque positura aluei, & litoris maris. Est adhùc & alia causa, sed accidentalis, vt flatus ventorum, qui possunt retardare, vel accelerare fluxũ, atque refluxum, hi enim rectà flantes, quando fit fluxus accelerant ipsum, è contra flantes retardãt, radij quoque Solis, & Lunæ, & Cælum, & astra quatenus vel magis, vel minus alterant, id est, rarefaciunt, vel etiam incrassant, absumptis ferè omnibus tenuibus partibus, possunt accelerare fluxum, & refluxum, vel è contra. Ex causa igitur primaria, & essentiali vario, diuersoque modo affecta, & in situ, & in figura, & magnitudine, accidentali causa adiuncta, scilicet ventorum flatu, Lunæ, Solisque, & Stellarum, & Cæli actione, radijsque potest oriri diuersitas fluxus, atque refluxus aquarum. Prima tamen, & essentialis potest sine accidentali facere fluxum, atque refluxum, non tamen accidentalis. Insuper pro maiori intelligentia huius opinionis, sciendum est, fluxum esse naturalem ipsi aquæ, maxime à loco editiori, ipsa enim cum sit grauis ad imas partes descendere apta nata est, quare hic descensus, seu fluxus naturalis est ipsi aquæ maris, refluxum verò dicimus esse quodammodo violentum, cum repercussæ, & collisæ fluant partes aquarum, & Adelandus Ammonij discipulus dicebat partes maris, quas terra dirimit in vnum confluere locum, & se contingere properant, quæ obiectu terrenæ molis, qui possunt esse montes, repulsæ iterum, quo naturalis impellit motus reuocentur, cum partes elementi vt sic ad suam integritatem, ad locum proprium, atque cõgenitum naturali propensione ferantur. A primo ergo ad vltimũ nostra sententia hæc est in solutione præsentis theorematis, quam nobis innuit Adelandus teste Francisco Pico lib. 5. de rerum prænot. c. 4. Buridanus, Ioannes Picus lib. 3. contra Astrologos c. 15. & Ludouicus Buccaferreus lib. 2. metheor. sum. prima, cap. 3. Aut igitur sic nos philosophari debemus, aut cum Gaspare Contareno Cardinali Illustrissimo dicendum, esse naturæ effectum occultum, & problema fortassis captum humanum superans, veluti etiam dixisse videtur D. Th. in Opusculis Opusc. 34. de naturæ effectibus ignotis. Nos hanc sententiã hoc modo explicatam insectantes maiori cum facilitate possumus respõdere vnicuique obiectioni. Si quis enim dubitauerit, cur hunc æstum non habent omnia maria? Responderi potest non omnia maria hanc habere similem terræ, & aluei aquæ maris positurum, nec vbique in maris media, vel propè mediam partem esse montes, & situm non esse sic vt supra diximus, dispositum. Mare Tyrrhenum scilicet Hetruscum caret hac conditione, & ideo in ipso nõ sentitur fluxus, & refluxus. Sed hæc sententia torquetur quibusdam alijs difficillimis argumentis.

Aliæ causæ accidentales.

Magis, ac magis explicatur sẽtentia de æstu maris.

Quot viri illustres fuerint huius opinionis.

Primò non deberet seruari ordo, & proportio de senis in senas horas, si causa fluxus, atque refluxus esset varia terræ positura, at nos videmus seruari magnam, miramque æqualitatem, ergo non nisi à supernis causis hæc petenda est, scilicet à Luna, & Sole, cum hæc sint perpetua, & perennia.

Secundò non videtur verosimile esse montes in medio mari, nam viderentur aliquando.

Tertiò, & fortius, & est argumentum Vicomercati lib. 2. metheor. com. 5. Si huius æstus esset causa varia terræ positura, tunc aliquando quies esset in aqua maris hoc æstu affecta, vt patet in cæteris fluctuationibus.

Quartò arguit Suessanus, si huius æstus causa esset hæc à nobis supradicta, tunc sequeretur hunc fluxum, atque refluxum esse debere vniformem, & inuariabilem, vt semper ab vna hora incipiat.

Quintò sunt aliqui putei in Bætica qui augentur, etiam quotidie, ac minuuntur, contra, ac mare.

Sextò cur in æquinoctijs ferunt esse maximos æstus, præcipuè in autumnali, In solstitijs minimos præcipuè in æstiuali, & in oppositione Lunæ maiores fiant, minores in coniunctione.

Septimò aut iste cursus aquarum fit natura, aut vi. Quod si natura, permirũ est, motum aliquem rectum perẽnem esse, & perpetuum, at si vi fiat, violentum sanè, atque aliquando desiturum, non est qui neget. Sed breuiter his sic sit responsum.

Ad primum respondetur, non in omnibus maribus seruari eundem fluxum, atque refluxum, & ob dictas causas variari, & quandoque esse vniformem, vt Brundisij, vbi in ortu Solis, seu mane crescit aqua sex horarum spatio, totidemque refluit à decima nona hora vsque ad duodecimã, & idem de nocte, quia verò, vt supra dictum, est fortassis eadẽ via, qua fertur ad litus, & ab hoc ad mediam maris partem, ideo fit æquale tempus accessus, & recessus aquarum. Benè verum ego crediderim nõ esse similem proportionem, & æqualitatem mathematicam, sed potius physicam, vnde & in Oceano Occidentali, & ea parte, qua Venetiæ sitæ sunt non semper est eadẽ hora fluxus, atque refluxus, quinimo tribus horæ quartis minus semper dies alter ab altero est difformis. An verò in Mari Surt, &

Responsio ad argumẽta superius facta.

Nort in eodem tempore fiat fluxus,& refluxus,vt contendit Acosta,nunc non audeo determinare, cum oppositum esse dijudicem,nam vt plurimum fluxus, & refluxus sunt difformes. Ad secundum responsio est facilis,nam non est necesse, vt videantur montes,quandoque tamen videntur,de raro tamen videntur,quia aqua in alto,& medio mari est editior semper. Ad tertium negatur sequela antecedentis,nam cum in mari sit perpetuum illud libramentum,de quo meminit Arist.loco citato ideo non est pertimescendum, mare aliquando quiescere,nam partes aquæ ob locorum decliuitatem,& summitatem repelluntur, & colliduntur, noctuque,diuque, nec est par ratio de cæteris fluctuationibus in vasibus,in quibus non est illa varia positura terre,denique aqua est pauca. At dices, non ne inter duos motus contrarios cadit quies media ex 8.lib.phys. Respondetur admittẽdo Arist. propositionem,intercipi quietem inter hos fluxus atque refluxus,eamque esse ferè insensibilem, vt patet de pila proiecta in parietem. Ad quartum non est necesse,vt in omnibus partibus,seu maribus sit vniformis fluxus,atque refluxus ob dictas supra causas, vbi tamen est eadem via,& æqua distantia à media parte maris ad littora opposita, tunc in æquali tempore fit fluxus, atque refluxus. Ad quintum debet quæri conditio loci,montium, & fortassis vallium, si illi putei cum mari non conueniunt,si vero cum mari conueniunt,eadem causa,quæ est in mari,erit in puteis. De fluxu,& refluxu Euripi quid in præsentiarum dicam non habeo,fortassis alias meliora succurrent. Nolo enim, quod de Arist. referunt,mihi contingat. Ad sextum dicendum fortassis in equinoctijs esse maximos æstus, quia est æquale tempus mansionis Solis,& Lunæ,de hyeme enim non possunt ita agere,alterare, & quoquo modo calefacere,& rarefacere,cum obtuse feriant,de æstate maximè absumunt, & sicciores,& terrestriores euadunt aquæ maris,vnde fieri non possunt fortissimi estus, quod non contingit in æquinoctijs. In Lunæ oppositione fiunt maiores æstus, nam Luna suo lumine attenuat,calefacit, & reddit aquam aptiorem ad motum. Ad septimum,& vltimum dico,vtroque modo fieri, cursus, seu descensus,ac fluxus aquarum fit natura,grauium enim est imas occupare partes, fruique descensu,quare per mirum esse non debet, si perenni tempore fluant, ignis namque leuis existens semper superas partes petere conatur,reuersus verò,seu refluxus aquarum fit violentia, nam collisæ, & repercussæ retrofluunt partes aquarum. Verum sciendum est fluxum aquarum,quatenus rectus motus esse videatur,non eo modo eternum esse,vt est circularis motus,nam hic continuò,& perpetuo fit, fluxus verò aquarum desinit de senis in senas horas, dicitur tamen æternus, quatenus semper vterq; motus scilicet fluxus,& refluxus semper fiant,nec desinant vnquam. Re vera tamen separatim sumptus alter istorum non potest esse æternus,cum motus rectus ex Arist. 8. phys. 64. non possit esse æternus,neque continuus. Dices, nullum violentum est durabile, sed vt aqua sic refluat est ei violentum, ergo. Respondeo nullum violentum est durabile,sed violentum in specie posse durare perpetuo nemo est qui negat,vt theoremate 11. primi libri de secunda aeris regione diximus. Sed quid tandem dicendum de fluxu illo inuento à veteri Hispania ad Nouam? Respondetur facilè colligi ex dictis,nã in veteri Hispania est maxima terræ altitudo,& eminentia,è contra in Noua. Nec confugere debemus ad motum firmamenti,vt nonnulli fatentur,cum motus ille non pertranseat secundam aeris regionem,vt infra dicetur.

Obiectio,et solutio.

Quid alij senserint.

QVotquot igitur sunt,qui ea de re conscripsere ad duo rediguntur capita, dixere quidam huius æstus causam esse quandam intrinsecam causam, quidam verò causam extrinsecam autumarunt. Qui causam intrinsecam huius fluctuationis,& refluctuationis aquarum assignant,sunt Strabo lib.1.suæ Geographiæ,Seneca lib.3.q.n.qui asserant hunc æstum fieri in mari ab intrinseco, & à sua natura. Sed reijcienda opinio est,quia primo libro Cæli habetur, corpus simplex vnicum simplicem motum habere,id est,vnius corporis simplicis vnum esse motum simplicem, modo mare, & si corpus simplex omnino non est,tamen ad eam,quam habere potest simplicitatem accedit, ergo vnicũ motum debet habere ergo ab intrinseco non erit naturalis,vterque motus, vt opinio supponat necesse est; Deinde hæc opinio non assignat causam, quare in vno mari est fluxus,& in alio nequaquã, nec diuersitatem æstus assignat. Ad hanc istorum sententiam possumus conuocare Stoicorum nonnullos,teste Solino,asserentes,mundum esse quodam animal magnum, idque varijs elementorum corporibus conglobatum,spiritu moueri,mente regi,quo animali inspirante, & expirante fluxus,& refluxus aquarum fiebat. Quæ sententia non est homine philosopho digna, sed deridenda omnino est. Qui nam (hoc ijs concesso) mundum esse quoddam magnum animal, hic æstus fieri poterat in tot tantisque maribus,cum istud animal vna tantum ex parte inspiraret,ac expiraret. Adde si placet non sufficeret huic magno animali vorax illa montis Aethnæ in Sicilia,& id genus alia loca,ex quibus satis commodè inspirare,ac expirare poterat. Qui huius æstus causam extrinsecam assignant ad tria rediguntur capita,vel huius æstus causam attribuunt Cælo,vel Terræ,vel ortis à terra. Quidam asserunt,& his magna Latinorum cohors assentitur hunc fieri æstum influentia,quidam motu,quidam tandem lumine. Qui influentiam ponunt,sunt D.Thomas opusc.34.Scotus lib.2. sent.14.dist. q.3.Conciliator diff.168. Parmensis, & Gerardus quidam Columba Siculus lib.1. de febribus pest. capitul.15.

Opinio Strabonis a Seneca.
Cõfutatio.
Sententia Stoicorum.
Cõfutatio.
Sententia eorũ qui ponũt influẽtiam.
Cõfutatio.

Sed hæc sententia pluribus quidem difficillimis argumentis torquetur,& primò, qui hanc opinionem insectantur,non probant eam nisi friuolis rationibus.

Secundò præterquam quod hæc illorum influentia repugnat auribus legitimorum Peripateticorum,vt colligitur ex Arist.2.cæli 42.vbi tantum lumine, & motu cælum in hæc inferiora agere confitetur Arist. Sed hoc nihil est,dicerent aduersarij, propterea alijs validis medijs erit euertenda.

Tertiò si influentia huius æstus causa esset, tunc non magis appareret in hoc, quam in illo mari, nec magis in Adriatico,quam in Aegeo,nec magis in Oceano occiduo,quam Orientali cum influentia sit causa vniuersalis,& occulta,æque participata ab elementari tota plaga.

Quartò

Quartò etiam stagna, & flumina hoc æstu deberent esse affecta. Si dixeris, hæc non habere illum ob aquæ paruam copiam, tunc contra dupliciter arguo, primo, quia tunc magis hic æstus fieri deberet in profundioribus maribus, vbi non conspicitur, vt in Oceano Orientali, secundo ex dictis eorũ, qui huius æstus causam assignant influentiam, colligitur, hunc fieri æstum in aqua, vt magnes attrahit ferrum, vel vt Theamedes ipsum ambigit, quod si verum est, tunc maior deberet esse æstus in stagnis, & lacubus, quam in maribus, cum promptior fiat tractio à stagnantibus, palustribus, lacustribus aquis, vbi est minor resistentia aquarum, quam in profundis maribus, citius enim, & euidentius agens operatur in corpus minus resistens, quam multum.

Quintò, cur hæc influentia si transit per aerem, & ignem, non mouet hæc duo corpora motu fluxus. Dices, quia aer & ignis non habent talem conformitatem cum influentia, qualem habet aqua, sic respondet D. Thom. libro de operatio. occultis naturæ, sic Abezar, Suessanus, & alij. Sed quę nam est ista conformitas? An est quædã dispositio, & tunc iterum puto, quare aqua tantum est sic disposita ab influentia, & uon ignis, & aer, vt hoc æstu afficiantur.

Responsio impugnatur.

Sextò, & vltimo hic fluxus, & refluxus non est vniformis, ergo influentia non potest esse causa huius æstus. Nec etiam eorum est amplectenda sententia, qui motu firmamenti fieri hunc æstum autumant, vt Alpetragius sensisse videtur, nam motus Firmamenti siue ille sit diurnus, siue proprius non pertransit secundam aeris regionem in libro 1. metheor. sed tantum tertiam aeris regionem attingit, vbi Cometæ, Capræ saltantes, trabes, &c. impressiones ignitæ generantur, quare hic motus ad iuga altissimorum montium terminatur. Si enim motus Firmamenti ad terram perueniret, tunc nubes semper motu Firmamenti, scilicet ab ortu in occasum moueri deberent, quod quantum ipsi sensui pugnet, nemo est, qui non videat, cum habeant nubes varios motus. Adde tandem, quod tunc omnia maria hunc æstum habere debebunt, quod quidem est quam falsissimum. Quare motus Firmamenti non potest esse huius æstus causa, nec etiam per veram, & irrefragabilem consequentiam motus aliorum orbium, cum Firmamentum moueat omnes. Nec etiam illi sunt audiendi, qui lumine Lunæ cum motu Firmamenti fieri hunc æstum, inquiunt, vt Euthymenes Massiliensis, Albertus Magnus, Rogerius Baccon in Epistola ad Clementem S. P. M. & Plinius libro 2. cap. 97. & Ptolomæus libro cap. 12. quadripartiti, qui ad duo luminaria, scilicet ad Solem, & Lunam referunt causam istius æstus. Cum his quoque est Vallesius libro de sacra philosophia cap. 52. & Franciscus Mercatus in libro metheor. & Telesius lib. de mari cap. vltimo inquit, à Sole generari tot vapores, quot sufficiant ad aquarum incrementum. Non igitur omnes isti sunt audiendi, nam de motu iam supra paret fieri non posse, & nunc etiam addo, nam Albumazar oculis proprijs obseruauit fluxum, atque refluxum in Oceano non correspondere motui diurno Lunæ, Sed quid Albumazar commemoro, in dies in sinu Adriatico conspicimus nunquam æstum seruare similem motum, sed vt plurimum de mane fluit vsque ad decimam octauam horam, deinde ab hac refluit vsque ad duodecimam, & idem in nocte obseruatur, quare etiam Cæci viderent hunc æstum non seruare illum motum, cnm Luna nunc sit opposita, nunc coniuncta Soli, nunc in quartis, nunc in Antipodibus, quare clarissime conspicitur non correspondere hunc æstum motui Lunæ. Vt ob id perperam sit hallucinatus Vicomercatus contra Albumazar. De lumine iam demonstrabimus, etiam hoc fieri non posse, nam tunc omnia maria hoc æstu deberent esse affecta, quod quidem non est, vt supra patuit, cum lumẽ, & Solis, & Lunæ vegentur omnia maria. Addo & amplius, cur si Luna suo lumine est æstus causa, maria torridæ Zonæ hoc æstu non fruuntur? Nec valet quod dicit Auer. lumen Lunæ gignere ventosam exhalationem, ratione cuius æstuet mare eo ordine, vt Luna ascendens ab oriente ad mediterraneum ventus mouet aquam ad littora, descendens verò Luna, alius nouus ventus è contra mouet aquas, sic de nocte, nam in tranquillitate fit æstus, deinde, vnde didicit Auer. ventos gigni à Luna. Mitto alia contra Auer. breuitatis causa.

Sententia Alpetragij cõfutatur.

Sententia illorũ cõfutatur, qui ponunt lumen Luna, & Solis cũ motu Firmamẽti, et motu Luna.

Opinio Auer in quadam Paraphrasi confutatur.

Tandem, quomodo Luna suo lumine hunc ęstum facere potest cum est infra nostrum horizonta? & hoc est argumentum præcipuè contra Vicomercatum, Non enim valet quorundam responsio, dicentium radios lunares reflecti ad firmamentum quando Luna est infra, & ex hac reflexione gigni posse tempore noctis, vel diei æstum, nam hoc est merum figmentum, cum Lunæ lumen debilitetur ad tantam reflexionem.

Responsio quorũdam impugnatur.

Adhùc cum terra sit maior Luna, conus ipsius terræ non ne erit impedimento, quo minus luminis Lunæ fieri tanta reflexio possit? & cur stagna, lacus, & id genus alia hoc æstu non afficiuntur. Amplius quomodo lumen Lunæ dato, quod non debilitetur, vt ita loquar, potest habere tantã vim generandi tantam vaporum copiam, vt tantam aquarum molem extollant. Deinde in coniunctione nullum habet lumen Luna, aut exiguum est, quod etiam est in Eclipsi. Alij vt supradictum argumentũ euadant, vt Vicomercatus, dicunt radios lunares reflecti ad aerem densum, & coactũ secundæ regionis, vt de iride videmus idem. Sed hoc non est semper, nisi quando Cęlum est nubilum, deinde non est credendum tempore sereno aerem secundæ regionis esse densum, & coactum. Non ergo lumen Lunæ causa est huius æstus. Nec etiam lumen Solis potest esse causa istius æstus, vt Telesius libro de mari c. vltimo contendebat, nam cur non est vniuersalis hic æstus, & potius iu Oriente deberet inspici hic æstus. Deinde quomodo Sol tantam qnantitatem vaporum generare potest, & non maiorem, vel minorem? Nec in se est verosimilis opinio Vallesij, & aliorum asserentium ab vtrisque luminaribus hunc fieri æstum, qui est veluti feruor, exemplum de olla bulliante afferentes, in quam etiam sententiam Iosephus Acosta declinat, nam quomodo Sol potest calefacere, attenuare, vt quasi afferueat aqua secundum istorum sententiam, nam aqua æstuans frigida est, ergo non rarefacit, calefacit adeo illam Sol, vt sese extollat, vt aqua bulliens, nam aqua æstuans ad tactum frigida est, quare hæc sententia est contra sensum. Bonè enim Deus, quomodo Solis lumen potest calfacere, & attenuare, & rarefacere tantam molem, vt ęstuet mare, ac olla bulliens, cũ actus actiuorum fiant in patiente benè disposito, quam enim aqua maris habet, aut habuit dispositionem ad caliditatem, deinde superueniente nocte, frigida remaneret, & sic neutiquam posset fieri æstus in nocte, non solũ in die. Amplius aqua est corpus valde mobile, & sic de facile non recipere posset, quem

Aliorũ fuga impugnatur.

Contra Telesium.

Vallesij, & Acosta sententia confutatur.

fingunt illi calorem,Deinde obſeruatum eſt pluribus diebus,aerem fuiſſe nubilum ſecũdum partem & maiorem,quia nunc de toto non contendo,& tamen fiunt fluxus,atque refluxus, quomodo ergo à lumine Solis,qui teſte Ariſt.virtualiter calidus eſt,non formaliter. Ex his etiam patet falſam eſſe Camilli Maffei ſententiam ſecundo gradu ſuæ ſchalæ c.6.& fundamento carere,nam ait,aquã duplici virtute gaudere,vna elementari,qua deorſum fluit,& alia cęleſti,qua fluit,& refluit. Sed vt diximus,fundamento caret,Nam nõ explicat illam vim cæleſtem,quæ ſi influentia eſt, iam ſupra fuit reiecta. Conſtat ergo hucuſque,non influentiam,non motum Solis, & Lunæ , neque lumina vtrorumque cauſas eſſe fluxus,& refluxus. Qui extrinſecam cauſam non cęlo , ſed terræ aſſignarunt , vt Seleucus Mathematicus ex Gal.lib.de hiſt.philoſophica,cuius etiam opinionis fuit Nicolaus Cupernicus,rati ſunt terræ motione hunc fieri æſtum.Verum hęc ſententia grauiter errat,nam contra omnes Philoſophos,& Aſtrologos ſupponit terram eſſe mobilem.In hac ſententia non multum immorabimur,cum ſit ferè ab omnibus exploſa,& à Clauio pręſertim,nam terra vel eſt mobilis motu recto,vel circulari,non recto,quia ipſa exiſtit in centro,nam ſi motu recto incederet, tunc recederet à centro ſibi conſtituto,quod abſurdiſſimũ.Adde,ſi motu recto incederet,vel naturaliter, vel violenter moueretur,& naturaliter non ita mouetur,cũ ſui natura ad locum infimum,qui eſt in cẽtro vniuerſi tendat.Certum eſt eam aſcendere ad quamcumque partem motu recto impellatur. Violenter quoque moueri non poteſt,quoniam nullum corpus ipſa grauius reperitur, quod ſuo põdere ipſam à centro propelleret.Ipſa etiam motu circulari non agitatur , nam vel ita mouetur ſuper axẽ mundi ab Oriente in Occidentem,vel è contra,aut ſuper alium axem,ſi ſuper axem mundi moueatur,tunc efficitur,vt nubes,aues,& quæ in aere exiſtunt in contrariam partem cernantur moueri , nimirũ in Occidentem,ſi terra ad Orientem voluitur, vel è contra , quoniam videlicet conſequi non poſſunt motum terræ rapidiſſimum,vt pote qui viginti quatuor horarum ſpatio abſolueretur,Si ſuper alium axem,qui nimirum obliquè ſecat axem mundi,pręterquam quod in eadem incommoda ſuperius dicta relaberemur,ſequeretur quotidie in vna , eademque Ciuitate altitudinem poluariam exiſtere , quia videlicet illa vrbs ad motum terræ non deſcriberet circulum parallelum circa polum . Vnde proprius ad illum accederet,nunc longius ab eodem amoueretur, ac proinde altitudinẽ poli variaret,quod falſiſſimum.Concludamus igitur terram eſſe motus localis tam recti,quã circularis expertem. Qui tandem huius reciprocationis aquarum cauſam ortis à terra attribuunt,ſunt bipartiti,alij ventos,alij fluuios eſſe cauſam volunt.Habent enim venti,& fluuij ſecundũ Ariſt.originem à terra. Sententia illorum,qui ventos eſſe cauſam æſtus volunt,attribuitur Anaximẽti,& Heraclito,hi enim dicunt Solem ventos quamplures excitare,& circumducere,flantibus igitur ventis, Athlanticũ mare pelli,pulſum intumeſcere,tumens litora inundare,rurſus ceſſantibus ventis aquas retrahi , huncque receſſum,illum acceſſum eſſe . Sed quomodo poſſunt venti talem perpetuum periodũ efformare? Quinimo in maxima ventorum tranquillitate clarius obſeruatur hic æſtus. Ad hanc iſtorum ſententiam poſſumus Platonem conuocare,qui referente Plutarcho, & in parte innuit in Timæo , fieri hunc æſtum autumauit ob electionem quandam,aquas enim cuiuſdam ſpecus hiatu ſuſtolli, & latè fluere,ſubindeque eodẽ refluere,ex quo vagabũda maria iactari.Sed an fabuloſa ſit præſens opinio Platonis,vt perperam Vicomercatus autumauit,nunc non audeo affirmare,nam fortaſſis cum ſacris oraculis conſonat præſens eius doctrina de Tartaro,ſeu Barathro , quod per ſpecũ intelligit, tamen non eſt cur recipiatur,nam videtur hæc opinio incidere cum ſuperiori,quomodo enim flatus,ac venti poſſunt hunc æſtum producere. Qui fluuios dicunt eſſe cauſam æſtus , exiſtimant mare attolli , ac ſubſidere ex fluuijs quamplurimis è Celtarũ montibus prouenientibus in Atlanticũ pelagus, horum incurſu protrudi,& inundare mare dicunt,defectu reuocari,ac ſubſidere.Sed nec etiam eſt hæc opinio vera,nam cum ſemper fluant fluuij ſuper aquam ſemper aqua inundabit, nunquamve refluet . Adhùc non ſeruaretur ordo ille proportionatus in fluxu,& refluxu.Tandem quomodo fluuij poſſunt habere vim fluendi,& refluendi,a quo enim hanc vim acquirunt,a ſe ipſis non habent,nec ab alijs acquirere ſic opinati explicarunt . Sed finem huic theoremati impoſuiſſemus , niſi hæc conſcribentibus in manus noſtras incidiſſet,quidam ferè noſter conterraneus Medicus Phyſicus Brunduſinus , qui in quibuſdam verſibus,& adnotationibus hetruſca lingua conſcriptis adnotat.78. aliam ſententiam in medium attulit,multiſque ſuppoſitis illam muniuit .

Falſa eſt ſententia Maffei.

Confutantur qui ponunt vẽtos & fluuios.

Platonis ſententia confutatur

Neoterici cuiuſdã familiaris ſẽtentia confutatur .

Primò ſupponit,aquam non terminari termino alieno .

Secundò elementa ſphæricam figuram habere,eamque appetere .

Tertiò aquam maiorem ſic citius reducere ad totam,quam minorem.

Quartò maria occidentalia eſſe maiora,& profundiora ex Ariſt.prima par. probl.probl.26.

Quintò Solem maiorem habere potentiam in Oriente,quam in Occidente, & ideo Aſtrologi Solem Orientalem,& Lunam Occidentalem appellant.

Sextò aquam quo puriorem , & minus terreſtrem facilius vniri in ſe ipſa ad totum , quam è contra. Quibus ſic ſtantibus,ait , vigere fluxum magis in Oceano Occidentali ob aquarum copiam ibi inexiſtentium, nec non,quia non ſunt craſſæ,quia Sol non multum agit in illas aquas,quæ aquæ facilius in altum tolluntur,vt ſphæricæ fiant,ſed manere ibi non valentes,quia humidę ſunt,ergo termino alieno terminandæ,iterum in litus fluunt,quod ſucceſſiuè fit ſemper ſpatio ſex horarum , cum tẽpus aſcendendi ſit deſcendendo proportionatum.Verum & ſi amicus ſit auctor,ſanctius tamẽ eſſe indicauerim veritatẽ defendere,eamque Ariſt.teſte lib. 1. Moral.Nichomac.c.6.Socr.& Plat.licet amicis. & præceptoribus in materia de Idæis anteponendã eſſe ſuadet , ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Supponit in primis falſum hæc opinio elementũ aquæ in ſua ſphæra appetere figurã ſphæricam. Nemo enim appetit in ſuo loco id quod habet, ſed aqua eſt ſphærica ex multis rationibus,& experientijs,quas affert Ioan.de Sacro Boſcho , ergo fieri ſphærica non appetit , cũ ipſa ſecundũ rei veritatem ſit ſphærica.De aqua extra ſuũ locum figuram ſphæricam appetere vt conſeruetur,& vt minus ab iniurijs ambientis,vel alterius rei non lædatur, concedatur, non autẽ de aqua maris ſecundũ totum,cũ ſit in ſuo loco ſphęrica.Dices,aquã aſcendere,vt fiat magis ſphęrica,contra nã conſeruatur in illa,quã poſſidet ſphæricitate,ergo ad quid vlterioreẽ requirit ? Amplius quis eſt in

causa, vt aqua ascendat, nihil .n. fit sine causa, sed sphæricitas nõ est sufficiẽs, ergo aqua ascẽdit absq; physica causa. Tertiò, quomodo graue ascẽdere potest, & in altũ, & sursum tolli, ò bone Philosophe, cũ natura sua deorsum vergat? Nec est par ratio de aqua in festuca, seu fistula ascendente, nam hæc quoquo modo trahitur ex attracto spiritu, & natura, ne detur vacuum, suffert quandoque graue sursum ascendere. Sed modo ad quid semper ascendere debent aquæ contra earum naturam?

Quartò cur de manè descendunt aquæ Brundisij tuæ patriæ, & meridie ascendunt? quæ nàm est ratio huius periodi. Quare concludatur nullam esse assignatam physicam, & rationabilem causam ab hoc auctore de maris æstu, cui tandem, hic finis esto, sum enim multũ huc illuc diuagatus, quare rectè dicere possum,

Ergo vela traham, terræque aduertero proram,
Nam mea sub tantis cymba fatiscit aquis.

An Detur elementum ignis in concauo orbis Lunæ existens.

Theorema XV.



IN præsenti theoremate affirmatiuam partem tuemur, dari scilicet elementum ignis existens in concauo orbis Lunæ, quæ quidẽ sententia breuiter auctoritatibus, rationibus, & experientijs firmetur.

Et primò auctoritatibus agatur, habet namque Mercurius Trimegistus dialogo de potestate, & sapientia Dei esse omnia quatuor elementa admittenda in hac rerum vniuersitate, idem etiam post ipsum confirmauit, Hip. libro de carnibus, & Plato in Timæo, Empedocles, & Arist. lib. 1. de gen. & corrupt. vt omittam Gal. & alios grauissimos auctores.

Secundò probatur ratione, nam si datur vnum contrariorum, debet dari, & alterum per Arist. 2. Topicorum, sed datur summè frigidum, quod an sit terra, an aqua nunc non disputo, ergo debet dari summè calidum, quod proculdubio erit ignis. Cælum autem esse non potest, nam aliam nobiliorem scilicet essentiam, neutramque sortitum est libro primo cęli, neque calidum, neque siccum neque frigidum, neque humidum. Amplius ex specie motus diuersa, qua fruitur cælum idem monstratur, nam cælum mouetur alio motu à motu grauium, & leuium, sed alius motus aliam naturam arguit, ergo. Addas etiam cælum esse incorruptibile, & secundum totum, & secundum partes, at elementa corruptibilia sunt saltem secundum partem, ergo cælum cum non sit, illud erit ignis, qui aeri supereminet. Et quamuis Plato dicat in Timæo, cælum constare ex elementis, hoc secundum quandam analogiam venit intelligendum, nam in cælo videtur pars rara, quæ aeri assimilatur, videtur pars densior, & luminosior, quæ igni comparatur, & videtur pars densior, & opaca, quæ terræ assimilatur, & tandem illa pars cærulea, seu illa cæruleitas aquæ correspondet, sed hæc obiter. Patet ergo ex his cælum non esse, sed ignem, qui est summè calidus. *Sententia Platonis explicatur.*

Tertiò ex combinatione calidi, & sicci, quæ non potest conuenire nisi igni, patet dari elementum ignis existens in concauo, an verò hic ignis nostras cum illo elementari conueniant, infra dicetur.

Quartò est motus simpliciter sursum, ergo necesse est, vt detur ignis, nam non potest existere accidens proprium, & essentiale alicuius nisi etiam sit subiectum.

Quintò ex congruentia, & decentia quadam debet dari ignis, nam ignis vt forma quædam est, aqua, & terra vt materia, & ob id his infimus locus, illi verò supremus fuit destinatus.

Sextò cum Theophrasto dicerem, in libro Mundi, mundum esse dictum ab ornatu, ornatum ab ordine, ordinem ab æqualitate, quare nisi daretur ignis tolleretur cõmunis illa proportio, & analogia, & æqui librium, quæ omnia summa esse necessaria aduertit Arist. lib. 1. metheor.

Septimò adsit experientia, à qua docemur dari hunc ignem, nam supra aeris elementum si portio aliqua ignis, qui dicitur flamma, v. g. in altissimi montis cacumine reponatur, qui mons in tertia aeris regione terminetur, tunc manifestissimè videbis illam ignis portiunculam semper sursum ascendere, vnde euidentissimum signum est, montis cacumen non esse propriam sedem, & locum ignis, sed altiorem exposcere, qui erit ipsum concauum Lunæ, quæ experientia tangitur ab Auer. libro 3. cæli 32. Vt hinc pateat esse irridendos Pythagoreos asserentes ignem esse in medio mundi, & carcerem Iouis esse, hac ratione, quoniam perfectiori elemento, qualis est ignis, perfectior locus debetur, qualis est medius, Terram autem dixerunt esse vnum astrorum, quæ opinio rectè tanquam sensui contraria ab Arist. impugnatur libro 2. cæli 73. & infra. Quamuis secundum rei veritatem, & nostram catholicam fidem potest allegoricè cum vero consonare hæc Pythagoreorum opinio, nã ex istorum sententia ignis est in centro, & corde terræ, & vocatur carcer Iouis, vbi damnatos perpetuis mæroribus affligit, & conseruãtur, & detinetur ignis in hoc loco in æternum ex ordine diuinæ iustitiæ, vt inquit S. Thomas 3. p. q. 98. ar. 7. quare Pythagoras tanquam prophetico Spiritu afflatus in eam opinionem deuenit. *Pythagorei falluntur.*

Sed dices quotuplex est ignis, & quomodo differant. Breuiter sit responsum reperiri quadruplicem ignem, quamuis Arist. libro 5. Topic. cap. 2. tres species faciat, datur ignis carbo, seu anthrax, qui apud nos est, datur ignis flamma, & ignis lux, & ignis elementalis, quem in concauo orbis lunæ reperiri diximus. Sed dimissa luce, nam de hac est alia quæstio, differunt isti ignes inter se, nec ne? Respondeo breuiter specie non differre, sed tantum accidentaliter, secundum magis, & minus calidum, & secundum subiectum magis, & minus densum. Dices, Arist. libro 5. Topicor. cap. 2. distinguit ignem flammam, & carbonem, & elementum ignis specie. Respondetur duplicem esse speciem *Quotuplex est ignis.* *An differũt ignes inter sese.*

essentialem, & accidentalem, apud Arist. distinguntur specie accidentali, non autem essentiali, seu substantiali, & in hoc fuit deceptus Alex. Aphrodisæus lib. 1. metheor. c. 3. vbi hunc nostrum ignem specie differre ab elementari autumauit, verum perperam fuit locutus, cum magis, & minus apud Philosophos non varient speciem essentialem.

Quid alij senserint.

THomas de Garbo in summa priore q. 2. & cum ipso Cardanus lib. 2. de subtilitate rerum, & Telesius lib. 3. de rerum natura iuxta propria principia cap. 43. negant dari ignem in concauo orbis lunæ existentem, & Telesius non solum ignem, sed aerem etiam ad rerum generationem, & mistionem inutilem esse autumauit.

Et primò videtur absurdum, & inconueniens sub re purissima, simplicissima, & omnis qualitatis experte, rem ardentissimam collocare, præsertim absque medio, quod natura, semper inter duo extrema, interponere solet.

Secundò videmus comites accendere calorem intollerabilem, vnde bella, & rixus per accedens solent comitari, quid tunc fierer, si tanta regio, scilicet, spatium illud concauum sub luna igne ambiretur?

Tertiò si ibi reperiretur ignis tunc, & aerem, & vniuersum incenderet.

Quartò si ibi esset ignis luceret.

Quintò cur si in altum ascendimus, omnia frigidiora apparent?

Sextò superfluus est hic ignis, nam calore cælesti generatio fieri potest.

Septimò si ibi reperiretur, tunc cum sit leuissimus contra sui naturam descenderet ad rerum productiones.

Octauò absurdum est inter duo extrema duo media ponere, nam vnum sufficiens est.

Nonò faces, & cometæ, nec etiam conuincunt ibi esse ignem, nam hæ sub igne, & iuxta terram gigni dicit Arist.

Decimò ignis non datur, quia non apparet in mistis, & in sublimationibus tantum tres substantiæ apparent, aqua pro aqua, oleum pro aere, terra quæ subsidet. Hæc ex Thoma de Garbo, & Cardano.

Decimoprimò contendunt nonnulli authoritate Platonis in primis verbis Timæi asserētis, vnus, duo, tres, vbi quartus, quod Plato intelligat per illa priora verba terram, aquam, & aerem, quæ sunt manifesta, & cunctis in propatulo, sed vbi nam est quartus, scilicet ignis, de quo dubitatiue loquitur?

Decimosecundò, ignis est agentissimus propter calorem ipsius intentissimum iunctum siccitati, quæ est lima caloris, & cum Planetarum calidorum subsidio, vt Marte, Ioue, vt Astrologi inquiunt, destrueret reliqua omnia elementa, & vreret plantas, & animalia præsertim in æstate.

Decimotertiò, & fortius, si in cōcauo orbis lunæ reperiretur ignis, tūc deberet moueri à motu firmamenti, veluti etiam & tertia aeris regio secundum Arist. in metheor. mouetur, sed tunc sic contra, nam si ignis mouetur, ille motus debet esse circularis, scilicet secundum motum firmamenti, & hic motus, vel est ignis naturalis, vel non, non naturalis, nam proprium ignis est moueri sursum, si non naturalis, ergo violentus, sed nullum violentum durabile primo cęli, etsi naturalis esset, tunc non esset verum illud Arist. dictum, quod vnius corporis simplicis, vnicus est motus simplex, & tunc ignis duos haberet motus.

Decimoquartò, corpora non affixa clauo, nec aspera non possunt circumduci à motu, sed elementum ignis non est affixum clauo, nec est asperum, ergo non potest duci à firmamento, & per consequens ibi non est.

Decimoquintò ex Telesio, etiam in maris, & terræ profundo gignuntur quam plurima mista, & summo prædita calore, & salsa, bituminosa, sulphurea, nitrosa, sed ibi ignis quomodo esse potest?

Tandem 16. ex Arist. primo Metheor. cap. 4. corpus quod est maximè propinquum Lunæ secundum consuetudinem vocarur ignis, ignis enim excessus caloris, & exarsio quædam est, id etiam con firmauit Macrobius libro de somno Scipionis, vbi inquit sub concauo orbis Lunæ reperiri aerem pruriorem, ergo non ignem. Hæc sunt argumenta rationes, experientiæ, quibus probatur non dari ignem elementalem. Sed breuiter his satisfaciamus, quorum multis argumentis respondet Iulius Cæsar Scaliger nona exercitatione aduersus Cardanum.

Responsio ad rationes

Ad primum ergo dicamus, quoniam non est eadē materia cæli cum elementari, & inferiori, ideo non est putandum posse corrumpi cælum ab elemento ignis, & tunc esset absurdum, si supra cęlum posuisset ignem, at quia posuit cęlum, deinde ignem, tum nullum est in conueniens tanquam ignobile sub nobili, & contentum sub continente, neque ignis inconcauo est res ardentissima, & perperam Cardanus, neque semper natura inter duo extrema solet ponere medium, nam sub terra ignis perpetuo ardet, aer terram contangit, aqua scopulos.

Ad secundum respondetur cometas multum calefacere ob materiæ densitatem, quod de igne non contingit, cum sit mira raritare refertus, & hanc ob raritatem non est necesse, vt omnia incendant, nec vt luceat, & sic tertium, & quartum argumentum euacuantur. Dicebat namque doctissimus Auer. libro 4. cæli 32. ignem non lucere ob eius raritatem, & subtilitatem, & tunc lucet cum opacatur subtili terreo, & idem Auer. libro 1. Cantic. 15. dicebat ignem in concauo orbis lunæ non habere calorem in actu in concessu, quoniam calor est certè res accidēs huic igni sensibili, eo quod in corpore terrestri existit. Huius etiam sententiæ est Alexand. inquiens, ignem in concauo parum, vel nihil lucere, & visionem non impedire aliorum astrorum.

Ad

Ad quintum sensimus frigiditatem supra aerem propter secundam aeris regionem, quæ quomodo frigida sit superioribus theorematibus est dictum.

Ad sextam non est superfluus ignis elementaris, nam cælestis calor efficientis rationem possidet e contra elementaris cum materiæ rationem præstet.

Ad septimum dicendum descendere portiones ignis ad mistionem, & generationem ab aeris portione sibi vicina grauiores redditæ, & motu cæli depulsæ. Sed contra inquit Telesius, nam portiones istæ parum quid deuolutæ, detrusæque ad proprium redeunt locum, & ad cognata redeunt corpora, vel motum saltem sistunt. Nisi esset, quod est maxima violentia ratione attritionis ex motu firmamenti facta, & quũ grauiasculæ factæ citius descendunt. Neque exiguas esse has portiones ignis existimandum, sed pro mistorum generatione, proportionatas, & sufficientes, & si quæ portiones, vt magis leues ad suum locum, vel ad cognata redeunt, parum refert, maior tamen pars dummodo descendat. Quare Telesius falsò colligit hoc nunquã fieri, nec esse factum, ex quo enim hoc colligitur, num sensus hoc ei ostendit, certè nequaquam, cum descensum hunc lateat sensum, cum enim supra supposuimus ignem non lucere, ideo non potest videri, quare nugæ sunt dicta hæc Telesiana. *Telesij instantia. Solutio.*

Ad octauam nequaquam est absurdũ inter duo extrema duo media ponere, quinimo ita esse faciendum fuit necessum, vt Theoremate 6. huius primi libri fuit demonstratum.

Ad nonam cometas in tertia aeris regione gigni fatetur Arist. quare nil argumentum concludit.

Ad decimam pars ignea insensibiliter resoluitur, & ideo sub aspectum non cadit.

Ad vndecimam respondetur Platonem non allusisse in Timæo ad elementa, nam alibi confessus fuerat ipsum ignem, scilicet in eodẽ Timæo, sed ad interlocutores, quare nullius est momenti subtilis, & curiosa illa argumenti explicatio.

Ad duodecimum dicimus, quod sicut ignis est actiuissimus, ita etiam est minimę resistentię, nam qualitas quælibet quanto magis agit, tãto minus resistit, & ideo si ex vna parte agit, ex alia patitur, ignis etiam actiuitas à pluribus reprimitur, ab aeris humiditate, à frigiditate secundæ regionis, à frigiditate aquæ, & terræ, non à frigiditate Planetarum, vt perperam Gentilis in Auic. tract. de Elementis, nam planetæ sunt de natura Cæli, Cælum autem non frigidum, sed virtualiter calidum.

Ad tertiumdecimum dicendum motum ignis circularem in sua sphæra nec esse pure naturalem, nec purè violentum, sed medium, scilicet præter naturam, & non violentum, nam inter motum naturalem, & violentum datur aliquod medium, quod dicitur præter naturam. Sed contra nam ex libro 7. physicorum, omne quod ab extrinseco mouetur, violenter mouetur, sed ignis in concauo ab extrinseco mouetur, scilicet à motu firmamenti, ergo. Respondeo, quod omne quod ab extrinseco mouetur, dummodo non concurrat inclinatio passi, violenter mouetur, modo non sic, nam inclinatur ignis ad talem motum. Nec si violentus esset motus ignis in concauo obstaret illud Arist. dictum primo cęli, nullum violentum durabile, nam ista propositio valet secundum numerum, non autem secundum speciem, nam secundum speciem non est inconueniens, vt vna res moueatur violenter, & conseruetur, dummodo non sit eadem res numero, modo non semper est idem ignis, nec idem aer, vt diximus de aeris secunda regione. *Obiectio. Solutio.*

Ad quartumdecimum licet ista corpora, scilicet ignis, & aer non sint affixa clauo, & sint polita, tamen propter velocitatem motus firmamenti omnes circumducuntur, veluti clarum potest esse exemplum de phiala plena aquæ, vini, vel alterius liquoris, vt olei, oleum superum locum occupabit, vinum medium, & aqua imum, tunc circum ducta hac phiala omnia, quæ sunt intus mouẽtur, & circumducuntur, sic etiam de motu firmamenti ad ipsum ignem, & aerem.

Ad quintumdecimum. Non credat Telesius sua esse inuenta, sed aliorum, nam hoc argumẽtum priusquam ipse, cognouerunt Antiqui, & grauissimi Peripatetici, & inter alios Paulus Soncinas lib. 10. metaphys. q. 27. vbi ait, non semper esse necesse, vt ad omnium mistorum generationem semper omnia concurrant elementa, quandoque enim vnum, quandoque duo, quandoque tria, & quãdoque quatuor, vel aliter dicendũ in profundo maris, & terræ adhuc adesse calorem ipsius aquæ, nam aqua maris non est simplex elementum, quare habet aliqualem calorem, vt supra diximus. Terra quoque habet aliqualem calorem, non enim est elementum purum, quare concedimus in profundum maris, & in viscera terræ non descendere ignem, sed mista generari illic ex terræ, marisque calore, solaribus radijs non neglectis, sat enim est ad generationem aliorum mistorum propè terram, & mare, vel parum in profundo, si ignis ille elementalis interueniat, descendatque. Quare non est necesse contra Telesium, nec vt videatur ignis descensus, nec vt ad imum maris, & terræ penetret semper. Nec est timendum aliquando deficere mistorũ generationem, vt timet ipse Telesius, nam mare in dies caliditatem recipit, & in dies descendit ignis, quare quantum fortassis ignis imminuitur, & à causis contrarijs corrumpitur, tantum descendit, & ignis ille, qui est in aqua maris, & terra poterit esse sufficiens ad aliquorum mistorum generationem, semper enim continuatur, vnde semper mista, eaque sulphurea, nitrosa, bituminosa possunt generari.

Ad sextumdecimum, & vltimum nõ colligitur ex illo loco Arist. non dari ignem, quinimo illum ibi multis rationibus probat, tãtum negat, vt optimè aduertit Buccaferreus, & Vicomercatus, quod ille ignis in concauo sit sicuti iste noster, qui non est proprie ignis, sed potius quædam exarsio, & feruor, vt idem etiam Arist. aduertit lib. 2. de gener. & corrupt. tex. 20. & 21. & ideo dicit ibi Aristotel. quod ex consuetudine ignem vocamus, nam exuperantiam, incendium, & feruorem significat. Ibi tamen Arist. scilicet in primo metheor. per aerem etiam elementum ignis intelligit, vt D. Thomas aduertit, intelligens scilicet superiorem aeris portionem, quare secundum Arist. in illo loco nomen aeris commune est duobus elementis, & fortassis hoc voluit innuere Macrobius nomine scilicet aeris ignem intelligendo, & hæc satis.

Quid sit temperamentum.

Theorema XVI.



T naturæ, & doctrinæ ordo exposcit, vt de temperamentis non nulla Theoremata in medium afferamus post elementorum contemplationem. A rei igitur natura sumpto exordio, dicamus quid sit temperamentum, sed quomodo rei essentia nobis innotescere potest, nisi eius multiplicem acceptionem sciamus, vt ob id magnum naturæ miraculum Arist. nobis posteris testatum reliquit lib. 1. cæli tex. 110. & Gal. libro 2. diff. pulſ. cap. 3. homonyma esse prius distinguenda, deinde diffinienda, Cum igitur apud medicos multiplex sit temperamenti acceptio, ni vocis ambiguitas, ac multiplicitas enucleabitur non ritè ad temperamenti essentiam accedere poterimus. Sex igitur temperamenti accepriones apud Medicos reperio, & quatuor præsertim apud Hugonem Senensem, Primum est temperamentum innatum, Secundum est influens, Tertium conflatum ex vtroque, Quartum est totale, seu vniuersale, Quintum est, quod apud Gal. significat substantiam. Sextum pro eo, quod ex qualitatibus resultat. Sed singula ad vberiorem doctrinæ gratiam declaremus. *Temperamentū innatum.* Primum igitur est temperamentum insitum, innatum, congenitum, græcè symfitos, quod temperamentum terrestre quodammodo dicitur, per quod animantia deorsum descendunt, iuxta illud Arist. libro primo, cæli. 7. vnumquodque mouetur ab elemento prædominanti. *Influens.* Secundum temperamentum dicitur influens, quod influit à principalibus partibus. Fecit enim sagax natura cerebrum, cor, & hepar, membra principalissima in nostro corpore, quæ non solum sibi, sed toti corpori subministrarent, cerebrum motum, & sensum, cor spiritus, hepar sanguinem toti corpori mittunt, ex quibus resultat temperamentum, quod dicitur influens in omnibus corporis partibus. *Ex vtroque conflatum.* Tertium est conflatum ex vtroque temperamento, scilicet innato, & influente, tanquam ex materia, & forma, quod dicitur mistum, & est in omni corporis parte, sic dicimus cerebrum mediante hoc temperamento generare spiritus animales, ventriculum, chylificare, & hepar sanguificationem facere. *Totale.* Quartum est temperamentum totale, seu vniuersale, & per coalternationem, & conflatur ex omnibus partibus corporis ex Gal. libro 1. de temperam. cap. 9. & libro 2. de temper. cap. 1. nam ex omnibus membris calidis fit temperamentum calidum totale, ex omnibus partibus frigidis fit temperamentum frigidum, & sic de humidis, & siccis philosophandum. *Quintū pro substantia.* Quintum est, quod significat substantiam, namque in Gal. doctrina quandoque temperamentum, & accidens, & substantiam significat. Nam libro 11. meth. med. cap. 1. dixit, vires nostras consistere in spiritibus, substantia solida, & carnosa, & ex ijs fieri temperamentum, quod temperamentum substantiale erit intelligendum, & libro de plenitudine cap. 30. & primo de præsagijs ex pulſ. cap. 4. & primo de simpl. med. fac. cap. 1. idem patet, & de hoc temperamento secundum substantiam loquitur Hip. libro 1. de nat. humana 11. & primo Aph. 15. vocauit calidum innatum naturam corporis, quod secundum Hip. animal efformauit, adauxit, & tandem ad mortem vsque nutriuit. Quare si calidum innatum est natura, natura est temperamentum, calidum innatum erit temperamentum. Sunt & alij sexcenti loci, idem confirmantes, sed breuitatis gratia mittantur, videndus Augenius libro 2. epist. tom. 2. epist. ad Antonium Lobettum. *Sextum pro temperie.* Sextum pro illa temperie, quæ resultat ex actione, & passione qualitatum elementorum, sic libro 4. Aph. 39. vocauit sanitatem temperiem, sed sanitas cum morbo sunt contraria, & hæc in eodem genere reponuntur ex Aristot. in Post. prædicam. in cap. de oppositis, morbus autem est accidens, ergo & sanitas, quod etiam confirmauit libro 1. de temperam. cap. 3. & libro 5. de san. tuend. cap. 11. & alijs in locis. Nos igitur derelictis prima, secunda, tertia, & quinta speciebus temperamentorum, iam enumeratorum, tantum sermonem habebimus de quarta, & sexta, quæ videntur coincidere. De temperamentis igitur, id est, de illis mediocritatibus, quæ proueniunt ex mutua actione, & passione qualitatum elementorum, & de illis mediocritatibus, quæritur breuiter in præsentiarum quid sint. Illud tamen prius velim sit animaduersum, idem esse apud medicos temperamentum, temperaturam, temperiem, temperationem, & complexionem, quæ differunt à mistione, nam temperamentum dicimus esse calidum, frigidum, humidum, siccum, quod de mistione non dicimus, nec signa, quæ temperamentum ostendunt, mistionem ostendunt. Deinde mistio est corporum, temperamentum est qualitatum. *Tēperamentum latè patet.* Verum vt ingenuè fateamur, si nos ad nominis etymon respiciamus, inueniemus idem esse temperamentum, & mistionem, vt rectè Argenterius aduertit in libro 2. art. med. nam crasis, quam Latini temperamentum vertunt propriè mistionem significat, sed nos in hoc sensu uon accipimus, sed intelligimus propriè temperamentum illam mediocritatem, ad quam deueniunt, postquam pugna cessauit, qualitates elementorum, & meritò temperies, & complexio dicitur, nam temperant inter se qualitates, & complectuntur adinuicem frigidum cum calido, & siccum cum humido, quod temperamentum ex omnibus resultat qualitatibus. *Quid temperamentū, & quod sit accidēs probatur.* Verum hoc non est adeo angustum, vt in se multa non comprehendat, est enim temperamentum latè patens, cum enim corpus viuens ex multis partibus similaribus, varijs, ac diuersis inter se constet, varia, & diuersa ob id erunt temperamenta partium, quæ temperamenta sequuntur qualitatem elementi prædominantis in vno quoque misto. Vt his habitis recta possit formari diffinitio temperamenti. Cum enim temperamentum sit accidens, vt ex supra dictis innotuit, & ex dicendis innotescet procul dubio qualitas quædam erit. Temperamentum esse accidens inde manifesta experientia probatur, nam adest, & abest præter subiecti corruptionem, suscipit magis, & minus, & inest ei contrarietas, quæ à substantia negantur, mutatur quoque temperamentum, modo enim ex calido fit frigidum, & ex frigido calidum.

Patet etiam idem ex hoc, nam fit ex qualitatibus, quæ accidentia sunt. Ob id rectè dixit Auic. libro

libro 1.fen.1.doc.1.cap.3. Temperamentum est qualitas, quæ ex actione, & mutua passione contrariarum qualitatum in elementis iunctarum prouenit, quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, vt cuiusque earum plurimum contingat plurimum alterius, idest elementa, vt in minimas partes diuidantur, & vndequaque se contingant. Quare temperamentum erit qualitas de prima specie qualitatis, vt habitus, & dispositio, nec refert primas qualitates scilicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, à quibus fit temperamentum, poni in tertia specie qualitatis ab Arist. in prædicamentis, nam nihil prohibet, primas qualitates diuersis respectibus sub prima, & tertia specie qualitatis reponi. Hæc tamen diffinitio non verificatur de mala complexione, quæ fit ab extrinseco, vt est febris à Sole, v.g. concitata, sed de complexione intrinseca ex actione qualitatum proueniente.

Quid alij senserint.

FErnelius libro 3. de temperam. cap. 1. & cnm eo consentit Fuchisius libro 1. suarum institutionum aliam attulere diffinitionem temperamenti, dicentes non esse mistionem, sed mistionis modum, ac rationem, & primarum qualitatum concentum, & harmoniam, quæ quidem qualitates in summo manent in ipsis mistis ex Fernelij sententia. Sed vt noua semper cupiunt homines afferre dogmata, sic vt plurimum à veritate discedunt.

Nec Fernelius quidem facere poterat, quin ad concentus, & harmonias illas corporum cælestium omnia referat, magis enim ipse Astris, quàm rationi tribuebat. Eapropter nos ab ipso petimus, quid est ista proportio, seu concentus, vel enim est substantia, vel accidens, per sufficientem diuisionem ex Arist. pluribus in locis, non primum, quia tunc ex non substantijs gigneretur substantia, si secundum habeo intentum, & potius in hoc prædicamento qualitatis, quam in alio erit reponendum. Addimus etiam, vt fiat temperamentum deseruire mistionem, & illam proportionem, si enim in mistione non seruetur proportio miscibilium, nunquam fieret mistio, vt dicit Arist. lib. 1. de genera. & corrupt. 88. de gucta vini cum mille congijs aquæ, nam vinum corrumpitur. Et Argenterius addit contra Fernelium simile esse, inquiens, dicere temperamentum esse harmoniam, ac dicere animam esse harmoniam, quod ab Arist. libro 1. de anima est confutatum. Nec illud, quod asserit Elementorum qualitates remanere in summo, est homine philosopho dignum commētum, nam receptum est apud ferè cunctos philosophos, & præstantissimos medicos remanere remissas, vt refractas. Nec Fernelij rationes quicquam concurrunt aduersus temperamenti naturam à nobis supra explicatam, non enim ipse exactè Auicennam est assecutus, nam noninquit Auic. temperamentum esse quintam essentiam diuersam, & distinctam ab illis qualitatibus, sed ex omnibus illis resultare, & vnam ex illis esse non summam, nec intensam, sed remissam, & fractam. Clarius tamen hanc veritatem patefecit Iacobus de Partibus super Auic. vbi dixit, temperamentū, & qualitates esse idem secundum esse materiale, vt numerus, & res numerata, vt totum, & partes, sed secundum esse formale differre, & non esse idem, nam temperamentum, à quo est temperamentum, distinguitur à qualitatibus primis. Cætera verò argumenta Ferneliana ex his soluuntur, & quia sunt parui momenti dimittantur, eoque magis, quia Comes Montanus libro 2. de morbis cap. 4. ex professo hæc argumenta soluit. Nos autem, ne in superfluis conteramus tempus, illuc lectorem demandamus. Obijcies, si temperamentum prouenit ex qualitatibus, ergo idem ex se ipso, sed nihil ex se prouenit, ergo. Respondetur, nam quamuis secundum esse materiale conueniant temperamentum, & qualitates, tamen secundum esse formale differunt, & ideo idem ex se ipso non prouenit. Tandem obijcies, vel hoc temperamentum de nouo fit, vel præerat, certum est non præfuisse, ergo de nouo gignitur, ergo qualitates illæ corrumpuntur, vt Arist. propositio verificetur, generatio vnius est corruptio alterius & è contra lib. 1. de generat. & corrup. tex. 17. Dicendū est de nouo fieri, & vt diximus attemperatis qualitatibus fieri, non est autem necesse, vt ad temperamenti generationem omnes qualitates corrumpantur, quia sufficit, vt Arist. propositio verificetur, quandam portionem graduum, vel qualitatum deperdi, ac corrumpi, itaque quia non omnes qualitates pereunt, sed refractæ manent, ad mist interitum, & ad eius exactam corruptionem, quæ non repente fit, elementa recuperant suas quali tates, quas prius habebant. Temperamentum igitur esto qualitas ex quatuor qualitatibus prouenìens, non proportio, & concentus, vt perperam Fernelius. Neque etiam Veghæ, & Valleriolæ sententia recipienda est, qui sic temperamenrum definiunt, quod sit calidi, humidi, frigidi, & sicci congrua mistio, nam per hanc diffinitionem, nec etiam differret temperamentum à mistione. Neque tandem Vallesius libro 1. controuer. cap. 6. contra hanc iactam superius veritatem momenti quicquam determinauit, àrguit enim ipse, Aut temperamentum est vna qualitas in Socrate, aut plures, non vna, vt patet, & nos cum Auic. concedimus, ergo plures, sed cum sint in corpore innumera membra, & membrorum singulæ particulæ, tunc sunt innumeræ qualitates. Sed dicendum, si per innumeras Vallesius intelligit infinitas, nego, si finitas, & determinatas concedo, & admitto, & nil contra nostram, & Auic. diffinitionem, nam si inconueniens nullum esse videtur Vallesio in corpore innumeras esse particulas, quare innumeras esse qualitates erit absurdum? Sufficit enim esse postea vnam communem qualitatem, qua mistum illa, vel illa qualitate sit affectum. Nec erat necesse Auic. vt definiat, an hæc qualitas sit actiua, an passiua, nam nec etiam Vallesio prodest, sed cum Iacobo de Partibus affirmarem, non esse nec actiuam, nec passiuam, quia est in prima specie qualitatis. Ad illud, quod addit Vallesius de facultatibus naturalibus respondetur facultates naturales esse diuersas a temperamento, quod quidem in genere vnum est, attamen considerata partium condi tione sunt diuersa temperamenta. Sed quid amplius in re parum vtili, & necessaria immoramur? Hic igitur sit finis de acceptionibus, & essentia temperamenti.

Cōuellitur Fernelius.

Instantia. Solutio.

Obiectio.

Responsio.

Vegha, & Valleriola sentētiaex plosa. Vallesius notatur.

Vallesij ratio soluitur.

An

An reperiatur mistum, seu corpus temperatum ad pondus vbi de numero prius temperamentorum breuiter disputatur.

Theorema XVII.



Ouem huc vsque recepit tota ferè medicorũ Schola ex temperamenta Gal.lib.1.de temperamentis cap.8. quorum primum dicitur temperatum, græcè ἄκρατον, latinè quadratum dixeris, cætera vero octo non temperata dixeris, & sunt quatuor simplices qualitates caliditas, humiditas, siccitas, & frigiditas, quatuorque horum combinatione composita, vt calidum siccum, calidum humidum, frigidum humidum, frigidum siccum. Quamuis non desint alij, qui octo etiam temperamenta recipiant scilicet quatuor simplices qualitates cum materiæ effluxu, & totidem composita cum materiæ affluxu. Verum non rectè sumuntur differentiæ temperamentorum ab humoribus, nam illa sunt vera temperamenta, quorum temperamento res temperatur, sed temperamento calidi, frigidi, humidi, sicci, vel combinatorum fit temperies, ergo ab his sumendæ temperamentorum differentiæ.

Nouem ergo erunt temperamenta. Nec Antiquorum rationes, & opiniones rectè concludunt contra hanc veritatem, non enim probant temperamentum calidum, & humidum, & frigidum, & siccum aliquando in humano corpore non posse consistere. Sed semper vigere contendunt, quorum primum nos vltro concedimus, secundum verò negamus. Nam infantium ætas est calida, & humida, sed absumpto humore accedit siccum, senes humidum relinquit, & siccum præpollet, ergo aliquaado posse consistere hæc duo temperamenta non est negandum, semper manere, atque consistere, vt probabant argumenta Antiquorum, hoc est quod negamus. Verum fusè Galenus libro 1.de temper.cap.2. impugnat hanc opinionem, & illorum etiam asserentium quatuor esse temperamenta, & hanc opinionem, & ratione, & exemplis pulcherrimis impugnat. Maneat ergo firmum nouem esse temperamenta.

Temperatum corpus duplex.

Verum illud temperamentum primo loco dictum, quod dicitur corpus ἄκρατον duplex esse medicis, & philosophis cunctis est receptum, alterum, quod dicitur temperamentum æquale ad pondus, in quo elementa cum qualitatibus æquali gradu concurrunt, ita vt tantus sit calor, quantum frigus, & siccitas, & humiditas, alterum quod vocatur temperamentum ad iustitiam, & proportionẽ, quod qui habent temperati ad iustitiam dicuntur, in quo non est necesse, vt qualitates in gradu æquales reperiantur, sed vt sit talis concentus, & temperies ipsarum, vt sit conueniens formæ tali misti, & ipsius operationibus, licet qualitates, non sint inter se in gradu æquales, quod dicitur temperamentum ad iustitiam, idest ad debitam rationem meriti ipsius formæ, & operationis eius. Verùm de hoc temperamento secundo, seu de hoc corpore temperato ad iustitiam, non est apud medicos controuersum, sed tota est difficultas in primo temperamento, seu corpore, & misto, quod habeat illud scilicet temperamentum æquale ad pondus, de hoc enim est difficultas, an scilicet reperiatur in rerum hac vniuersitate tale corpus temperatum ad pondus, in quo elementorum qualitates sint æquis gradibus insignitæ.

Quatuor suppositis cõtrouersia deciditur.

Nos autem varijs opinantium sententijs derelictis, sic veritatem aperiemus, supponendo, vt prius ex Hugone Senensi quatuor verissima, quæ nunc deseruiunt rationi, & rei naturæ, & ipsi sensui non repugnantia, scilicet quatuor illa temperamenta, de quibus in superiori theoremate verba fecimus, scilicet temperamentum innatum, influens, & conflatum ex vtroque, & temperamentum totale, & vniuersale.

Non datur in corpus temperatũ ad pondus secundum primam acceptionem tẽperamenti.

Quibus quatuor suppositis veritas omnis elucescet. Non datur temperamentum æquale ad pondus, & per consequens temperatum corpus secundum primum significatum, nam non potest in rei natura subsistere, nam cum hoc temperamentum sit frigidum, & siccum, & terrestre, non poterit esse æquale ad pondus, ratione enim huius omnia deorsum tendunt, semper enim terra prædominatur, vt ob id sit communis consensus medicorum, & philosophorum, quod hoc corpus declinat potius ad frigiditatem, & siccitatem. Sed clarius, & breuius philosophemur, mista, aut sunt perfecta, aut imperfecta. Si perfecta ex quatuor elementis constant, in quibus semper terram abundare nemo sanæ mentis philosophus denegaret, sed quis est, qui non videat corpus temperarum ad põdus non esse, nec posse consistere cum maiori copia, & mole vnius elementi, si verò mista sunt imperfecta erit idem philosophandi modus, nam vel aqua, vel terra illi prædominantur, & tunc in idem incidunt, quare secundum hanc temperamenti primam acceptionem corpus temperatum ad pondus nullo pacto in rerum natura consistere poterit, nec intellectus ipse, vt ita dicam, illud concipere valebit, & quamuis intellectus aliquando ad impossibilia se extendat, tamen tunc veritatem non concipiet.

Non datur iuxta secũdam acceptionem.

Nec etiam datur corpus temperatum ad pondus iuxta secundam temperamenti acceptionem, scilicet secundum temperamentum influens, nam hoc temperamentum est calidum, & humidum, & in hoc temperamento consistit vita, quæ est mansio calidi in humido ex libro de long. & breuitate vitæ cap.3. nam hoc temperamentum alias secundum magis, alias secundum minus fruitur, quare secundum hanc secundam temperamenti acceptionem non reperitur corpus temperatum æquale ad pondus, & quoniam hoc est luce meridiana clarius pluribus non probetur. Si verò nostra conuertatur oratio ad tertiam temperamenti acceptionem, tunc dubio procul dabitur corpus

æquale

æquale temperatum ad pondus, erat enim tertio modo sumptum temperamentum conflatum ex ambobus, scilicet ex innato, & influenti, & pluribus probatur.

Primò veritatem hanc edocuit omniscius Gal. libro 1. de temper. cap. 8. & libro 2. de temper. cap. 1. & libro 1. artis med. cap. 15. & libro 2. eiusdem corporis temperati signa conscribit, & libro 3. eiusdem docet conseruationem. Nec est, vt cum Auic. dicamus, scilicet Galen. loqui de temperamento æquali ad iustitiam, non autem de temperato corpore æquali ad pondus, nam ex ipsa met Auic. diffinitione colligitur, sibi met esse contrarium, dum dicit, est Complexio æqualis, quando quantitates qualitatum contrariarum inmisto sunt æquales, non superantes, neque superatæ. Quare diffinitio Auic. est de temperamento ad pondus. Addo etiam Gal. libro de temp. morborum loqui de illo temperamento absolutiue, quod sit norma, & exemplar, & veluti statua Polycleti. Sed præter auctoritates addantur, & rationes, quarum prima ex Gal. colligitur, & ex naturali philosophia, nam illud est optimum temperamentum, quod est in æqualitate ponderis constitutum, nam si actu in homine v. g. aliqua excederet qualitas, non posset sentire omnes qualitates omnium obiectorum, quare, si tactus hominis non haberet hanc æqualitatē in pondere, vtique non sentiret excessus, & ob id plantæ, & ossa non sentiunt ex Arist. c. de tactu, quia hanc æqualitatem non habent.

Secundò vbi est reperire maius, & minus est reperire æquale, sed æqualia sunt mista, in quibus secundū magis, & minus elementa, & eorū qualitates dominantur, ergo necesse est, vt reperiantur æqualiter æquales, & sic dabitur mistū ad pondus. Nec bene respōdet Iacobus de Partibus ad maiorem, scilicet hoc modo, vbi est reperire aliquo modo æquale, non ad pondus, inquit ipse, sed peto quare non potest reperire medium ad pondus, nil respōdet. Nec valet quod quidam Neotericus inquit, scilicet, quod repugnat ob naturam, & modum mistionis, nam iterū peto, quare repugnat, non enim repugnantiam video, immo perfectionem in natura, & vniuerso. *Neotericus quidā cō uellitur.*

Tertiò posito vno contrariorum debet poni & alterum libro 1. cæli 44. & libro 2. cæli 18. sed datur inæqualitas in pondere, ergo æqualitas in eodem. Respondent aliqui, Arist. propositionem valere de contrarijs positiuis, sic Zimara theoremate 35. vt si datur calidum datur frigidum, non autem de contrarijs priuatiuis, nam non valet, datur finitum, ergo infinitum, nec ista, datur plenum, ergo vacuum, nam hæc sunt contraria secundum priuationem, & habitum, modo respondent ad argumentum æquale opponi vt priuatio inæquali. Verum hæc responsio est contra Arist. in post prædicam. in tractatu de oppos. vbi dicit, priuatiuè opposita non esse adinuicem, scilicet visus ad cæcitatem, sed æquale ad inæquale refertur, ergo non sunt priuatiuè opposita. *Zimara cō futatur.*

Quartò non datur transitus de extremo in extremum absque medio, sed dantur multa temperamenta in aliquo excessu, ergo debent dari in aliquo medio, quod habebit temperamentum æquale, & sic dabitur mistum ad pondus. Nec est ad rem, quod Iacobus de Partibus, inquit, quod quando venitur ad illud medium, illud medium non est stabile, & mansiuum, vt proprijs verbis ipsius vtar, sed hoc parum est, si permanebit pro pusillum temporis, nec vlla potest afferri ratio, quare diu non possit permanere. *Iacobus de Partib. con uellitur.*

Quintò sicut se habet in motu locali, ita se habet in motu alterationis, sed in motu locali deuenitur ad medium punctuale inter terminum a quo, & terminum ad quem, ergo similiter in motu alterationis. Nec benè negat Gentilis ex Auer. lib. 4. cæli 22. similitudinem, inquiens, mediū in loco non esse contrarium, sed medium in alterationis motu esse contrarium, sed contra, nam temperatum ad pondus verè est, quod constat ex contrarijs, sed tamen æqualiter.

Sextò sicut se habet in motu augumenti, & diminutionis, ita in motu alterationis de vna forma contraria ad aliam formam contrariam, sed inter augumentum, & diminutionem animaduertit ad medium punctuale, ergo in motu alterationis idem contingere debet.

Septimò cur non est concedendum temperamentum ad pondus? An quia aliqua causarum deficit? Non hercle, adest enim materialis, id est qualitates elementares, adest formalis, scilicet debitum temperamentum, adest finalis idest operatio, nam multo melior fit operatio cum hoc temperamento ad pondus, quam cum alio. De efficiente non curo. Sed dices, quod nam est hoc corpus temperatum ad pondus, cum apud Philosophos, & Medicos reperiatur triplex æquale ad pondus, præsertim apud Gal. libro aduersus Lycum cap. 6. vel secundum molem, seu magnitudinem, vel secundum qualitates, vel secundum vires. Clarum quidem est, non reperiri secundum primam acceptionem, scilicet secundum molem, vt etiam supra patuit, ergo relinquitur, quod reperiatur hoc corpus æquale ad pondus, vel secundum qualitates, vel secundum vires, & secundum Gal. hoc corpus temperatus ad pondus est homo, & præsertim eius cutis, quæ est in pulpa digitorū, vel vola manuum, hæc autem cutis temperatissima est, cōstat enim ex neruo, & carne, neruus frigidus est, & siccus, caro verò calida, & humida, ex horum coniunctione, atque mutua actione æquali in pondere, saltem secundum qualitates, vel secundum virtutes, seu vires, nam secundum molem quod conueniant elementa, & æqualia sint hoc fieri quidem non potest, nam si tantum ignis secundum molem esset in corpore misto, quantum est terræ, tunc cum ignis sit actiuissimus omnia alia elementa superaret, & mistum esset maximè intemperatum. Sat igitur est vt detur corpus æquale ad pondus, si elementa conueniant, vel cum æquis qualitatibus, vel secundum vires æqualibus, nam in mistione, v. g. erit octaua pars ignis respectu terræ, quoniam tantum in mistione valebunt octo partes terræ, quantum valebit pars vna ignis. Dices quomodo natura potest hanc mensuram tenere, num forcassis vtitur lancibus? Dicendum, veluti artem hoc mistum æquale ad pondus posse efformare, ita & magis ipsam naturam. Parum tamen refert artem, quædam facere, quæ ipsa natura non facit, vt Gal. inquit libro de constit. ar. med. 13. & ante ipsum Arist. lib. 2. phys. 79. de luxatis ossibus, quæ nunquam per sexcentos annos ipsa natura reponeret. Notandum tamen est ad maiorem intelligentiam istius opinionis, hoc temperamentum æquale ad pondus vniuersaliter, & secundum totum de facto non reperiri, & de possibili non repugnaret, quamuis de facto secundum partem possit reperiri, & dictum prius est de vola manus, & pulpa digitorum, & ob id dicebat Gal. lib. 1. de san. tuend. cap. 1. & libro de const. opt. corporis tantum imaginatione illud corpus vniuersaliter æquale ad pondus posse

Quod nam est hoc tem peramentū ad pondus. *Petitio, & responsio.* *Nota.*

posse reperiri. Sed ad quid Gal. conscripsit signa, & conseruationem huiusmodi corporis ad pōdus temperati, si non reperitur secundum totum. Dicendum, Gal. voluisse sibi proponere tanquam normam illud corpus, & illa signa, & modum curationis conuenire illi met corpori de possibili. Fecit enim Gal. veluti Aristo. qui in Poster. analyticis conscripsit omnes conditiones requisitas ad demonstrationem illam exactissimam, cui similem nunquam postea in tota vniuersa philosophia, & logica fabricauit. Si verò de temperamento quarto modo sumpto loquamur, tunc etiam dabitur corpus æquale ad pondus, nam datur aggregatio qualitatum, quæ est in omnibus partibus animalis simul, nam in toto animali tantum est caloris, quantum est frigiditatis, similiter de alijs, quamuis non sit in singulis partibus similiter, nam quibusdam inest calor magis, quibusdam frigus, & in hoc non videtur esse discordia apud medicos. Sed dices, cum elementa habeant qualitates primas, & secūdas, an secundum has omnes qualitates detur corpus temperatum ad pondus. Breuiter dicendum secundum vtrasque non dari, scilicet secundum motiuas, & alteratiuas, nam istæ qualitates duæ sunt incompassibiles, si enim est æqualitas secundarum qualitatum, scilicet motiuarum, necessario erit inæqualitas primarum scilicet alteratiuarum, & è conuerso, nam minor frigiditas facit maiorem grauitatem, quam facit maior calor leuitatem, vnde vt tanta sit leuitas, quanta grauitas, debet esse multo plus caloris, quod patet euidenter in ferro candentissimo, vbi plurimus calor minimum leuitatis inducit.

Petitio, & responsio.

De alteratiuis qualitatibus dicendum est dari mistum æquale ad pondus, vel secundum æqualitatem qualitatum, vel secundum vires, vt supra longiori oratione fuit dictum. Marsilius tamen libro 2. de gen. & corrupt. q. 15. affirmat in motiuis dari æquale ad pondus, & cum eo Albertus de Saxonia, &c. Et videtur cum ipsis esse experientia, nam oleum, & lignum videntur esse mista æqualia ad pondus secundum qualitates motiuas, nam supernatant aquæ, ergo videtur habere æqualitatem æqualem, scilicet grauitatem, & leuitatem. Sed ad hoc respondetur, non esse verum, sunt enim multo grauiora, quam leuiora, & si sub aquis non manēt est ratione pororum. Hinc est reperiri quędam ligna densa, quæ descendunt, nam non sunt porosa, & multū aeris non includunt, & ideo dixit Aris. lib. 4. metheor. 41. hebonum non super natare, sed nos etiam addimus buxum, & lignum guaiacum, idem de oleo dicimus, scilicet multum aeris includere, quia est viscosum, & rarum, & ob id supesnatare. Non tamen sunt æqualia ad pondus.

In alteratiuis datur, non in motiuis.

Quid alij senserint.

VEritatem hanc declaratam non nulli euertere conati sunt, inter quos est Auicen. libro 1. doc. 3 cap. 1. de complexionibus, & Auer. pluribus in locis prima par. cant. trac. 1. c. 19. & lib. 2. colliget c. 22. & lib. 1. cæli 7. lib. 10. met. 23. & 4. metheor. 10. lib. 2. de generat. & corrup. 48. Sed adsint rationes ex supradictis locis desumptæ.

Prima, ab æqualibus non prouenit actio, si ergo qualitates sunt æquales, tunc nulla actio, & passio ergo non dabitur corpus æquale ad pondus.

Secunda in omnibus mistis sicut est vna forma, ita debet esse vnica qualitas prędominans, quę est velut forma, reliqua vt materia, si enim omnes essent æquales, non posset mistum vnitatem per se habere ex lib. 2. Collig. cap. 1. lib. 10. metaphys. 23. & lib. 2. de gen. & corrupt. 28.

Tertio ex lib. 1. cæli, si daretur hoc æquale ad pondus nunquam quiesceret, non in terra, quia non abundat in ea plusquam in alijs elementis, nec in aqua ob eandem rationem. Dices in confinio aquæ, & aeris. Sed contra, nam cum locus sit conformis, & proportionatus locato participaret plus de necessitate aquæ, & aeris. Secundo, hoc mistum si esset homo præsertim, aut animal perfectius homine, si reperiretur, sed nec hoc, nam non haberet quid comedere, inquit Iacobus de Partibus. Amplius, si contingeret tale mistum expelli a proprio loco, non haberet quo vadat, nam non posset moueri ex se, nec ad illud redire, & si esset vilioris conditionis, quam elementa, & mista imperfecta.

Quarto principalis ratio, si datur æquale ad pondus, quando dabitur? Non in primordijs generationis, nam tunc authoritate Philosophorum, & Medicorum ab experientia non recedentium, calidum superat humidum, nec etiam in reliquis ætatibus, nam semper aliquid superat. Cæterum hæc obiecta facilè diluuntur, nec ad eam sententiam confugere debemus, quam habuit Argenterius lib. 2. ar. med. com. 5. vt Galenum ab argumentis Auer. tutetur, dicens secundum rei veritatem non dari exactè mistum æquale ad pondus, sed tantum secundum sensum, sensus enim sic illud iudicat. Verum ex supradictis hoc est falsissimum, nam secundum rei naturam exactè datur illud corpus vt supra. Neque quæ Curtius affert digna sunt philosopho. Quare nos dicimus ad Auer. & Auic. rationes, ad primam scilicet supponi falsum ab illis, nam quod est minus agit in maius, ergo quod est æquale agit in æquale, patet antecedens, nam duo gradus frigiditatis agunt in quinque caliditatis gradus.

Cōuellitur Argenterius.

Responsio ad argumēta.

Addo etiam, nam æqualitas in gradu non facit æqualitatem in potentia, & actiuitate, nam est actiuius calidum vt octo, quam frigidum vt octo, & hinc est, quod si misceantur simul duo cyathi aquæ, quarum alter sit frigidissimus, & alter calidissimus, tunc sine dubio magis præualebit caliditas aquæ calidæ, quam frigiditas, quare ex paritate molis, & ex paritate qualitatum sequitur maior, & minor potestas agendi. Adderem tandem in hac æqualitate sequi pugnam, sed non cum victoria, quare ab æqualibus non prouenit actio cum victoria.

Ad secundum dicendum istas qualitates non esse passiones formæ misti, sed dispositiones, ob id vna forma potest æquales qualitates dispositiuè habere.

Ad tertium quid sit respondendum iam patet, nam procedit argumentum Auer. de æquali ad pondus in qualitatibus motiuis, quod nos negamus, vt supra ob rationem supra tactam, vel sat erit

pro

pro nostra opinione si elementa sint æqua in misto, vel secundum qualitates alteratiuas, vel secundum vires, vt supra fuit declaratum.

Ad quartum respondetur posse dari in quauis ætate, sed præcipuè secundum Gal. libro 6. de san. tue. cap. 2. in adolescentia, sed tunc vniuersaliter dabitur cum illa humiditas cum caliditate reducitur ad mediocritatem, deinde secundum nos non est secundum totum hæc temperies, sed secũdum partem, & hæc satis.

An corpus temperatum ad pondus habeat operationes perfectiores corpore distemperato, et an hoc corpus magis resistat causis ægrotare facientibus, & quæ deinde sequuntur ordine temperamenta.

Theorema XVIII.



Apientissimus Gal. libro 2. ar. med. text. 3. & 6. hanc litem è medio sustulit, asserens hoc corpus temperatum perfectiores habere operationes corpore intemperato, quam veritatem etiam confirmauit libro de constit. art. med. Sed præter auctoritatem adsunt rationes.

Prima, nam anima, quæ est principium omnium operationum vtitur organis, quo stante, vbicunque sunt instrumẽta nobiliora, ibi nobiliores, & perfectiores, sed in corpore illo symmetro sunt perfectiora instrumenta, ergo ibi nobiliores, & perfectiores operationes.

Secunda illud quod est temperatum oppositum est intemperato, igitur magis recedit ab ægritudine, quia ægritudo est intemperamentum. Sed illud pro quibusdam argumentis dissoluendis, ignorandum non est ex sententia Hugonis Senensis collectiue omnes operationes esse perfectiores in corpore temperato, diuisiuè verò, & disiunctiuè posse esse non nullas in corpore intemperato perfectiores. Hinc est reperiri quædam animalia, quæ in quibusdam sensibus hominem superare videntur, qui quidem homo medium quippiam est in omnibus speciebus animalium, hinc distichon. *Notãda distinctio hæc.*

Nos sus auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit aranea tactu.

Hinc etiam est Arist. lib. 5. de gen. animal. dixisse hominem non procul olfacere, canes e contra, & Auer. lib. 2. de anima dicebat, vultures odorasse cadauera ad quingenta milliaria in bello Troiano. Et hinc etiam est, vt aiunt, Struchio camelum concoquere ferrum, & columbos concoquere lapillos, & Arist. libro de mem. & reminisc. dicebat, eos qui benè memorantur, male apprehendere, & è contra, referens vtrumque ad humidi, & sicci excessum, & idem met Arist. 30. part. probl. probl. 1. melancholicos ingenio valuisse probat exemplo Herculis, Socratis, & Platonis, Galenus quoque libro 2. art. med. 12. dicebat eos, qui habent corpus siccum, meliorem memoriam habere, quam qui habent corpus temperatum, & idem Galen. libro primo, de sanitat. tuend. & libro 6. non longe à principio ait operationes naturales, auctionem, concoctionem, distributionem, & nutritionẽ perfectiores esse in ætate distemperata, scilicet in pueritia, quam in ætate temperata, vt adolescentia, at voluntarias perfectiores esse in adolescentia. Experientia quoque sæpe videmus, eos, qui concauos habent oculos, melius videre, & tamen cerebri siccitatem arguit, & in regionibus intemperatis longiori vita frui homines affirmat Gal. lib. de hist. philosophica, vt in Britannia, & Germania. Et his tot, tantisque experimentis ratio fauet, quæ adhuc experientia patet, nam melius digerit, & citius concoquit cholericus, quam temperatus, ergo nõ est verum, omnes operationes perfectiores esse in temperato, quam in intemperato. Quę omnia argumenta, ea, qua vsi sumus superius distinctione ex Hugone, persolui facilè possunt. Quamuis me non latet hanc distinctionẽ acriter impugnari à Iacobo de Partibus, verum obiectis Moutius respondet, & bene, vt non oporteat semper aliorum dicta recensere. Vt autem non nullas experientias supra adductas soluamus sciendum est, Simiã non habere exquisitum gustum, sed illum præ se ferre ob illas gesticulationes, quas sæpe sæpius facere solet. De Aranea dicit Albertus cognomento Magnus habere prauum tactum nam est frigidæ, & siccæ complexionis, viscosamque habet humiditatem, quæ tactum hebetat, vnde ignem admotũ non statim sentit, quod si percipit vermiculos cadentes in sua tela illud est propter motum, qui fit statim in tela, quæ continuum corpus est. De Struthio camelo rei veritas est nequaquam ipsum concoquere ferrum, vt inquit Alex. Aphrodisæus in præfatione problem. Idem dicimus de columbis. De melancholicis alias Deodãte loquemur, quomodo scilicet ille Arist. locus intelligatur. De cholerico dicimus, quod citius digerat, & concoquat, tamen non crediderim, melius, & perfectius concoquere tẽperato, nã licet in magno igne citius carnes, vel quid aliud coquantur, tamen melius postea, & perfectius in lento, & temperato igne coquuntur, vnde dulciori, & suauiori sapore comeduntur, vt in dies hoc experientia patet. Si quæ verò sunt alia argumenta ex auctoritate, vel ratione ducta illa superius iacta distinctione persoluuntur. Sed accedamus ad aliam partem theorematis, an scilicet corpus temperatum resistat magis causis ægrotare facientibus. Et breuiter dicamus, vel enim consideratur corpus ratione propriæ naturæ, quæ fortis est, vel ratione qualitatum, si primo modo consideratur resistit magis causis ægrotare facientibus, quam corpus intemperatũ. Hinc videmus, metalla, *Solutio ad rationes supradictas.*

& lapides,ratione propriæ naturæ, & exactæ vnionis esse diuturniora alijs mistis,si verò considera-
Petitio, & responsio. tur corpus temperatum ratione qualitatum, tum minus resistet causis ægrotare facientibus. Vel me lius dicendum corpora temperata collectiuè resistere magis causis ægrotare facientibus, distributiuè verò corpora intemperata. Sed inquies,cur temperata corpora collectiuè resistunt magis causis ægrotare facientibus? Respondeo ob plura, Primò,nam corpus temperatum opponitur intemperato,ergo magis recedit ab ægritudine,quæ est veluti intemperamentum.Secundò ex Arist.lib. de long.& breuitate vitæ,quod minoribus contrarijs constat,non citò infirmatur,& interit,sed temperatum constat minoribus contrarijs, ergo. Tertiò non abundat multis excrementis,ergo. Quartò minus cæteris est passibile à causis extrinsecis, & ob id Gal.libro de opt.corporis constitut.cap.3. dixit corpus mensuratè dispositum difficillimè ab extrinsecis pati, & subiungit etiam ipsemet Gal. minus ab intrinsecis pati, quare corpora temperata resistunt magis causis ægrotare facientibus, quam intemperata, & per consequens sunt longæua. An verò Gal.textus sextus libri 2.art.med.vbi corpus temperatum magis resistere causis ęgrotarę facientibus asseruit,intelligatur vniuersaliter,vt Saluus Sclanus contra Turisanū contendit,an definitè, & potius particulariter intelligatur, vt Turisanus affirmat,nunc determinare super sedeo, sat erit sit secundam hanc Theorematis partem sic esse determinatam. Si verò loquamur de hoc corpore temperato distributiuè in hunc sensum militant non nulla argumenta, quæ videntur esse contra veritatem Theorematis. Namque dicebat Arist.5.part.probl.probl.22.& Galen.libro 8.meth.med.c.8. corpora symmetra facilius incidere in morbos, quam asymmetra,vbi Gal.enumerat nouem temperamenta, in quæ fieri potest lapsus, in quibus primo loco enumerat corpora calida, & sicca,secundo loco calida,& humida, &c.Vnde rectè dixisse videtur Arist.lib.2.de gen.& corrup.tex.25. in habentibus symbolum facilior est transitus,quam in asymbolis, quare corpora temperata facilius ægrotabunt. His addas,nā homo est maximè temperatus ex supra dictis,& ex rei natura, sed homo maxime omnium est morbis subiectus, quare corpus temperatum minus resistit causis ægrotare facientibus. Ad hæc adsint sensus,& experientia,nam temperata corpora statim patiuntur ex Auic.lib.3.fen.3.cap.de oculis,statim enim dolent temperata. Sed quid adhæc sit respondendum,iam supra patet. Nunc autem dubitatur, postquam iam fuit declaratum corpus temperatum ad pondus magis resistere causis ægrotare facientibus,quo nam deinde ordine sequuntur corpora,quæ magis etiam resistant, cum fuerit supra declaratum plura esse temperamenta. Breuis esto responsio,temperamentū sanguineum,scilicet calidum & humidum magis resistere causis ægrotare facientibus, & propterea longæuius post temperatum supra dictum.Hoc patet ex eo, quia temperamento supradicto magis accedit, & ob Id Antiqui, ni fallor,& fuit opinio Athæneorum,asseuerabant temperamentum calidum,& humidum esse temperatum,vbi Ver includebant,ex Gal.lib.1.de temperam.c.4.Sed Gal.hos infringit authoritate Hip. lib.2.epid.in Cranone,& lib.3.epid.com.1.tex.3.exemplo carnium in Austro,& è contra in Borea hanc veritatem confirmat. Quidquid tamen sit, sufficit hoc temperamentum sanguineum magis ad temperamentum ad pondus accedere. Secundo idem probatur ex eo,nam plus abundat principijs vitæ,quæ sunt calidum,& humidum, vita enim est mansio calidi in humido. Tandem plus à frigiditate,& siccitate elongatur hoc temperamentum, quod est senectutis, & mortis famulum. Nec obijcies ex his rationibus hoc temperamentum,quod est calidum, & humidum debere esse longæuius temperato, & magis resistere causis ægrotare facientibus,nam quamuis habent plus de calido, & humido,& magis est elongatum à frigiditate,& siccitate,tamen hoc humidum, non est ita digestum,& purum,nec calidum est sic proportionatum operibus concoctiuæ,& nutritiuæ, sicut corpus temperatum ad pondus,& æquale,& licet sit remotius à frigiditate,& siccitate,tamen abundat adhùc humiditate,quæ ad caloris extinctionem cooperatur, quæque mater putredinis à metheoristis vocitatur.Sequitur postea complexio cholerica post sanguineā, primo,quia plus habet calidi innati,in quo vita consistit,hinc videmus in corporibus,quæ hoc temperamento fruuntur, pulsum,& respirationem maiorem,& vegetiorem coctionem,digestionem,& nutritionem commodiores,& meliores,quam in phlegmatico tēperamento,& melancholico,Secundo plus abundat de sanguine benè digesto,qui naturæ thesaurus est.Tertiò excrementis minus est onustum,quæ in phlegmatico,& melancholico abundant.At obijcies calor tēperamenti calidi, & sicci est veluti ignis fortis In lignis
Duplex instantia. Solutio. siccis,& debilibus, qui velocissime deficit,deinde sunt magis ad hecticā febrem disposita huiusmodi corpora,cū in symbolis facilior transitus,quam in asymbolis.Nec valet hæc prima instātia, nam humidum semper obsistit,nec verè ignis est,sed est proportionatum tēperamentū,immo calor ipse contrario modo flāmæ operatur ex Gal.lib.de marasmo c.3.nam continuò calidum innatum est extensum trahit materiā ad se,dispensat illam,apponit,& assimilat. Nec semper ad hecticā, quæ erat secunda instantia,sunt illa corpora disposita,nā calidum, & siccū non simpliciter est ad hāc febrem idoneum,sed valde,ac valde calidum,& siccum, de quo excessu nos non loquimur.Sequitur tēperamentū frigidum,& humidum post calidum,& siccum,nā ratione humiditatis plus accedit ad εὔκρατον,quam frigidum,& siccum,s. melancholicum,quare plus habet de humido radicali, quā melancholicum,deinde phlegma coctione fit sanguis,quod non est de melancholia.Sequitur postea tēperamentū frigidum,& siccum,s. melancholicum,quod est breuissimæ vitę,quia recedit à temperato in vtraq; contrarietate,& minus habet de vitæ principijs.Sed quid pluribus verbis est opus,hæc tē-
Obiectiones. peries est senectutis soror,& mortis germana. Sed contra,nā hoc temperamentum est durū,compactum,& magnæ resistentiæ aduersus causas resoluentes humidū,& aduersus causas ægrotare facientes. Amplius nōne oculata inspectione videmus rusticos,qui nigro pane aluntur fabis,cæpis,& alijs id genus rusticis,magis æstus,& labores tollerare,quam sanguineos,& phlegmaticos delicatè nutri-
Solutiones. tos.Dicerē,melancholicum à natura nō esse durū,nec compactum ex Gal.lib.2. de temp.vlt. nam si eius frigiditas,& siccitas fuerint à rei principio,tunc corpus erit albū,molle,& tenerum, & esse durum concesso eorum corpus,quia tamen in eo pessima est restauratio deperditi,non erit longęuū,ac minus resistit causis ægrotare facientib. De rusticis dicerē,eos,vt plurimū, quia ad eorum membra trahuntur humiditates indigestæ perduci ad ægritudines chronicas, ac mortem eis accelerari.

Quare

Quare vt receptui canamus, ſic temperamenta procedunt. Quod maximè eſt longæuum, & cauſis ægrotare facientibus magis, ac magis reſiſtit eſt ἄκρατον, ſecundo loco calidũ, & humidum, Tertio loco calidum, & ſiccum, Quarto loco frigidum, & humidum, Quinto loco frigidum, & ſiccum. De ſimplicibus temperamentis breuiter idem erit philoſophandum eodem ſcilicet ordine, quo ſupra.

Primò namque erit quod magis reſiſtit cauſis ægrotare facientibus, ſcilicet temperamentum calidum, Secundo temperamentum humidum, Tertio frigidum tantum, Quarto ſiccum tantum.

Quot ſint ætates, et de earum temperamento.

Theorema XIX.



CVm ætatum theoria ex Gal. teſtimonio libro 2. de tempetam. cap. 2. ad plura ſit vtilis, ac neceſſaria, eapropter nunc breuis inſtituatur ſermo. Vtilis igitur eſt ad temperamentorum, humorum, & morborum cognitionem, neceſſaria quoque eſt in purgando per pharmaca, in ſanguinis miſſione, in præſagiendo, & in morbis indicandis, nam indicant ætates febres, alioſque morbos ex Gal. lib. 1. Aph. 12. indicant bonas excretiones ex Gal. lib. 4. Aph. 47. ad præſagiendum multum faciunt ex lib. 1. epid. com. 85. ad ſanguinem mittendum ex lib. 4. de rat. victus in morb. acutis 19. in cibo offerendo ex lib. 1. de rat. victus in acutis 45. Sed his dimiſſis ad alia pergamus. Sunt igitur ætates, vt de eorum deſcriptione nonnulla dicamus, illa vitæ, ſeu temporis curricula, cum fætus recedit ab illo calido, & humido, ex quo generatio, & vita, eiuſque manſio conſtant, ad frigidum, & ſiccum. Vel aliter deſcribitur ætas ex Alberto Magno lib. de ſenec. & iuuent. ætas eſt tempus vitæ animalis, quo creſcit, ſtat diminuitur occultè, & manifeſtè, vel ſecundum alios, ætas eſt diſpoſitio accidentalis complexioni principaliter attributa, menſurata periodo temporali ſecundum diuerſam habitudinem caloris naturalis ad humidum radicale. Sed quot ſunt ætates? Variæ certè ſunt de ætatum numero ſententiæ, nam aliter Aſtrologi, aliter phyſici, aliter medici, inter quos adhùc eſt diſcrimen. Nos autem rem breuibus complectemur cum Ariſt. qui intimius, ac ex rei natura philoſophatus eſt. Dicamus ergo duos eſſe, vel tres gradus ætatum, omnis enim recta diuiſio bimembris eſt, vel ad bimembrem, ſi trimembris eſt reducitur. Ariſt. namque lib. de iuuent. & ſenec. & Hip. lib. de ſalubri diæta duas ætates poſuerunt, ſcilicet adoleſcentiam, ſeu iuuentutem, & ſenectutem, ſeu defectum, & augumentum, & hæc diuiſio ætatum eſt ſpecifica, & valde ſufficiens, nam deſumitur à natura rei, conſiſtit autem rei natura in operibus manifeſtis virtutis nutritiuæ, nam ſi virtus augetur, & conſeruatur perfectio, & fortitudo virtutis in vigore ſuo, fit iuuentus, ſeu augumentum, quod includit ſtatum, cum virtus in ſtatu æqualiter videatur ſe habere, nec videatur ſenſibilis diminutio, & auctio, ſi verò virtus ſenſibiliter deficiat erit ſenectus. Verum ſi facilioris doctrinæ gratia ſtatum ſeparare voluerimus ab extremis, tunc tres erunt gradus ætatum, ſcilicet augumentum ſtatus, & defectus, ſeu declinatio, ſeu ſenium, conſiderando ſcilicet motum nutrimenti, & viuentis diſpoſitionem cauſatam à calido innato, tunc huic calori, aut magis apponitur, quam ſit reſolutum & ſic fit iuuentus, ſin minus eſt ſenium, ſi æquatur eſt ſtatus, qui quidem motus ſunt differentes. Tot igitur ſunt ex rei natura deſumptæ differentiæ ætatum. Nec debemus ſine neceſſitate multiplicare entia, fruſtra enim fit per plura quod fieri poteſt per pauciora, verũ fortaſſis haud æque bene. Sed ſtatim obijcies, ergo plantæ ſecundum hanc iactam ſententiam habebunt ætates. Reſpondetur eſſe id concedendum, vt experientia docet, & ex Theophraſto pluribus in locis colligi licet libro de plantis, & cauſis plantarum. Nec inconuenit hoc non eſſe in vſu, nam hoc parum refert. At etiam dices, vinum, & alia compoſita medicamenta v. g. theriaca gaudent ætatibus, nec ne? Reſpondeo impropriè hæc dici recentia, & vetera, nam in his non eſt actio calidi in humidum, niſi ab extrinſeco, non ab intrinſeco, ſcilicet à virtute nutritiua, vt in animalibus, & plantis. Qui igitur de ætatum diuiſione aliam habuerit opinionem, aut à veritate aberrabit, aut clarioris doctrinæ gratia in plura voluerit ætates diuidere, & ſecundum hanc viam quamplures inceſſere, vt Pythagoras, qui iuxta quaternarium numerum temperamentorum, & anni temporum diuiſit ætates, referente Petro Crinito libro 5. cap. 9. παῖδες εἴκοσιν νεανίσκοι εἴκοσιν, νέοι εἴκοσιν, γέροντες εἴκοσιν. Hanc eandem ætatum diuiſionem inſectatus eſt Hip. 3. libro Aph. ponens pueritiam, adoleſcentiam, ætatem conſiſtentiæ, & ſenectutem, & quandoque ponit iuuentutem diſtinctam ab adoleſcentia. Gal. in com. de ſalubri diæta videtur etiam quatuor ætatus ponere iuxta quatuor anni tempora, temperamenta, humores, & elementa. Hanc etiam diuiſionem ſequitur Auic. nam vſque ad triginta annos, vna eſt ætas, & dicitur adoleſcentia, alia vſque ad triginta quinque, vel quadraginta, & vocat illam ætatem conſiſtentiæ, ſeu ætatẽ pulchritudinis, tertia eſt ætas minuendi, & eſt vſque ad ſexaginta annos, & quarta vſque ad finem vitæ. Aſtrologi verò in ſeptem gradus diuiſere ætates, vt Proclus Platonius libro de anima, & Dæmone, & vnicuique ætati vnum tribuit, atque aſſignat planetam, iuxta illud vulgare metrum ametron

Aetates quomodo deſcribuntur.

De numero ætatũ quid ſentiendũ.

Alij quatuor faciũt ætates.

Aſtrologi in ſeptẽ diuidunt ætates.

Infans, inde puer adoleſcens, iuuenis, vir,
Subſequiturque ſenex, poſtea decrepitus.

Illud autem diligenter eſt memoriæ mandandum, vt exacta habeatur doctrina de temperamentis ætatum, ætates dici calidas, frigidas, humidas, & ſiccas comparatione facta ad illam ætatẽ, quæ omnium optima, & temperatiſſima cenſetur, vt adoleſcentia eſt. Eſt igitur prima ætas, quæ lunam habet patronam, inquiunt Aſtrologi, tanquam quippiam humidum, & dicitur infantia, ætas quidem

mollis, & infantia dicitur, quasi pueruli fari non valeant, & durare vt plurimum solet vsque ad septem annos, quamuis alij dicant esse ad minus spatium, & Cicero addebat libro 3. de Oratore, ob id dicitur infantia, quia res explicare non queant.

Secunda ætas dicitur pueritia, quæ Mercurij patrocinio gaudet, quasi hæc ætas sit studijs, musicæ & literis apta, & duret vsque ad decimum quartum annum.

Tertia ętas dicitur pubertas, quæ Veneri est dicata, in hac ętate membra genitalia acutiora fiunt, vnde ad venerea de facilè labimur, & Arist. de hac ætate loquens libro 5. de hist. animal. cap. 14. dicebat loquens de tempore veneri apto, Res igitur homini innotescit, tum vocis mutatione, tum etiam testium, non magnitudine tantum, verum etiam specie, quemadmodum etiam mammis declaratur, sed præcipuè ortu pilorum pubis, quæ lanugo dicitur, & circa pudenda oriri incipit, de quib. etiam pilis locutus est Arist. clarius libro 7. de hist. animal. cap. 1. & 4. partic. probl. 4. hæc ætas incipit à decimoquarto anno inclusiuè, & à decimoquinto exclusiue, & se extendit ad decimum octauum annum inclusiuè. Sed dices, libro 5. Aphor. 7. in illo Aphor. Quibuscunque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt, &c. vult ergo pubertatis tempus esse à decimo quarto anno vsque ad vigesimum quintum, quare Galen. est contra nos. Dicendum Gal. per pubertatem etiam intelligere adolescentiam, nam in libro 5. Aph. 9. Tabes fiunt à decimo octauo anno ad trigesimum quintum. Quare nomine pubertatis etiam subintellexit adolescentiam. Rectè nos igitur diximus pubertatem à decimoquarto anno incipere, & ad decimum octauum annum finire. Quamuis totum hoc tempus à primordijs scilicet vsque ad adolescentiam Hip. in quatuor partes diuiserit lib. 3. Aph. à tex. 24. vsque ad 27. vbi perbellè enumerat morbos omnes contingentes puerulis iuxta quadtuplicem ætatis significationem.

Quarta ætas Soli attribuitur, cum in hac ætate magnanimitas, fortitudo, & splendor animi, & corporis vigeant, & dicitur adolescentia, quæ est à decimo octauo anno vsque ad vigesimum quintum, quæ est ętas calida humida, & cæteris omnibus melior ex Gal. lib. 6. de san. tuen. c. 2.

Quinta ętas est Martis, nam in hac gloriam, diuitias, honores, victorias, armaque concupiscimus, & potest vocari ætas vigoris, seu iuuentus, & flos ætatis, & ætas consistentię, seu constantiæ, & est à vigesimo quinto anno ad trigesimum quintum annum.

Sexta est ætas Iouis, nam cum adhoc vitæ spatium peruenimus ad studium veritatis, & iustitiæ trahimur, & vitę politicæ, & ciuili incumbimus, prudenter, atque quietè viuendo, & ab Hip. vocatur ætas καθεστηκία, idest declinans, quæ facit senectutis principium, & est à trigesimo quinto anno vsque ad quadragesimum nonum, & tunc frigidi, & sicci fieri incipimus, vocatur etiam ætas subsistentiæ. Vnde hic vnum obiter aduersus Leoni sexum animaduerto, qui in conuersione illius Aph. libro 1. Apho. 13. Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco, qui ætatem consistendi habent, debebat enim dicere, qui ætatem subsistendi, & non consistendi, tunc à trigesimo quinto infra incipimus subsistere, & non consistere, hæc ætas dicitur cruda senectus, seu semisenectus à Gal. libro 2. prognost. 69. & dicitur viridis senectus, seu semicanus græcè mesopolios, vnde Virgilius libro 6. Aeneidos,

In Leonicenum animaduersio.

Iam Senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Septima ætas Saturno attribuitur, quæ melancholica est, & est frigida, & sicca, & in hac omnia membra minora fiunt, & si quandoque dicat Galen. hanc ætatem esse frigidam, & humidam, est tamen humida per accidens ratione multorum excrementorum, quæ à caloris naturalis defectu trahunt originem. In hac ætate homo à rebus iocosis disiungitur, à corporis voluptatibus separatur, vt enim ille dixit

Assiduos gemitus ægra senectus habet.

Et alibi dicitur,

Terga dedit, tremuloque passu venit ægra senectus.

Et Boetius libro de consolatione philosophica decantabat,

Venit enim properata malis inopina senectus.

Hæc ætas à quadragesimo nono anno vsque ad sexagesimum, vel septuagesimum desinit, postea est decrepitas, in qua non est nisi labor, & dolor, & psalmo 92. cecinit Regius Propheta Dauid. Verum illud ex Galeno velim omnibus sit notum, ex lib. 6. de san. tue. c. 2. ætates, non numero annorum esse dinumerandas, veluti annus mensibus, mensis diebus, nisi forte in latitudine quadam, secundum quam nos etiam numerum ætatum determinamus. Sed antequam finem huic theoremati imponamus insurgit difficultas circa ætatem consistentiæ, scilicet in illo tempore, quod vocatur status, & vigor an scilicet reperiri possit. Videtur enim neutiquam posse reperiri, nam homo quasi flos egreditur, & fugit velut vmbra, ac nunquã in eodem manet statu, semper enim est in lubrico, & rectè ille Poeta dixit,

An possit reperiri status.

Dum nostri tacitis labuntur cursibus anni,
Quam cito, quæ loquimur verba perire solent.
Viuitur humanos bis septem lustra per annos
Vix rectè vt valeas lustra bis octo feres.
E quibus eximios, quos viuimus, omne laborum.
Et genus, & miseri facta doloris habent.
Tam cito desinimus, tam sors hæc nostra caduca est,
Tam cito ceu penna præpete vita fugit.

Addo

Addo etiam, nam nunquam ociatur naturalis noster calor in humidum, quousque mors accedat. Quinimo res, quæ non naturales appellantur semper illud alterant, ergo nunquam sinunt esse in eodem vigore.

Tandem addas in iuuentute calor est fortior, & potentior, & auctior, ergo magis aget in humidum, ergo minus permanebit in eodem statu, quare consistentiæ status non erit concedendus. Sed dicendum in eo sensu dari statum, & ætatem consistentiæ, scilicet vt sit permanentia venustatis, pulchritudinis, & viuacitatis caloris, & perfectionis operationum, quantum ad sensum atque nostrum sensuale iuditium, nam quantum ad exactum statum negamus, cum sempet agat calor in humidum & in hunc modum dicimus argumenta procedere, & militare, & iuxta hunc dictum sensum dicimus hunc statum, seu ætatem hanc consistentiæ durare communiter decem annis à viginti quinque ad triginta quinque, & in ijs, qui fælici cælo vtuntur, & sobrij sunt in ratione victus vsque ad quadragesimum, dicebat Iacobus de Partibus. Hoc docet experientia, & communis medicorum sententia, & hæc satis.

De Autumno, quas qualitates habeat.

Theorema XX.



Voniam auctoritate Gal. libro 9. meth. med. cap. 14. & libro 11. meth. med. cap. 1. & Auic. libro 1. doc. 2. cap. 2. plures erant causæ alterantes aerem, præsertim tres, res naturales, non naturales, & præter naturam, & quoniam inter res naturales sunt anni tempora, cæteris nunc omissis, & inter anni tempora est autumnus, quem aerem alterare oportet in aliqua qualitatum, ideo meritò quæritur, quibus qualitatibus polleat. Breuiter igitur quid ex Hip. & Gal. vberrimis fontibus hausi, scribere non grauabor.

Dicam igitur Autumnum non esse temperatum in actiuis, vt falsò colligunt non nulli ex Gal. verbis in calce Aph. 22. tertiæ particulæ, namque ibi Gal. non dicit esse in actiuis temperatum, vt sibi persuaserũt, sunt enim hæc verba Gal. formalia, maximè verò par est, vt in frigido, & sicco inæquali, & malos gignente humores tempore partes ad ventriculum, atque ad intestina attinentes offendantur, ex quibus verbis, si quid colligere licet de autumni qualitatibus, potius esse in siccitate inæqualem autumnum esset arguendum, per illud verbum, Sicco inæquali, non tamen de frigiditate hoc potest colligi, quinimo si alibi Gal. consulamus libro 1. epid. com. 1. text. 1. vbi ad longum qualitates anni temporum enumerat, habemus in autumno siccum, & frigidum prædominari calido, & humido, quare in attiuis non erit temperatus saltem in frigiditate, Nam si rem intimius perscrutari velimus, magis in autumno viget frigidum, quam calor, nam libro 1. de temper. cap. 4. & libro 3. Aphor. 22. & in epid. loco supra citato frigidum mane, & sero dominatur in autumno, circa meridiem tantum calor, quare in actiuis neutiquam potest esse temperatus in Gal. doctrina, & in rei natura. Dein, quomodo Autumnus potest esse temperatus, si est vitæ nostræ contrarius, morbos acutos, & mortales pariens, & tabidis pessimus est ob eius siccitatem? Erit ergo in actiuis inæqualis, in passiuis etiam adhuc inæqualis, & intemperatus, magis enim viget siccitas in autumno, quam humiditas. *Autũnus non est tẽperatus in actiuis.*

Sed obijcies ex Hip. doctrina libro de diæta, vbi inquit, in autumno esse symmetriam, & moderationem siccitatis, ergo in siccitate autumnus est æqualis, ergo non est intemperatus. Dicas ibi comparatiue Hip. fuisse locutum, comparat enim humiditatem Veris cum siccitate Autumni, quam respectu humiditatis Veris inquit esse temperatam, non tamen in se est temperata siccitas in Autũno. Non me latet Marinellum aliter respondere in com. super omnia Hip. opera, scilicet libro de diẹta, loqui de media parte autumni, quæ respectu extremarum potest dici temperata. Vtraque congrua responsio est. Est igitur Autumnus inæqualis, intemperatus, & si qualitatem volumus nominare cum Gal. dicamus libro 1. de temper. cap. 4. esse frigidum, & siccum, & terræ comparari, & ob id libro 1. de natur. hum. c. 1. dicebat autumnum esse veri contrarium, cum Ver sit calidum, & humidũ, & ob hanc causam libro 1. Aph. 15. & libro 1. de natur. hum. dicitur, quod in autumno est paucus sanguis in homine. *Obiectio. Solutio.*

Sed dices, videtur Autumnus temperatus, nam ratione Solis, qui est in libra, & in medietate signorum, ergo, nam æquè distat à terra, quare temperatus, Gal. etiam hanc doctrinam non abhorret libro 1. de temper. cap. 4. & Auic. libro 1. doc. 2. c. 6. Respondetur Autumnum si ad aer comparatur, non esse temperatum, si verò ad extrema scilicet ad æstatem, vt hyemem posse dici temperatum, sic ratio supra dicta, Gal. & Auicen. procedunt. Ex his ergo concludamus in sui natura Autumnum esse inæqualem. Sed curiosus adolescens nos sciscitabitur Autumnus, an æstas in sicco magis præpolleant? Videretur dicendum iuxta proportionem elementorum cum humoribus Autumnum esse magis siccum, quam æstatem, cum Autumnus terrẹ assimiletur, quæ teste Philosopho libro 2. de gen. & corrup. 23. primo est sicca, deinde frigida, æstas autem assimilatur igni, qui primo est calidus, deinde siccus. Fauet etiam huic responsioni quotidianus rerum euentus, nam in Autumno decidunt folia ab arboribus. Econtra tamen videtur, nam squallore prædita est æstas, & experientia docet maximam siccitatem prædominari in æstate. Equidem quid in hac re proferam non audeo nunc in medium afferre, fortassis problematica est hæc dubitatio, & si declinare ad aliquam harum opinionum licetet, magis ad secundam accederem, nec proportio elementorũ cum humoribus, & anni temporibus ex omni parte vera est, cum ver temperatum sit, & si in Autumno decidunt folia, fortassis est ob regressum humidi ad intro, vnde extima rerum exiccata sunt in causa, vt folia decidant. Vt tamen dixi quæstio satis est problematica. *Obiectio. Responsio. An autumnus, an æstas sit magis sicca.*

An melius est, vt in Autumno vigeat siccitas, an humiditas.

Sed iterum pulcherrima dubitatio insurgit, an melius sit vt in autumno vigeat siccitas, quam humiditas. Videtur cum Hip. libro de aere, locis, & aquis esse melius, vt vigeat in autumno humiditas, quam siccitas. E contra postea libro 3. Aphor. 15. & in totam siccitates sunt meliores humiditate.

Quid dicendum. Paternus respondet tempora anni posse bifariam considerari, vel in vniuersum, & sic siccitates sunt meliores humiditatibus, vel particulariter, & sic dicit meliores esse in autumno, vt prædominetur humiditas, quam siccitas. Non contemnenda responsio, sed causam ego ignoro, quam Paternus subticet. Propterea dicerem, res malas, & perniciosas, quoties à suo temperamento naturali recedunt, & in contrarium abeunt esse, & fieri meliores, propterea cum sui natura autumnus existens frigidus, & siccus sit perniciosus, ideo si quandoque sortem mutauerit, idest vt in ipso vigeat humiditas, veniet magis præferendum, quam si in eo siccitas prædominabitur.

Quæ mala parit Autumnus.

Sed quorum malorum Autumnus est author, & parens? Respondet Hip. libro 3. Aph. 22. Autumno plurimi æstiui morbi fiunt, & quartanæ erraticæ, lienes, intercutes, tabes, stillicidia, vrinæ, dysenteriæ, lyenteriæ, dolores coxendicum, anginæ asthmata, ilei, epilepsiæ, furores, atræ biles, & libro 2. Aph. 25. dicebat, quatenus magna ex parte breues æstiuas, autumnales longas, & maximè, quæ hyemem attingunt, & libro 3. Aph. 9. Autumno morbi acutissimi, & exitiales maxima ex parte, & in eodem libro Aph. 10. tabidis pessimus est autumnus, si vero autumnus mutabitur in qualitatibus mutabuntur, & morbi, & libro 3. Aphor. 13. & 14. & libro de aere, aquis, & locis. Ob huius temporis pernitiem, atque malignitatem putauerim, quod magis ad verisimilitudinem eorum opinio accedit, qui Mundum verno tempore, & non autumnali fuisse conditum autumarunt. Namque conueniens satis erat, atque congruum, vt mundus in ea parte anni sit genitus, quæ optima, ac sana sit, cuiusmodi est ver, non autem in autumno, pars anni alioquin pessima. Atque huic opinioni lex Moisis consentit, nam in hac lege Deus iussit Iudæis, vt anni sit initium, ac Paschæ celebritatem peragerent eo tẽpore quo Sol ingreditur signum Arietis, quod est in vere. Huius sententiæ est Eusebius in Dhronico, Cyrillus in catechesis 14. S. Leo sermone 9. de passione, Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 4. Theodoretus q. 72. in exodum, S. Damascenus libro 2. c. 7. Isidorus libro 5. etymologiæ cap. de temporibus, Beda libro de rat. temporum, Strabus in 12. Exodi, Rhabanus ibidem, Historia Scholastica, cap. 25. de exodi historia Glosa interlinearis in cap. 35. Genesis. His adde, nam in illo tempore Christus suam passionem sumpsit. Nec obstat, quod in Autumno sit fructuum perfectio, seu ὀπώρα, nam potuit Deus etiam in vere creare omnes arbores cum suis fructibus. Quod etiam supra diximus Virgilius confirmasse videtur lib. 2. Georgicorum.

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim, Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hausere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvei
Immissæque feræ Syluis, & Sydera Cælo.

Dicat tamen quicquid velit Io. Picus Mirandulanus libro 7. contra Astrologos cap. 6. de Mundi origine tenens nil certi posse affirmari. Crediderim tamen ego hunc virum nunquam satis, atque satis laudatum in eam sententiam abijsse, quia contra Astrologos probare nitebatur, uon posse initium vnum constitui, de quo totius anni pendeant facta, tamen varia à varijs annis status principia, quare cum fuerit in parte argumentatiua Picus fortassis non debemus ipsum asserere ex mente propria fuisse locutum. Cur verò nunc annus à Vere non incipiat secundum ritum Ecclesiasticum videndus Clauius è Iesu Societate pater doctissimus in mathematicis disciplinis super sphæram Ioa. de Sacrobosco, & hic finis esto præsenti theoremati.

Quis sit naturalis senectutis terminus, et an possit retardari.

Theorema XXI.



Qvemadmodum sempiternæ veritatis est illud dogma apud Gal. libro de formatione fetus cap. 1. scilicet non esse certum, ac præfinitum terminum in fœtibus, neque motionis, neque absolutionis, neque eggressus in lucem (quamuis alibi oppositum sensisse videatur libro 6. epid. can. 7. text. 29. & 32.) verum in hoc loco, vt plurimum est Gal. locutus, & de ijs est intelligendus, quæ secundum maiorem partem accidunt, in libro verò deformat. fætus de ijs, quæ vt semper ferè accidunt, est locutus, quemadmodum igitur nõ est certus, ac status terminus motionis, absolutionis, & eggressus fætus in lucem, ita & ætatum, & senectutis certus, & statutus terminus esse neutiquam potest. Quod quidem multis potest rationibus persuaderi.

Primò namque rectè dicebat Auer. libro 6. colliget cap. 1. materiæ conditiones innumeras esse, ac infinitas, ac ob id nequaquam scibiles, infinitum enim, teste Arist. in physicis non est scibile. His adde, nam quis vnquam exquisitam, & adæquatam proportionem caloris naturalis, eiusque perennem actionem in humidum radicale, & substantificum ritè cognoscere potest, ac potuit? Hęc enim fugit sensus omnes, & sub humana ratione non cadit. Vt ob id sapienter Gal. libro 3. metho. med. c. 7. exclamauit, Si ergo vniuscuiusque naturam scirem, qualem Aesculapium mente cõcipio, talem

talem me esse putarem. Addendum etiam & aliud est, nam quis vnquam eam, quam à rebus non naturalibus humana corpora substinent alterationem, atque contactum effugere potest, quando enim hæc omnia conspirabunt in vnum? Certè aut difficillimum, aut fieri nunquam poterit. Sed omnes has res non naturales secundas, atque propitias conspirare concesso, nō ne maior difficultas insurget ijs applicandis iusto tempore, quantitate, & qualitate. Mitto sexcentas, quibus humanum genus, subijcitur miserias, ex quibus senectutis statutum tempus inuenire non valemus. Vt non immerito sapientissime dixerit Iob, Breues dies hominis sunt, & numerus mensium apud Deum est. Ex quibus omnibus patere arbitror, quantum à recta philosophandi via recesserint illi, qui statutum terminum colligunt vel septuaginta, vel octuaginta annos, eo argumento persuasi, tantum scilicet esse decrementi tempus, quod augumenti, & status, sed huius est ad trigesimum quintum, vel quadragesimum annum, ergo illius ad septuagesimum, vel octuagesimum. Et si contigerit vlterius duraturum hominem, non nisi labor, & dolor, cuius opinionis fuit Auer. libro 2. de gener. & corrupt. in fine, quantum enim temporis concurrit vt perficiamur, tantum etiam vt declinemus. Vt ob id Seneca dixerit Platoni fuisse sacrificatum Athenis, quoniam vixit nouies nouem annis videlicet octuagesimum primum annum attingens. Verum feliciori homine sacrificia facta fuissent, si hunc annum octuagesimum primum euasisset, hic enim est ille annus Climactericus, Latine Scalaris, qui ex nouem nouenarijs resultat. Hunc quidem annum satis esse formidabilem in humanæ vitæ annis veteribus est proditum, quippe qui rarò sine vitæ, & fortunarum discrimine pertransitus, aut enim litis, aut infirmitatis, aut carcerum, aut fortunarum, & mortis incommoda sentiuntur. Hoc anno Plato, Diogenes Cynicus, Dionisius Heracleotes, & Eratosthenes Geometra vitam cum morte commutarunt. Quamuis me non lateat, alios sexagesimum tertium annum etiam climatericum facere, qui ex septies nouem resultat. Hunc euadens Augustus, Antonius Pius, & Bonus Alexander Seuerus Dijs sacrificarunt, quod annum hunc senibus omnibus periculosissimum euaserant. De hoc anno plura conscripsit Hermolaus Barbarus in Plinium libro 7. cap. 49. Causam verò huius euentus adinuenire satis est perarduum, nisi dierum numero, seu potentiæ illam referre velimus. Antonius Gueuara Episcopus Hispanus in suis sermonibus hetrusca lingua conscriptis visus est tentasse huius rationem explicare, inquiens, quod vita humana est similis longæ, & periculosæ infirmitati, in qua multum septima, & nona dies obseruantur à medicis, nam in his diebus, maximæ fiunt mutationes in ægris, quandoque ad melius, & quandoque ad peius, ita à pari, & hinc etiam videmus de septem in septem homines maximas persentire mutationes. Sed hæc obiter de hoc anno sint dicta. Ad rem igitur redeuntes dicamus, nullum esse statutum terminum senectutis, sed vt plurimū, & secundum maiorem partem circa illos supra dictos annos senectutem terminari dixerunt illi supra enarrati viri, quos nisi vt plurimum fuisse locutos, ac magna ex parte ita euenisse teneamus à veritate plurimum aberrabimus. Hinc est alios centenarium numerum attigisse, alios nonagesimum, & vltra. Hinc de Auenzoar testabatur Auer. libro 4. colliget cap. 40. centum triginta quinque annos vixisse, & in quadragesimo anno medicinam exercere cepisse, cui corona erit exhibēda, cum vidit, atque cognouit, quantum humanirus videri, cognosci, & obseruari licet. Mitto Antiquos illos patres, qui in veteri testamento nouem centum annos vixisse legimus, quod erat ob diuinum Dei Op. Max. miraculum, scilicet ratione prolis propagandæ gratia. Illud tamen apud cunctos medicos generosos, & arte Hippocratica dignos verum existit, ope medica posse nos senectutem retardare, non autem euitare, cum lege naturæ sit moriendum, quamuis Gal. libro de marcore cap. 2. ignoret rationem mortis, sed tantum experientiam admittat, sed de hoc fortassis alias. Namque si à primordijs generationis bonum est temperamentum, illud medicus seruat, contra commutabit ad melius, de qua re Gal. libro 5. de san. tuend. à cap. 4. vsque ad multa capita, & libro de marasmo cap. 5. dicebat, senium fugere impossibile quidem est, adiuuare verò vt plurimum extendatur possibile, & inter cæteros egregiè hanc materiam pertractat toto vno libro de senectute proroganda Marsilius Ficinus, qui multa, eaque nobilia scripsit, & simplicia, & composita medicamenta. Ille igitur consulendus ea in re libro 1. & 2. de studiosorum vita tuenda, & proroganda. Hic idem refert, ope artis non solum homines natura validos sępissimè, sed etiam valetudinarios vitam longam aliquando consecutos fuisse, vt non sit mirum Herodiacum quendam omnium infirmissimum sui temporis, vt Plato, & Arist. testantur, eiusmodi prouidentia annum ferè centesimum impleuisse. Et Plutarchus præterea narrat, multos corpore alioquin parum firmo vitam sola diligentia longam consecutos. Illud etiam aureum dictum mente seruandum est pro senectute proroganda, & sanitate fruenda, Gorgias namque Empedoclis discipulus, præceptor Poli Agrigentini, Isocratis, & Alcidamantis, robusto corpore, sensibus integris, memoria firma, ingenio vegeto annum centesimum octauum excessit, & interrogatus, qua nam ratione prosperam valetudinem tamdiu conseruasset, respondit οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πράξας, id est, nil vnquam voluptatis causa facias.

Annus Climactericus periculosus & cur.

Quomodo possit senectus retardari.

Sed tot, tantisque auctoritatibus supra enarratis addantur rationes, quibus probatur senectutem posse retardari, Nam si principia, quibus constat corpus, & conseruatur, possunt fieri magis perfecta, & negotiora, ac robustiora, ergo & ipsum corpus poterit diutius durare, ac conseruari, & patet antecedens, nam humidum potest restaurari, & calidum defendi, & contemperari per artem, ne frigiditas, & siccitas accelerent, quod ex Ficino, & ex Conciliatore diff. 113. legere est. Multum etiam facit ad senium prorogandum, si optimam aeris constitutionem, & clementiam nactus fueris, si gulæ, & crapulæ non indulgebis, & hoc quidem pacto legimus Aegyptios longæuos esse Europeis, vt fusè, & luculenter ostendit Prosper Alpinus libro 1. de med, Aegypt. cap. 11. quamuis etiam ad hoc maximè concurrat aqua Nili, quæ quidem aqua pinguefacit, refrigerat, prouocat sudorem, & alui profluuium, & vrinam, vt idem auctor affirmat cap. 12.

Quã

Qua ætate homo est temperatior.

Theorema XXII.



Arias in hoc theoremate animaduerto sententias, ea propter breuiter nostram exponamus. Eaque est, iuuentutem esse cæteris omnibus magis temperatam, nam hæc mediat inter primam ætatem calidam,& humidam,& vltimam ætatem frigidam,& siccam,ex quibus extremis ad magnam deuenit temperiem. An autem mo do deueniat ad temperamentum æquale ad pondus,an ad iustitiam nunc non disputo,cum supra hoc fuerit disputatum.

Sed probetur prius propositum theorema, & primo adest Gal.auctoritas libro 3. Aph. 18.asserentis adolescentiam esse temperatam,& omnium ætatum optimam, quod etiam confirmauit lib.6. de san.tuen. in principio.

Secundò rationibus agatur, & probatur,tum ex actionibus animalibus, tum ex vitalibus, & tandem ex naturalibus. Et quantum ad primum,si animales actiones, & operationes contemplamur, certè iuuentutem ipsam temperatam inueniemus, nam sensus in hac ætate sunt viuacissimi, motus animales perfectiores, meliores phantasia, memoria, & intellectus, quam in pueritia, in qua per vapores ad caput ascendentes non fiunt commodè hæc opera. Nec etiam in senibus,cum membra sint diminuta naturalibus humiditatibus, & paulatim in eis per viam indigestionis multiplicantur, & aggregantur in naturales,quę sensus offuscant,& obnubilant,& alias animatas actiones conturbant. Si verò nostra versetur oratio circa vitales actiones,dubio procul in iuuentute omnes vegetiores fiunt, quare iuuentus cæteris temperatior existit. Etenim tunc cordis calor completus, & absolutus est, nam ijs humiditatibus supetfluis, quibus in pueritia abundabat, non abundat,in hac ætate cor, & arteriæ propriam adeptæ sunt magnitudinem, & fortius mouentur, & calor vberius ad totum diffunditur corpus, cum ipsæ arteriæ maiores sint, sanguis etiam arterialis,& spiritus puriores sunt, ac minus vaporibus obumbrati ad membra delegantur. Hinc videmus,iuuenes magis esse audaces pueris, & alijs in alia ætate constitutis. Et tandem si nostram conuertamus orationem ad naturales actiones idem luce meridiana clarius intuebimur. Videmus enim fortitudinem, ac perfectionem generationis esse in hoc tempore medio, quamuis capiat aliquid de fine adolescentię auctore Arist.libro 5. de gener.animal. cap.4. Hinc videmus in hac ætate iuuentntis procreari perfectos liberos, & ante hanc ętatem paruos, imperfectos, diminutos,ac vt ita dixerim,inconcretos, & libro 7.de histor. animal. cap.1. dicebat Arist. filiorum generationem non esse completam nisi post tertium septenarium annorum. Cum ergo semen hoc tempore sit perfectum arguendum erit, hanc ætatem esse perfectam, & temperatiorem, nam virtus seminis sequitur æqualitatem temperamenti. Addas eriam,nam tunc semen est abundantius, atque magis digestum,quod non contingit in pueritia,cum deseruiat pro nutritione,& partium augumento,non In pubertate propter eandem rationem, nec etiam in adolescentia ob eandem causam, excepto tamen fine adolescentiæ, quem cum iuuentute computamus,non in senectute ob frigiditatem, & siccitatem partium. Hinc rectè Gal.dicebat lib. 14. de vsu par.cap.4. validiorem generandi virtutem esse in iuuentute, quam in adolescentia. Quo fit vt non ineptè Vallesius libro 8. controuer. in præfatione contendar iuuenem posse esse peritum medicum. Sic igitur præsentis theorematis decisio habet. Sed aduersus hunc factum discursum multa pugnant.

Probatur Vallesij dictum. Dubitationes variæ.

Primò videmus ad artes mechanicas esse valdè idoneos pueros,e contra iuuenes.

Secundò iuuentus est ætas temperata, ergo non datur ætas calida,& sicca,& per consequens non datur ista combinatio.

Tertiò Pueri sunt carne molles,e contra iuuenes,& Arist.dicebat libro 2.de anima 94.molles carne apti mente,duri verò inepti.

Quartò ex Arist.lib.1.ethic.Nicomach.dicitur non esse proprium auditorem politicæ iuuenē, & dici solet Canum consilium,nam curæ seniores sunt sapientiores,& iuuenile robur.

Quintò videtur senectus temperatior, nam senes sunt prudentiores, & sapientiores, ergo non iuuenes.

Sextò pueri ex lib.6.de san.tue.habent optimam crisim,& in ipsis digestio, augumentario perfectiores fiunt in pueris.

Vltimo, Hip.libro de diæta adolescentem vocat calidum, & siccum,ergo hæc ætas non est temperata, Galen. etiam libro 1.epid.com.2. text.19. calidissimain vocat adolescentiam. Sed adhæc breuiter.

Solutiones argumentorum.

Ad primum respondetur illas artes scilicet mechanicas non esse valde difficiles, & postea puerorum intellectus est tanquam tabula rasa,seu liber non scriptus,in quibus nihil est depictum.

Ad secundum respondetur iuuentutem esse calidam, & siccam ratione pueritiæ, in se tamen ob rationes supra tactas est temperata.

Ad tertium dicatur, illud dogma non intelligi de omni mollitie, sed tantum de naturali, non autem de ętatiua, vt sic loquar.

Ad quartum respondetur, quia sunt minus experti iuuenes minimè reputātur politicæ auditores, sunt enim inexperti eorum,qui secundum vitam sunt actuum,sic Arist.ille locus intelligitur.

Ad quintum dicendum illud non esse verum reputandum ratione ętatis, & temperamenti, nam sapientia,& prudentia non proueniunt ab organis, sed ob multa studia, & experientias diu ante visas, & factas, vnde adepti sunt scientiarum habitus.

Addo

Addo etiam operationes animæ rationalis esse perfectiores ob studia, & experientiã, non tamen hoc est ratione ætatis,& temperamenti, vt diximus, in senibus. Addo tandem senes esse refrigeratos, vnde minus ab animi perturbationibus infestantur.

Ad sextum dicimus pueros esse perfectos, & temperatos in ratione operationũ pertinentium ad conseruationem indiuidui, iuuenes verò habere alias perfectiones, & ad conseruationem huius, & speciei,& aliorum supradictorum.

Ad vltimum patet responsio, nam Hippocr. & Gal. respectiue loquuntur, modo ad pueritiam, modo ad senectutem.

Virine, An fœminæ sint calidiores.

Theorema XXIII.



Ntiqua disputatio fuit, sint ne viri, an fæminæ calidiores, quæ quidem theoria, quoniam plurimum ad temperamentorum naturam conducit, in medium à nobis affertur. Sed breuibus rem aggrediemur, si prius dixerimus hoc theorema in specie tantum humana exerceri, nam in genere rapacium auium, & ferarum fortassis erit alia determinatio, vt de leæna, & vrsa patet. Probabimus igitur, & auctoritatibus, & rationibus, & experientijs viros esse calidiores fæminis.

Primò igitur sit Hip. auctoritas lib. 1. de diæta, vbi dicit fæminas esse frigidiores, è contra mares calidiores, & sicciores, & fæminas ab aqua magis, frigidis, & humidis augeri, masculos verò ab igne, calidis, & siccis, nam omne simile fit à simili. Post Hip. subsecutum est magnum naturæ monstrum Arist. qui libro 4. de generat. animal. cap. 6. asserit ex multis fæminas esse frigidiores viris, & probat tum ex veloci earum efflorescentia, & senectute deinde accedente, tum ex ociosa, & sedentaria vita, & libro 4. eiusdem libri cap. 1. cum Empedocle reprehendit Parmenidis opinionem, qui volebat ob sanguinem menstruum fæminas esse calidiores, & libro quoque primo de gen. animal. cap. 19. fæminam esse debiliorem mare autumauit, quia frigidior est. Idem etiam licet colligere ex libro de long. & breuit. vitæ cap. 3. & libro 3. de part. animal. & 1. politic. cap. 1. & 4. part. problem. probl. 29. quærit, cur hyeme viri, æstate fæminæ ad venerem sint procliuiores? Respondet quia viri calidiores & sicciores, æstate fragantur, e contra de mulieribus. Eandẽ opinionem insectatus est Gal. pluribus in locis, & præcipuè libro 5. Aph. 16. Calidum, vbi quis sæpius vtatur, hæc mala affert, carnium effæminationem, quæ ex Gal. in eodem com. nihil aliud est, nisi naturalis debilitas, non aliunde proueniens, nisi quia frigida magis est fæmina, & debilior, & libro 4. de vsu par. & 2. de temper. idem confirmauit. Idem Auic. libro 1. fen. 1. doc. 3. cap. de complexionibus, idem Auer. & est communis. Sed præter has auctoritates patet etiam idem rationibus.

Primò ex timiditate, quam habent mulieres, timida enim animalia frigida sunt libro physiognomiæ cap. 8.

Secundò ex motiuis operationibus, libro namque primo Metheor. cap. 4. & libro 2. de anima, velocior motus arguit maiorem caliditatem, e contra torpedo, & immobilitas, sed nos videmus fæminas esse pigriores, immobiliores, & ad omnes actiones valde torpidas, e contra viros, ergo calidiores hi fæminis.

Tertiò accedant experientiæ, nam raro mulieres hepatis caliditate laborant, contra viri, qui ferè omnes hac morbida lue corripiuntur.

Quartò ex Arist. lib. 4. de gen. animal. fęminæ quandoque producuntur ab aquis frigidis, & crudis, omne enim simile à simili, quare fæminæ frigidiores.

Quintò ex semine frigido, ex quo fęminæ procreantur, nam libro 14. de vsu par. cap. 6. dicitur fęmininum animal esse masculino imperfectius, vna quidem, & prima ratione, quia frigidius, & libro 2. de sem. cap. 5. dicit Gal. in calidiori, & sicciori crasi masculus fit, in frigidiori verò, & humidiori fæmina, idem etiam confirmauit Hip. libro de diæta, scilicet mares fieri ex calidiori semine, e contra fæminas.

Sextò ex semine indigesto, & aquoso fæminarum, vt inde fæminarum frigiditatem arguere debeamus, e contra semen viri spirituosum magis, & calidum ex lib. 14. de vsu part. cap. 7.

Septimò ex imbecillitate, quam habent mulieres, nam cum habeant omnia membra intus, factum est inquit Galen. vt propter frigiditatem foras non protudantur ex libro 14. de vsu part. capitul. 6.

Octauò ex breuitate vitæ, quam habent vt plurimum fęminæ respectu virorum, & hinc est quod Hip. dicebat libro de natura pue. quod causa quare fæmella posterius conformetur, & dearticuletur est imbecillitas, & humidius fæminæ semen, quàm maris, ergo quò debiliora sunt principia vitæ in fæminis, eò breuioris sunt vitæ. Hinc est fæminas postquam ex vtero foras egressæ sunt citius, & celerius perfici, nam ex Arist. libro de ortu, & interitu tempora perfectionis, & imperfectionis proportione sibi respondent, corruptio imperfectio est, accretio autem, & generatio perfectionis species dicuntur, quidquid ergo celerius interit perfectionem suam celerius adipiscitur. Sic dicere solemus, corpora quæ cito adolescunt, citò senescunt. Sic acutus morbus breuis est, & quem breuissimè omnia pertransit quatuor tempora, & ad statum celerius peruenit, e contra chronicus. Solutiones argumentorum.

Nonò ex conformatione, nam mares citius conformantur libro de diæta triginta diebus mas, fęmina quadraginta, & libro de natura pueri, & in epidem. tertio mense mares, & quarto fæminæ mouentur.

Decimò idem colligere licet ex habitu, & structura corporis, nam vt plurimum fæminæ sunt

lassæ,

lassæ, pingues, paruam habent vocem, quæ omnia à diminuto calore proueniant oportet.

Vndecimò ex mollitie totius corporis, vnde & facilior, & celerior extensio, & clarius Hipp. libro de septim. partu dicebat, postquam à matre segregatæ fuerint puellæ, celerius, quam masculi pubescunt, sapiunt, & senescunt, cum propter corporis imbecillitatem, tum propter victus rationem, ratione primi, nam cum fæmina sit imperfectior mare, finem suum habet propinquiorem, ratione secundi, nam vitam agit inertem, ociosam, ac ignauia corpus hebetat.

Duodecimò mulier ambi dextra non fit ex libro 7. Aph. 43. quod est ob caloris defectum. Tandem accedit loci natura, & conditio, mares enim vt plurimum dextra, fæminæ in sinistra ex libro 5. Aph. 48. & libro 14. de vsu part. cap. 4. & libro 6. epid. com. 2. 44. & libro 6. de loc. affec. cap. 5. at dextra sinistris sunt calidiora ex libro 3. de morb. Hip. & Arist. 31. part. probl. 13. & 32. part. probl. 7. dextræ partes vocantur masculinæ, sinistræ fæmininæ. Et Conciliator part. 6. probl. 7. & 29. par. part. 12. Oculus dexter circumspectior sinistro, & melioris visus, & spiritualior sinistro, licet oppositum, sed perperam voluerit Manardus libro 14. epist. epist. 4. ex mente Aristot. in problematis, quem locum apud Arist. non reperio, reperitur tamen solum hoc in 31. part. probiem. 18. oculum sinistrum nihilo esse inferiorem dextro, sed alibi Arist. clarius de dextro oculo locutus est. Cum igitur dextra sint fortiora sinistris, & mares vt plurimum in dextris fiunt, ergo mares calidiores, nam maius robur à maiori calore proueniat oportet. Illud tamen, ante quam finem præsenti theoremati faciamus, non est silentio pertranseũdum, scilicet hoc theorema esse indefinitum, quare non vniuersaliter, & generaliter de omnibus viris venit intelligendum, & de omnibus etiam mulieribus sed indefinitè, cum clarum sit esse quasdam mulieres virgines dictas, quæ pituitosis hominibus erunt calidiores.

Manardi oscitantia.

Quid alij senserint.

QVamplurima quidem aduersus veritatem theorematis pugnant, & primo sunt auctoritates, deinde rationes. Inter cæteros est Horus Aegyptius maximus Rex, Philosophus, & Medicus, qui prius omnium autumauit fæminas esse calidiores viris, contra quem insurrexit Symmachus teste Macrobio libro 7. Saturnal. Hos insectatus est Parmenides, quem libro 2. de part. animal. cap. 2. reprehendit Arist. Hip. libro 1. de morbis fæminam calidiorem esse colligit, habet enim, inquit, carnem rariorem, & teneriorem, raritas autem est caloris effectus. Gal. libro 3. de caus. puls. cap. 2. & libro de puls. ad Tyrones cap. 9. dicit virorum pulsum esse tardiorem, quam mulierum, quæ quidem tarditas frigiditatem potius, quam caliditatem arguit, & Auer. libro 4. collig. cap. 19. dicebat frequentiam, & velocitatem pulsus vim caloris denuntiare. Idem videtur sensisse Auic. 2. primi cap. de signis complexionum.

Sed præter auctoritates adsunt rationes, & experientiæ, & primo, nam fæminæ sanguine abundant, ergo calidiores, quod erat argumentum Parmenidis, nam calidius quod est in corpore post cor, & spiritus, est sanguis, patet assumptum ex sanguine, quem habent pro nutritione, & etiam menstruum sanguinem.

Secundò si vera sunt Gal. dicta libro 2. art. med. & libro de temper. quod scilicet totius corporis temperies æstimatur ex principum partium temperamento scilicet ex corde, & hepate, qui enim habent cor calidum, totum habebunt corpus calidum, nisi hepar obstiterit, & e contra, sed mulieres habent vtrumque viscus calidum, ergo, patet de corde ex pulsibus ex Galen. loco supra citato, & etiam patet, quia sunt iracundiores, ferociores, hinc Tygres, & Vrsæ, & Leænę sunt ferocissimę, nam ὀξυθυμία, scilicet iracundia cordis calidi signum est, patet de hepate, nam facultatem augmentatiuam, nutritiuam, & procreatiuam habent eminentiori modo, nam validius crescunt, vt diximus, ac nutriuntur etiam.

Tertiò sunt quædam mulieres sanguineæ, brunæ, viragines, quæ sunt calidiores viris, maxime phlegmaticis.

Quartò fęminę sunt mobiliores in opinionibus viris, ergo calidiores, & rectè inquit Poeta.

Nam varium, & mutabile semper
Fæmina &c.

Nihil enim tam mutabile, tam vagum, quam fęminarum genus.

Quintò mulieres citius adolescunt, quam viri, postquam ab vtero seggregatæ fuerint vt ex Hip. & experientia patet, ergo non nisi à calore.

Sextò aliqui viri non concipiunt ob frigiditatem, & aliquæ mulieres ob caliditatem libro quinto Aphorys. 63.

Septimò videmus fæminas non lædi à frigido, nam lauant pannos in aquis, & minus à frigido læduntur, quam viri, & hoc erat Auic. argumentum.

Octauò ex Damasceno fæminæ sunt medicina paralysis, si adolescentes lateri paralytico admoueantur, multum iuuat, sed paralysis est morbus frigidus, sed contrarijs contraria curantur, ergo calidiores, & ob id libro 3. Regum cap. 1. Regio Prophetæ Dauid à seruis suis fuit consultum, vt pro proroganda senectute dormiat secum in lecto puella virgo pulchra, quæ eum excalfaciat. Sed etsi hæc argumenta vim aliquam habere videantur, tamen breuiter, & facilè soluuntur. Ad argumenta ex auctoritate ducta respondeatur.

Solutiones argumentorum.

Ad primum, male sensisse dicimus illos, nam sine rationibus locuti sunt. Ad Hip. dicimus, quod quando dicit Hip. mulierem habere carnem rariorem, inde colligere debeamus esse calidiorem falsum est, nam per rarum intelligit molle, & laxum, quæ mollities, & laxitas tantum abest, vt calo-

calorem arguant, vt potius eius defectum, ac frigiditatem redoleant, & eadem voce vsus est Hip. libro de glandulis, loquens de mulieribus dixit, totum corpus, & maramas, & pectore habere laxũ, & molle, e contra, inquit, mas est plenus, & densus. Ad eundem Hippo. libro de morbis mulier. in principio, vbi dicit, mulierem habere sanguinem calidiorem, respondetur, hunc locum esse mendosum, vt Vega in Prognost. & Andræas Laurentius libro 2. q. anatom. q. 13. aduertunt. Nec me latet, Cotdæum aliam habuisse sententiam, & Rorarium etiam contradic. 38. scilicet per accidens fæminam esse calidiorem, quia arctior, vt calor difflari non possit, hinc calidior per accidens. Mitto quæ Cardanus in medium affert.

Ad Gal. auctoritatem dicatur frequentiores esse pulsus in fæminis, non ob intensiorẽ calorẽ, sed ob instrumenti angustiam, cum enim exiles, & angustas habeat arterias, mulier à copia crudorum, & frigidorum humorum oppressa tantum extendi, & dilatari nequeunt, quantum earum calor licet debilis, postularet, meritò quidem huius necessitatis gratia, maiori quam in maribus opus fuit, & velocitate, & frequentia. Virorum autem pulsus validi sunt ob firmæ facultatis robur, & magis quia in omnem distentionem extenditur arteria amplissima. Mitto aliam responsionem, quam affert Rorarius. Ex hac responsione quid ad Auer. sit dicendum iam patet. Ad rationes, & experientias iam respondeamus.

Ad primam respondet Arist. libro 4. de gener. animal. sanguinem mulierum non esse verum sanguinem, nam est indigestus, & potius ob frigiditatem, quam caliditatem fieri in fæminis asserit, atque vitiosi potius humoris esse inditium, est enim crudus, & indigestus, nec sedem habet, sed natura quasi noxium, & frigidum pellit, quod maximè probatur sensata experientia, nam cum illum excernant mulieres, algere videntur, & ob id Hip. propter hanc purgationem lib. 1. de diæta frigidiores esse fæminas collegit.

Ad secundam quid iam de pulsibus sit dicendum supra patuit, de iracundia verò dicatur, aliud esse ὀξυθυμίαν, id est iracundiam, & aliud iram, seu θυμὸν, nam iracundia, apud Hip. & Gal. a pusillo calore, ira verò e contra, tales sunt mulieres, & pueri, scilicet iracundi, sed hi minus calidi, quã irosi, seu irati, cum hi calidi, & sicci. Si itaque iracundæ sunt mulieres id habent a frigida potius temperie, quam a calida, & a mentis impotentia, & ob id Hip. libro de virginum morb. dicebat, mulierem esse animi deiecti, & Gal. lib. 2. art. med. 35. abutitur nomine τῆς ὀξυθυμίας volens ostendere signa cordis calidi, & in text. 40. noluit vti tali nomine, sed iracundos appellauit, θυμιακοὺς quasi se ipsum corrigens, & Hip. libro 6. epid. 4. vocat iracundos ὀξυθύμους eos, qui habent carnes frigidas, quare mulieres sunt iracundæ, sed non animosæ. Et licet in sexu rapacium animalium aliqua reperiantur ferociora, vt de tygribus, &c. hoc parum esset, nam nostrum theorema locum habet in sexu humano, & dato, & non concesso esse vniuersale theorema scilicet de cunctis animalibus, dicamus, illis animalibus fætus charitatem animum addere, itaque potius ferocia, quam fortia sunt appellanda, præsertim de vrsa tempore lactationis catulorum, & de cane, vt inquit Gentilis super Auic. Quare morosiores, & ferociores sunt mulieres viris, non autem calidiores.

Ad tertium dicẽdum fæminas illas habere in generationis primordijs aliquas causas masculinitatis, non tamen colligendum est omnes esse calidiores viris, vt supra diximus.

Ad quartam mobilitas in opinionibus non est ex caloris copia, sed ex earum imperitia, & humiditate, vt pueris contingit.

Ad quintum respondetur fæminas celerius crescere, quia finem habent propinquiorem, vt supra dictum, nec à calore crescere.

Ad sextum quid sit dicendum patet.

Ad septimum dicimus iam non propterea fæminas viris calidiores esse, quia minori læsione aeri se exponunt frigido, quandoquidem a primis annis ambienti frigidissimo, ita quasdam corporis partes nudas offerre sunt assuetæ, vt nihil amplius incommodi percipiant, nã ab assuetis, vel nulla, vel non tanta fit passio ex lib. 7. phys.

Ad vltimum respondetur iuuenculas certè esse calidas, & calidiores viris senibus, & paralyticis, & hoc non inficiamur, & ob id iuuant paralysim, & Regius Propheta, quia erat valdè senes, & temperamentum ftigidum habebat maximè eum iuuit illa virgo, nam data comparatione inter fæminam virginem, & senem illa calidior erit dijudicanda sene.

Quid sit Humor.

Theorema XXIV.



QVi naturam humorum ignorat. corpora ex quibus constant, ignorabit, nec exactè sanitatem, & morbum curare, & conseruare pernoscet, nam libro de natur. hum. dicebat Hip. pro humorum in corpore conditione animal ægrotare, vel valere. Hac etiam humorum contemplatione ignorata ignorabat, & febres putridas, tumores, & abscessus, quare satis vtilis, & necessaria est hæc humorum theoria. Vnde perperam est allocutus Erasistratus asserens humorum tractationem esse inutilem hoc referente Gal. libro 2. de natur. fac. cap. 8. quam opinionem tanquam absurdam reprehendit Gal. loco citato. Conabimur tamen nos pro viribus exactam, atque absolutam, Deo fauente, disputationem aggredi. *Humorum contemplatio vtilis, & necessaria.*

Sed antequam ad humoris essentiam, naturamque accedamus, illud in primis sciendum est, humorem esse quid multiplex, quod varia significare potest, primo enim modo vniuersaliter, seu generaliter dicitur pro quocunque corpore fluido, seu pro quacunque humiditate existenti in animali *Humor multiplex.*

mali vtili, vel superflua, vel extra ipsum, & secundum hanc vniuersalem humoris acceptionem poetarum Latinorum princeps Virgilius aquam appellauit humorem in Buccolicis,

Dulcis humor satis, maturis frugibus imber.

Secundo modo sumitur specialiter pro quocunque corpore fluido existenti in animali vtili, vel superfluo. Tertio modo strictius, & particularius pro illo, in quod conuertitur massa cibalis in ventriculo, seu chylus.

Primo modo sumptum humorem definiuit Arist. libro 2. de gener. & corrupt. text. 8. scilicet humorem, seu humidum, quod scilicet facilè fit terminabile termino alieno, facileque fluit, cedit tactui, & facilè replet, & implet corpora, quæ diffinitio est humoris in vniuersum. Arist. enim vt philosophus definiuit vniuersaliter humiditatem, seu humidum, quæ humoris prima acceptio cadit à nostra theoria. Hinc ab hac tractatione cadit consideratio vrinæ, seri, terræ humiditatis, lactis, spermatis, vini, ceruisiæ, & aliorum id genus. Nec etiam secunda humoris acceptio nostro facit proposito. Hinc saliua, lachrymæ, sudor, serositas, mucci, sputamina, & humiditates primæ à nostro seiunguntur proposito. Iuxta igitur tertiam acceptionem, quid sit humor erit in præsentiarum differendum. Humor igitur rectè ab Auic. Arabum Principe diffinitur libro 1. fen. 1. doc. 4. cap. 1. & est corpus humidum, liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur, quæ diffinitio habet causam formalem, scilicet corpus humidum, fluidum habet causam materialem, scilicet nutriens, efficientem subintellexit, & est hepatis temperamentum, finalis patet, scilicet deseruiens pro corporis nutritione; Ita vt dicatur, humorem esse corpus humidum, liquidum, in quod in primis conuertitur nutriens, a temperamento hepatis genitum pro nostri corporis nutritione. Sed rem paulò altius repetamus. Declaremus modo singulas diffinitionis particulas; Est igitur corpus, ad differentiam rerum incorporearum, triplici genere quantitatis donatum, est humidum, & fluidum ad differentiam ossium, neruorum, ligamentorum, venarũ, & cęt. partium, quæ corpora dura sunt, & sicca; Est liquidum, seu currens vt se alibi interpretatur Auic. lib. 12. de Animal. ad differentiam cerebri, & carnis, quæ sunt humida, sed non fluxibilia, cuiusmodi debent esse humores, nam oportebat humores labi ad membra, & hoc sine fluxibilitate fieri non poterat; In quod in primis nutriens conuertitur, vbi ex Hip. libro de alim. sciendum est, & ex Gal. libro 1. de san. tuend. cap. vltimo, triplex esse nutriens, seu alimentum, primum est alimentum actu nutriens, vt cambium, gluten, secundum est alimentum quasi nutriens, & dicitur alimentum in via, & est sanguis; Tertium est alimentum nutritarum, vt cibus, seu Chylus in ventriculo, & intestinis, & hoc alimentum tertio modo sumptum hoc loco intelligere debemus, & melior est hæc expositio, vt per nutriens intelligamus chylum, quam cibum, vt perperam Odis de Odis, nam cibus in chylum debet conuerti, chylus autem in humorem medio hepatis temperamento. Notandum insuper est ly in primis, nam plures habet sensus, mihi tamen duo probantur, alter est, vt ly in primis cadat super ly conuertitur, vt sit sensus, Humor est corpus humidum, liquidum, in quod nutriens in primis, id est primo, seu prius conuertitur, alter sensus est, vt per ly in primis duæ primæ digestiones intelligantur, quarum prima inchoat in ore, & fit in stomacho, & perficitur in intestinis, & secunda inchoat in mesaraicis, & fit in hepate, & completur in magnis venis. Notandum & aliud vltimo loco est, nam humidum dupliciter sumitur, vno modo attualiter, alio modo virtualiter, & hic primo modo sumitur in hac scilicet diffinitione humoris. Sed obijcies, an omni humori conuenit hæc diffinitio. Respondendum non conuenire humori malo in substantia, nam hic humor non potest conuerti in substantiam aliti, nec hic fieri potest pars membri, sed tantum conuenire humori bono, & malo in qualitate, nam hic vel per se, vel cum alijs admistus potest transire in substantiam nurriti. Sed quoniam optimæ diffinitionis erat munus inter cætera ex lib. 4. physic. 42. vt per illam omnes difficultates soluantur, ideo breuiter, quid alij dicant, videamus.

Humor quid.

Alimẽtum triplex.

Dubitatio, & solutio.

Quid alij senserint.

DVas humoris diffinitiones attulit Gal. verum omnes imperfectas, altera est libro de anatomia virorum, quod scilicet humor sit membrum molle, quod recipit de facilè impressionem. Altera est libro 1. de humor. cap. 1. quod scilicet humor sit humiditas quædam manens in corpore nostro, vbi posuit discrimen inter succum, & humorem, succum dixit esse substantiam expressam à fructibus, quod non est ita de humore. Sed maiores exoriuntur difficultates circa allatam superiorem diffinitionem.

Primò nam cholera, & melancholia sunt humores, & tamen sunt corpora sicca, & non humida.

Secundò phlegma gypseum est humor, & tamen non est liquidum.

Tertiò hæc diffinitio allata videtur competere chylo, nam chylus est corpus liquidum, humidum in quod nutriens in primis conuertitur.

Quartò vrina videtur includi in hac diffinitione.

Quintò lachrymæ oculorum, mucilagines, & mucci, & aquositates destillantes à cerebro videntur includi in hac diffinitione.

Sextò lac, & sperma videntur esse in hac diffinitione inclusa.

Septimò, & vltimo hypostasis, seu sedimentum vrinæ, non est humor, & tamen est corpus humidum liquidum. Hæc, & alia innumera possunt adduci, quæ facilè diluuntur. Quantum ad Galen. diffinitiones, ad primam, vt spurius est ille liber, ita vana, & falsitatis plena est diffinitio, nam humor non est membrum, sed ex humoribus fiunt temporis tractu membra, si vero per membrum

partem

partem intellexit, nec etiam quæ pars est explicauit. Secunda quoque distinctio manca est, nam includuntur in illa vrina, saliua, sudores, & muccus &c.

Ad primum respondetur choleram, & melancholiam esse siccas in potentia, & virtualiter, vt loquuntur, sufficit tamen pro diffinitionis veritate, vt sint actu humida.

Ad secundum de phlegmate gypsco respondetur non vere dici humorem, sed metaphoricè.

Ad tertium dicemus, chylum generari in prima coctione, non in secunda, & ideo non est humor, & diffinitio humoris illi non competit.

Ad quartum de vrina, nutriens non conuertitur in ipsam, sed ipsa postea separatur.

Ad quintum dico, neutiquam illa esse humores tertij modi dicti, sed esse secundi modi, vt supra dictum est. Idem de Saliua, & sanie dicendum.

Ad sextum dicatur, quod nutriens, scilicet chylus non conuertitur in primis digestionibus, seu coctionibus in sperma, & lac, immo in particularibus, & vltimis concoctionibus, factis in mammis, & testiculis.

Ad vltimum respondeo cum Gal. lib. 1. prognost. vltimo, sedimentum in vrinis medium esse inter pus, & humorem naturalem, scilicet sanguinem, & est res, quæ fugit sanguinis generationem, videtur autem esse medium per negationem. Vnde ex Gal. videtur quod sit pars chyli, quæ fugit operationem hepatis, & ad venas indigesta, quare quia non recipit aliquid coctionis ab hepate non competit ei hæc diffinitio, scilicet in quod nutriens in primis conuertitur, alteratur tamen in venis, sed non concoquitur coctione benigna, vt ad naturam aliti degeneret, & ob id medium esse inter pus, & sanguinem testatus est Gal. loco citato.

Quot sint Humores.

Theorema XXV.



Ssertiua sententia sit quatuor esse humores, nec plures, nec pauciores. Quam veritatem prius nouit ante natam omnem exactam philosophiam Hip. lib. de natur. humana 18. vbi quatuor ponit humores, ex quibus corpus constat, vbi præcipuè mentionem facit de sanguine pro quarta substantia, idem etiam confirmauit lib. 4. de morbis, vbi probat ex cibis quatuor fieri humores nomine differentes, sanguinem pro quarta substantia, bilim, pituitam, & melancholiam, & eodem lib. in principio enumerat morbos prouenientes ex quatuor humoribus, libro quoque de hominis structura ad Perdiccam Regem quatuor ponit humores cum suis qualitatibus. Plato etiam in Timæo inquit sanguinem in corpore esse, etherogeneum, vbi quoque de vtraque bili, & pituita verba fecit. Arist. si modo tamen Arist. est ille libellus de causis proposit. elementorum in principio clarissimè numerat quatuor humores in corpore similes in cōplexionibus elementis. De sanguine pluribus in locis vt lib. 3. de histor. & lib. 3. de part. & alijs in locis vberrimè locutus est, de bili flaua libro 2. de part. animal. cap. 3. de atra, libro de somno, & vigilia, & in proble. nec non de pituita. Gal. sexcentis in locis libro 2. de natur. fac. cap. 9. & libro de hum. Auic. cap. de hum. & Auer. lib. 1. collig. cap. 12. Sed præter auctoritates adsunt firmissimæ rationes, & sensatissimæ experientiæ. Prima, nam chylus est quid etherogeneum ex varijs elementorum qualitatibus conflatum, ergo si ibi est pars frigida, & sicca terræ correspondet, pars calida & humida aeri correspondet, & illud erit melācholicus humor, hæc verò sanguineus, adsunt & partes calidæ, & siccæ, vt spuma, quæ igni correspōdet, & est cholericus humor, adsunt & partes frigidæ, & humidæ, & aquæ correspondent, & humor phlegmaticus dicitur. Secundo ex libro de natu. hum. in super purgationibus obseruamus primo bilim, deinde pituitam, tertio atrum humorem, quartò cum magna est superpurgatio sanguinem exire videmus. Tertio quot sunt elementa tot sunt humores, omnia clara sunt, sed elementa mundi quatuor esse sufficientes est supra demonstratum, ergo tot erunt humores, nam humores dicuntur à medicis filij elementorum, seu secunda elementa. Quarto in phlebotomia manifestissimè apparet niger humor, qui est veluti fæx in fundo, & spuma supernatans, & est bilis, & sanguis ipse pro quarta substantia vna cum phlegmate mistus, atque occultatus. Quinto sicut in musto est spuma, quæ bili in sanguine respondet, & est fæx, quæ humori melancholico conuenit, ita de aquositate, & parte vinosa vini philosophandum est in sanguine de phlegmate, & de parte sanguinea. Sexto si non sunt quatuor humores tunc essent tres, quia forsitan sanguis non est distinctus ab alijs, sed contra, nam tunc sanguis in prædominio esset frigidus, tum ratione phlegmatis, tum ratione melancholiæ, quæ frigida sunt. Sed dices esse plus choleræ, quam aliorum humorum, & ideo &c. Sed contra, nam non est maior ratio, quare ex chylo plus choleræ generetur, quam aliorum humorum, secundo pauca sunt membra complexionis cholericæ comparatione ad alia, quare natura nouerca fuisset, tertio tota massa esset amara, nam tantillum choleræ reddit mel amarum, quarto tunc non fieret nutritio, nam nutrimur ex dulci, quinto tunc sanguis esset siccus ratione bilis vtriusque, & sic sanguis non esset temperatus. Septimo principaliter clarum est, non posse esse vnum, nec duos, nec tres humores, nam quid sensatæ experientiæ responderi poterimus, cum videamus rubedinem in corpore, quæ non est à pituita, quia hæc alba, non à bili, nam hæc pallida (loquor autē nunc de humoribus naturaliter se habentibus) non à melancholia, quia hæc est nigra. Octauo si tres sunt humores, scilicet pituita, bilis, & melancholia, tunc pituita non conuerteretur in sanguinem tempore necessitatis, vt tota medicorum schola fatetur, ergo in quem vertetur humorem, an in pituitam, sed nequaquam; quoniam idem in se ipsum, ergo dandi sunt quatuor humores nomine, & facultatibus distincti.

Nono sanguis est manifestè dulcis, tunc sic arguo, ista dulcedo non prouenit ei à bili, quia hæc amara, non à melancholia, quia hæc acetosa, non à phlegmate, quia insipidum, ergo à sanguine pro quarta substantia. Tandem ex diuersis speciebus tumorum idem licet argumentari, dantur enim iuxta omnium medicorum communem consensum tantorum sæculorum diuturnitate confirmatum, erysipelatosi, phlegmonosi, ædematosi, seu pituitosi, & scirrhosi, statutũ ergo sit quatuor esse humores in nostro corpore, nunc quid alij senserint discutiamus.

Quid alij senserint.

VEritatem hanc tot, tantisque auctoritatibus, & rationibus, & experientijs comprobatam ingeniosissimus Turisanus supra libro 2. art. med. Gal. com. 41. & iterum magis ac magis ex professo com. 44. totis viribus nixus est è medio tollere, atque funditus euertere. Est enim in hac sententia, scilicet non dari quatuor humores, sed tantum tres, & sanguinem non esse destinctum, sed esse aggregatum ex tribus scilicet humoribus, melancholico, pituitoso, & bilioso, quare sanguinem pro quarta substantia distinctum non dari autumauit, & aggregatum horum trium humorum dici sanguinem, quare trinitas humorum est in corpore ex Turisano. Plures autem pro confirmando suo dogmate attulit rationes, easque difficillimas. Nos autem & Turisani rationes, & alias ex alijs, & ex nobis in medium afferemus, deinde illas soluemus.

Primò, si sanguis esset quarta substantia distincta ab illis tribus, tunc sicut dicitur hic sanguis est cholericus, hic melancholicus, hic pituitosus, ita diceretur hic sanguis est sanguineus, quod absurdum, & falsum est, nam cum dicitur sanguis est cholericus, non intelligitur, quod in eo sit cholera, sed quod ad substantiam cholericam declinat, ita & de alijs, si ergo declinare ad has substantias dicitur talis, igitur per remoueri ab ista improportione, & habere debitam proportionem dicetur sanguis temperatus, & non sanguineus.

Secundo si esset sanguis separatus pro quarta substantia, tunc natura, eum humorem vt simpliciorem, & temperatiorem, & maioris quantitatis defæcasset ab alijs, & vteretur eo simpliciori, quod non videtur contingere, quia quacunque parte sanguinis accepta habet tres substantias, consequentia est nota, quia aliæ tres substantiæ mistæ illi quartæ substantiæ reddunt verè displicibilem, & horribilem, vt Turisani verbis vtar, scilicet amarum, acidum, & insipidum, sed hæc nos sani abhorremus.

Tertio si ita esset, impia multum natura extitisset, nam posuit sanguinem cum amaris, cum acetosis, & insipidis, quæ mistura satis est horribilis, nam nos nutrimur dulci.

Quarto si sanguis est separatus pro quarta substantia tunc hoc esset propter nutrienda membra, sed ob id non est necessariam, nam sanguis existens tantum secundum trinitatem vt ipse Turisanus loquitur poterit hoc facere, nam potest penetrare in membra, & digeri, & inspissari iuxta membrorum exigentiam.

Quinto sanguis quantumcunque depuratus, ac defæcatus semper distribuitur in tres substantias prædictas, sicut vinum.

Sexto lac non est aliud nisi aggregatum trium substantiarum secundum Galen. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 17. & lib. 2. de elem. c. 2. scilicet casealis melancholicæ, aquosæ phlegmaticæ, butirosæ cholericæ, ergo sanguis nil est aliud nisi aggregatum trium, consequentia patet, nam lac non est aliud, quam sanguis magis concoctus ex Gal. libro 16. de vs. par. cap. 10.

Septimo si sanguis esset quarta substantia, ergo eius esset aliquod excrementum, sed hoc est falsum, consequentia nota est, sed falsitas consequentis apparet, quia excrementa non sunt nisi tria, etsi haberet excrementum deberet esse rubeum, cum debeat esse simile, à quo secernitur.

Octauo tunc daretur medicina educens sanguinem, sed non datur, ergo.

Nono tunc faceret febrem separatam ab alijs, sed hoc est falsum, nam ex hoc humore esset aliqua febris continua, vel aliqua interpollata, sed non fit febris ex sanguine interpollata, ergo nec continua.

Decimo si daretur sanguis pro quarta substantia tunc, vel putresceت in venis, vel extra, & tunc febris sanguinis haberet periodum ab alijs distinctum, quod non est, ergo.

Vndecimo si esset pars hæc quarta separata, & esset calida, & humida, aerea, & vnctuosa, tunc etiam hæc esset diuisibilis in terream, aquosam, & igneam, ergo redimus ad primam trinitatem.

Duodecimo si daretur hæc pars aerea separata tunc sanguis esset leuis, cuius contrarium experimur. Tertiodecimo si elambicetur sanguis tunc tres tantũ partes apparent, & non quatuor, ergo. Quartodecimo ex Io. Francisco Pico lib. de elem. c. 5. nam multa sunt animalia, quæ felle carent ex Arist. lib. 4. de vsu par. c. 2. fel autem est bilis fons, & receptaculum, vt equus, mulus, asinus, ceruus, dama, vitulus marinus, & delphinus, quod etiam lib. 1. de hist. anim. c. 18. confessus est, & contra alia habent maximum fel, vt capra, cum igitur fel non habeant, non habebunt bilim, ergo non quatuor humores. Vltimo ex eodem, nam non videntur humores simplices, cum omnes sint permisti, cum constent ex elementis, quæ sunt etiam huiusmodi, ergo cum sensu non valent discerni, neutiquam certò possumus arguere quatuor esse humores. Sed ad hæc, Ad primum dicendum, quando multum prædominatur pars sanguinea dicitur sanguis sanguineus, cum enim dominatur hæc pars calida, & humida non est inconueniens prædicatio, nec absurda, & eo tunc sanguis non est temperatus. Non me latet aliam afferre responsionem Gentilem super Auicen. quæ tamen parum ab hac differt. Ad secundum respondetur naturam defæcasse dulce sanguinis, id est totum sanguinem ab excrementis, quæ specie differunt à sanguine, sed non depurasse sanguinem à sui met partibus, quæ sunt sanguinis, sed omnes sanguinis partes fecisse perfectiores quantum potuit, & hoc esse diuersum iuxta diuersos homines, cum ergo sanguis habet plures partes sanguineas, is est magis distinctus, & dulcis, & hic est melior sanguis, in quo vero sanguine prædominatur phlegma,

Solutiones argumentorum.

minus

minus est bonus, vt in hydropicis leucophlegmaticis, cum vero dicitur, quod quacumque parte sanguinis accepta est diuisibilis, scilicet in tres partes, dicendum quod non, vt supra diximus, nam in tota massa sanguinea sunt quatuor partes.

Ad tertium respondeo naturam minime fuisse impiam, nam amantiorem partem sanguinis separauit in cista fellis, & terrestriorem, seu acetosiorem in liene, phlegma autem non oportuit habere determinatam sedem, ob nutritionis futuram necessitatem.

Ad quartum dicendum oportuisse dari sanguinem pro quarta substantia pro partium temperatarum, & sanguinearum nutritione, ad id quod dicitur quod sanguis pro tribus humoribus potest hoc facere negatur hoc, nam oportuit dari partem calidam, & humidam, quæ conformetur, ac deseruiat partibus sanguineis.

Ad quintum petit principium ratio hæc, nam nos etiam diximus, quamuis particulam sanguinis acceptam diuidi in quatuor, & non in tres.

Ad sextum dicendum lac habere quatuor partes aqueam phlegmaticam, casealem melancholicã, butirosam sanguineam calidam, & humidam, & biliosam, seu nitrosam calidam, & siccam. Verum notandum est de sero, quod in ipso duæ partes includuntur, pars frigida, & humida, seu phlegmatica, & pars calida, sicca scilicet nitrosa, ratione aquosæ in illo dominatur aqua, seu phlegma, ratione nitrositatis adest pars calida, sicca, quæ est cholerica. Hac distinctione conciliantur Gal. & Auic. & Mesuis contrarij loci, nam Gal. lib. 3. de simpl. med. fac. cap. de lacte, vult serum esse calidum, & siccum, cuius oppositum dixit lib. 4. de simpl. c. 17. scilicet esse frigidum, & humidum, Auicen. dixit esse calidum, & siccum. Et pro exactiori solutione argumenti dicendũ, quod in lacte ratione molis prędominantur illæ tres partes à Turisano dictæ, non autem ratione virtutis facultatis, & vigoris. De butiro dicendum in hoc non tantum prædominari biliosam partem, sed sanguineam. Sed obijcies ex Conciliatore, nam butirum non potest habere partem sanguineam, nam est facilè inflammabile, ergo biliosam habet. Respondetur vtramque habere, nec ex hoc tollitur non esse calidum, & humidum, nam sensus ipse iudicat humiditatem habere, quare etherogeneum est, & pars temperatior in butiro est à sanguine, calidior est à bile. Nec pugnat contra nos, quod etiam dicit Conciliator scilicet in lacte minimam partem esse butirosam, ergo butirum sanguini non correspondet, nam hoc pugnat contra Gentilem, qui butirum volebat esse tantum calidum, & humidum, nos autem dicimus duas habere partes vt supra dictum est. *Nota de sero.* *Obiectio.* *Responsio.*

Ad septimum dicendum esse excremẽtum sanguinis, sed esse pusillum, & minimum. Contra nam substantiæ magnæ debet esse excrementum magnum, & non pusillum, sed sanguis est multus, ergo. Respondeo falsam esse primam propositionem, nam habemus sensatam experientiam de vinis, quę quo sunt meliora, & perfectiora, eò minorem habent fæcem. At etiam dubitabis, vbi nam est hoc excrementum pusillum? Respondetur esse in omnibus humoribus, & eius excrementis, & loco, & subiecto non distingui, & est quodam vnctuosum, & pingue, quod etiam quandoque in vrina inspicitur ex lib. 4. de san. tuen. c. 4. & in cista fellis est excrementum biliosum, & delectatur vesica hæc fellea ob hoc pingue, & vnctuosum, & idem de phlegmate debemus imaginari, nec non de melancholia, nam in eorum substantijs reperitur. Dices excrementum debet correspondere, à quo decidilur, ergo hoc excrementum debet esse rubeum. Dico ita esse, vel parum à rubedine recedere. Vel alio modo respondetur ad argumentum principale scilicet excrementum sanguinis pro vno humore quarto modo sumpti esse omnes tres humores, vel vt melius dicam, vtramque bilim esse sanguinis excrementum. Sed contra, nam harum adhuc est aliud excrementum, ergo res in infinitum. Dicendum quod statur ad postremam choleram, quæ pungit, & excitat intestina, vt fæces foras emittantur, & ad illam, quæ est in cista fellis, & ad postremam melancholiam, quæ recipitur in liene, & ad ventriculum eructat pro appetentia. *Instantia.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Responsio.* *Instãtia et solutio.*

Ad octauum dicatur dari medicamentum trahens sanguinem ex Gal. lib. de medic. purg. cap. 4. & Conciliatore diff. 144. quinimo ex Gal. ille, qui inuenit talem herbam, fuit punitus à præside. Fortassis autem Deus Opt. Max. ob publicum bonum cælat, atque cælauit hoc naturæ arcanum.

Ad nonum dicatur cum Arabibus sanguinem posse facere febrem interpollatam, sed rarò est, & non durat nisi momento temporis, nam transit cito in naturã alterius humoris, vel concesso ex sanguine nullam fieri febrem, quod Auic. negat 4. primi trac. 2. c. 3. non ideo sequitur sanguinem non esse per se humorem ab alijs distinctum, immo dici posset, quod est tantæ temperantiæ, & dignitatis, vt non substineat sui manente substantia, vt fiat putridus, sed subtile ipsius verti in choleram, & grossum in melancholiam, quare nulla erit periodus ex febri sanguinis.

Ad decimum similiter respondetur, nam eodem modo esset processus in infinitum si sanguis habet trinitatem, ac si haberet quaternitatem, quomodo autem non fit in infinitum processus supra patuit.

Ad vndecimum dicendũ, quod sanguis pro quarta substantia sumptus non esset diuisibilis in tres humores, scilicet in bilim flauam, & atram, & phlegma, cum sit purus sanguis.

Ad duodecimum dicendum sanguinem ob id non esse leuem, quia quamuis sanguis multus est, tamen quia vnctuosus, bene digestus, & aereus, & est in virtute multus, non leuitat, cum in ipso terreum prædominatur, quod mole multum est.

Ad tertiumdecimum dicimus, si sanguis elambicetur, duæ tantum partes apparent scilicet aquosa, & terrestris, tamẽ verisimile est alias duas partes insensibiliter euolare, scilicet calidam, & humidam sanguineam, & calidam, & siccam biliosam, nam quemadmodum si rosa stilletur duo tantum elementorum genera apparent, scilicet terrestris, & aquosa, non tamen est negandũ, non adesse cætera duo, ita & de sanguine. Ad quartumdecimũ respondetur, quod etsi hæc animalia vacant cista fellis, tamen habent venulas quasdã in quibus est dispersum. Ad quintumdecimum argumentum probat esse permistos, quod concedatur, non tamen hæc permistio tollit quaternariũ numerum humorum, veluti non est validum argumentum argumentari non esse quatuor elementa mundi, quia non sunt simplicia, quare male sensit grauissimus iste vir.

Quis sit locus generationis humorum.

Theorema XXVI.



LOcus generationis humorum absque controuersia statuatur hepar auctoritate Hip. lib. de alimento,& Gal. lib. 2. de vsu part. c. 3. 12. & 13. & lib. 6. de plac. Hip. & Plat. cap. 3. Præter has virorum,& aliorum, quæ breuitatis gratia mittantur, auctoritates, adsunt firmissimæ rationes idem comprobantes.

Prima est, sanguis magis assimilatur substantiæ hepatis, quam substantiæ cordis, ergo in hepate,& non in corde generatur, nam orta suis principijs attestantur, verum est assumptum ex oculari inspectione, ergo in hepate, & hæc ratio colligitur à Gal. libro 5. de vs. part. cap. 5. & libro 4. cap. de hepatis substantia, nam hepar est sanguis ingrossatus, dictum à calido.

Secunda vbi sequestrantur excrementa, ibi generantur humores, sed in hepate sequestrantur excrementa, vt patet de cista,& liene, ergo, nam inquiunt Arabicã insectantes doctrinam, vbi est principium,& minera iuuantis, ibi est principium,& minera nocentis.

Tertia ex anatomicis administrationibus intuemur, partem aliquam sanguinis prius nutrire partes quasdam, quam ad cor accedat, ergo in hepate,& nõ in corde est locus generationis sanguinis. Antecedens clarissimum ostendit anatomia, nam à parte concaua hepatis secedit pars quædam ad nutriendum stomachum, & lienem.

Quarta ibi generatur sanguis, & per sanguinem hic massam sanguineam totam intelligo, idest omnes humores, vbi multum sanguis ipse plurimum moratur.

Quinta vbi sanguis recipit rubedinem, dulcedinem, ibi sumit suam formam, nam accidentia non introducuntur ab agente nisi generata forma, si vera sunt philosophiæ fundamenta, cum igitur in hepate videamus hæc accidentia propria, ergo ibi formam sanguineam recipere erit omnino autumandum, disponitur enim sanguis in venis miseraicis, vbi ratione venarum aliqualem colorem sub rubrum accipit, in hepate autem postea exactum habet colorem,& saporẽ. Sed obijcies hæc omnia esse concedenda, tamen sanguis in hepate non est perfectus, sed maiorem perfectionem acquirit in corde, ergo in corde fit generatio humorum. Sed certè hoc est refugium miserorum, scilicet Turisani,& aliorum, contra quod sic arguo, tunc res aliqua perfecta dicitur cum operatur, ac facit operationem finalem, scilicet nutritionem, nam hic est finis sanguinis, ergo in hepate, & non in corde generatur sanguis, patet minor, nam non est necesse vt vadat ad cor sanguis, vt perficiatur, nam nutrit hepar antequam vadat ad cor, vena enim caua, quę est supra hepar multas nutrit partes, vt supra diximus. Sed subtilius addubitabis de loco proprio ipsius hepatis, an scilicet in venis ipsius hepatis, an in arterijs, an in gibba, an in concaua parte, an in membranis, an in substantia ipsius. Gal. modo in venis, modo in hepatis substantia generari fatetur, in venis lib. 4. de vsu par. c. 13. & 6. de plac. Hip. & Plat. c. 3. & libro 2. de natur. fac. cap. 8. dicit generari humores, quæ venæ sunt disseminatæ per hepatis substantiam. Iobertus hanc insectatur sententiam in paradox. libro 1. Paradox. 4. Alibi Gal. dicit generari in hepatis substantia lib. 4. de vs. par. cap. 13. & lib. 6. de plac. Hip. & Plat. cap. 6. Sed breuiter sic præsens difficultas determinetur, scilicet locum proprium generationis humorum esse venas, venæ enim omnes præsertim hepatis proximæ vim implantatam, insitamque habent alterandi, immutandi,& percoquendi, ruborem vero in tota massa sanguinea fieri dicimus à carne hepatis, hæc enim rubra est, simile enim fit à simile, vt patet de albedine chyli in ventriculo, de albedine seminis in parastratis,& de lacte in mammis. Sed an in concaua, an in gibba generentur huiusmodi humores. Breuiter quatuor sunt animaduertenda.

Obiectio ex Turisano. Confutatio

Dubitatio alia magis curiosa.

Decisio.

Quatuor notanda ex Gentile.

Primum est, quod potest esse aliqua temporis particula, in qua fit coctio determinati humoris in concaua, & non in gibba,& ratio probabilis esse potest, quia materia prius est in concaua, quam in gibba, ergo in illo priori nutrimento fit ibi prius.

Secundum est, quod datur tempus in quo simul fit perfectio,& generatio humorum, nã est tempus, in quo tam concaua, quam gibba sunt humorum repletæ.

Tertium est, quod cum hi humores iam toti penetrauerint in gibbam, & concauam dimiserint, non fit illorum concoctio,& perfectio in concaua, sed in gibba fit complementum non tamẽ (crediderim) noua forma introducitur.

Quartum, & vltimum est, quod vbicunque sit humor siue in concaua siue in gibba, generatio,& perfectio,& digestio fiunt per concauam,& per gibbam, nam totum paringhyma has exercet operationes.

Quid alij senserint.

ADuersus iactam sententiam videntur pugnare Hip. Plato, Arist. Gal. & alij. Hip. lib. de alimẽto & lib. 4. de morbis in principio inquit, fontem,& radicem sanguinis esse cor. Plato in Timæo cor venarum,& sanguinis esse fontem autumauit, Arist. pluribus in locis,& præcipuè lib. 3. de part. animal. cap. 4. idem existimauit, Galenus libro de vtilit. respirat. in fine ait in splene esse sanguinis generationem, splen enim inquit trahit succum cibi ab intestinis sicut hepar, Auer. trac. de corde, & Turisanus lib. 2. art. med. com. 44. in corde. Sed res rationibus tractetur.

Prima, ibi generatur sanguis, vbi multus est sanguis, sed in corde est multus sanguis, nam est sanguinis fons, nam in ventriculo dextro,& sinistro est magna copia sanguinis.

Secunda in hepate nulla est cauitas, ergo quomodo potest esse locus generationi sanguinis, seu humorum.

Tertia ibi generatur sanguis, vbi est vitæ principium, sed cor est quod primo viuit, & oritur, & quod vltimo moritur, ergo &c.

Quarta cor est principium venarum, ergo & sanguinis, & humorum.

Quinta cor est principium nutrimenti, ergo est principium sanguinis, antecedens patet, nam non posset esse principium sensitiuum, nisi esset principium nutritiuum, nam in eodem subiecto primo recipitur primum sensitiuum, & primum nutritiuum. Fuere propterea non nulli, vt Zimara in tabula his, superioribus in contrarium adductis rationibus moti, vt dixerint, nullum esse discrimen inter medicos, & philosophos, nam conciliantur adinuicem inter se, si de duplici sanguine fiat distinctio, de sanguine arteriali, & de sanguine venali, seu venoso, qua stãte distinctione dicit hic magnus Philosophus medicos loqui, & esse locutos de sanguine venoso, philosophos verò, & Arist. præsertim, eiusque asseclas de arterioso. Venosum à venis, vt Galenistæ, arteriosum ab arterijs, & à corde manare dicunt philosophi. Verum parcat mihi semiconterraneus noster Zimara, toto enim cælo aberrat, nam nullum potest esse concilium inter medicos, & philosophos, nam in principijs non conueniunt: Aristot. enim negauit ab hepate venas oriri, e contra medici affirmant, ergo nulla potest esse conciliatio. Addo etiam nam Arist. manifeste vult omnem sanguinem à corde oriri. Alij propterea vt Gentilis super Auic. dixerunt sanguinem generari ab hepate, sed perfici à corde, & hepar non generaret nisi à corde virtus influeret, scilicet calor, & sanguis ab hepate discedens, & ad cor accedens recipit vlteriorem perfectionem accidentalem scilicet fit magis digestus, & magis calidus, & como dè potest nutrire singula membra, quare hepar vt instrumentum, cor vt causa principalis generat secundum Gentilem. Sed hæc conciliatio Gentilis licet secundum aures Arist. possit admitti, tamen secundum Gal. placita non est admittenda, nam hactenus medicis est demonstratũ tria, vel quatuor esse membra principalia in corpore, nunc non disputo, an tria, an quatuor, & hæc membra natura sua habere facultates suas radicatas, & firmatas in se, sic hepatis actio est hæmatosis id est sanguinis generatio, & spirituum naturalium, cordis vitalium, & cerebri animalium, quare Gentilis à mente medicorum recessisse videtur. Sed soluantur obiecta. Ad Hip. dicimus loqui de sanguine arterioso, nam dicebat Hip. libro de alimento, si tamen hic liber Hippocraticus est, venarum fontem esse hepar, arteriarum esse cor. Platonis, & Arist. sententiam dicimus esse falsam, & licet alias Arist. defendere placuit, illud tamen fuit curiositatis, & exercendi ingenium gratia, non ergo à corde, sed ab hepate ducunt originem venæ. Sic ad Auer. & Turisanum dicimus. Ad illos, qui splenem ponunt, dicatur illud esse falsum, nam spurius est ille liber, cum authoritate Gal. lib. 10. de vsu part. & libro 5. & Arist. libro 2. de histor. animal. & lib. 3. de part. splen expurget sanguinem à melancholia. Quinimo addendum, non in omnibus animalibus sanguineis esse splenem.

Sententia Zimaræ. *Cõfutatio.* *Sententia Gentilis.* *Cõfutatio.* *Solutiones argumẽtorum.*

Ad rationes, Ad primam dicimus, quod in hepate est maior copia sanguinis, quam in corde, nec ex multitudine liceret argumentari generationis principium, & locum, nam fluuij in principio sunt exigui, postea tamen se dilatant.

Ad secundam respondet Gal. lib. 4. de vsu part. cap. 13. in hepate non oportuisse fieri cauitatem, nam hæc esset impedimento humorũ generationi, quo minus possint alterari, sapienter igitur fecit ipsa natura, vt nullam cauitatem in hepate generasset.

Ad tertiam negat medicus in hepate non esse adhùc vitæ principium, negaret etiam esse cor, quod primo exoritur.

Ad quartam, & quintam quid sit dicendum patet.

Differant ne inter se humores, et si differunt qua differentia differunt.

Theorema XXVII.

Breuibus hoc theorema sic explicetur, scilicet humores inter se specifica differentia differre. Quod inde probatur, nam quæcunque qualitatibus differunt specie differũt, sed humores qualitatib. differunt, ergo specie differunt, maior propositio vera dijudicanda ex eo, nã quomodo elementa specie differre, & forma differentia esse cognoscimus nisi ex diuersis, & cõtrarijs qualitatibus, dicebat namque Arist. lib. 4. metheor. tex. 40. & lib. 2. de generat. & corrupt. 56. effectus contrarios arguere formas contrarias, minor adhuc luce meridiana clarior est, namque sanguis calidus & humidus est, bilis calida, & sicca, pituita frigida, & humida, melancholia frigida, & sicca. Insuper ad maiorem huius theorematis confirmationem argumentum petatur ex diuersitate coloris, & saporis, nam sanguis rubeus, pituita alba, bilis pallida, melancholia nigra, sanguis dulcis, pituita insipida, bilis amara, melancholia acerba, seu acetosa. Quare ex his patere arbitror humores specie inter se differre. Vt hinc pueriliter lapsum fuisse Côciliatorem diff. 29. pateat, qui numero, & per accidens humores differre autumauit, eo. s. argumento persuasus, quod omnes humores ab vna causa secundũ magis, & minus affecta, seu disposita ducant originem, scilicet à calore, nam ex Gal. lib. 2. de natur. fac. c. 8. & lib. 2. de cris. cap. 12. sanguis a temperato calore fit, pituita à minori, bilis à superfluo, atrabilis ab assato, sed magis, & minus inquit Conciliator, non variant speciem, ergo. Sed deceptus est, nam quãuis eadem est causa in specie, & numero vna, non tamen repugnat ab ipsa specie differentia effecta produci. Sed dices, humores differunt, & specifica differẽtia differunt, quæ nã est causa istius differentiæ? Breuiter dicamus specificã differentiam humorum à duobus fontibus desumi, alter est causa efficiens, & alter ipsa materia.

Conciliatoris lapsus. *Obiectio.* *Solutio.*

Quantum ad causam efficientem,& materiam,& si calor hepatis sit vnus formaliter, & vnum hepatis temperamentum,tamen virtualiter est quadruplex, vnde possunt quatuor homines generari. & clarius hic calor hepatis realem differentiam non habet in generatione humorum, sed respectiuam,& in comparatione ad materiam diuersam,ille enim calor,qui dicitur temperatus comparando ipsum ad partem chyli, ex qua faciendus est sanguis, dicitur intemperatus comparando ipsum ad partem chyli calidam, & siccam,ex qua facienda est bilis, & sic de cap. quare in vno,eodemque calore hepatis non oportebit ponere diuersas formalitates,quæ sint res absolutę,& clarissime Auer. libr. 7.metaphys.28. hanc rem patefecit,inquiens, multiplicitatem generabilium ab vno agente esse propter diuersitatem in materia. Sic Gal. intelligatur libro 2. de natur. fac. cap.8. & libro 2. de cris.cap.12. vbi ab vno calore ipsius hepatis iuxta materiæ diuersitatem posse quatuor humores generari affirmat, vnus enim est calor, sed multiplex dici potest respectu materiæ.Quare tum ex causa efficiente,scilicet calore,tum ex ipsa met materia specificè differunt humores.Sed contra,nam libro 9. metaphys.20. actus est qui separat, & distinguit, & libro 1. metaphys.text.15. in fundamento naturæ nihil est distinctum,vbi materiam intelligunt expositores,ergo à materia non poterit sumi diuersitas specifica.

Instantia subtilis.

Solutio.

Nisi esset hæc dicta Philosophi de prima materia esse intelligenda,modo in nostro proposito non est prima materia, sed secunda,a qua potest prouenire specificatio,cum hæc materia habeat formã. Neque quidem mea sententia Conciliatoris commentum diff. 52. pro veritate explicanda in hoc theoremate est magnifaciendum,inquit enim hic, quod calor hepatis potest dupliciter considerari in se, & in communi, & sic est vnus, aut particulariter, & prout refertur ad aliud, quod potest esse, vel anima,vel hepar. Si referatur ad animam, seu naturam operantem, inquit diuersificatur hic calor, & per consequens humores, quia natura, seu anima diuersos intendit humores,primo tamen sanguinem, deinde phlegma, &c. Si referatur ad hepar diuersificatur hic calor sicut partes hepatis diuersificantur, secundum quam diuersitatem fit varia generatio humorum, nã in parte inquit, superiori, & extrinseca hepatis cordi propinqua calor generatiuus humorum est purior, & ibi magis generatur sanguis, & in eminentia superiori generatur cholera,in inferiori parte generatur melancholia,& phlegma. Sed licet subtile videatur commentum conciliatoris, tamen suspectum est, quinimo falsum, nam anima non est diuersa in se, nec diuersitas intentionis ipsius animæ realem potest efficere diuersitatem. Quinimo adderem, & aliud aduersus Conciliatorem, satis esse difficile intellectu, quinimo impossibile, & inimaginabile in tantis diuersis partibus hepatis generari illos humores, nam in quacunque parte hepatis gignitur vnus, aut alter humor, & alij. Hæc in Conciliatorem. Cæterum ante quam finem præsenti theoremati imponamus, sunt non nulla argumenta aduersus superius iactam nostram sententiam, præsertim Fernelij libro 6. funct. natur. cap.4. & Io. Francisci Pici libro de elem. cap.5. Fernelius igitur non à calore facit humorum differentiam, sed tantum à materia, nam ab vno inquantum vnum est,non prouenit nisi vnum ex Arist.lib. 2. de gener. & corrupt. text.56. modo vnus est calor hepatis, ergo ab ipso non possunt quatuor humores generari.

Conciliatoris commentum confutatur.

Argumẽta varia.

Secundò hepar habet vnam formam, vnumque temperamentum, ergo vnico vtitur instrumento scilicet calore,ergo cum vnicus sit calor, ab hoc non erunt species humorum distinctæ, sed tantum à materia.

Tertiò ex Pico,aut calor sanguinis differt specie à calore bilis,aut minime. Si primum concedis, tunc superius aliquid cogitare oportebit, vnde hæc prodeat distinctio,seu diuersitas, nam inter doctos conuenit,species diuersas sub vno genere congregari, atque vniri, suisque distingui differentijs. Humoris igitur genus superius comminisceris, nam si dixeris humoris species ex genere quod non sit humor pendere,tanquam proprias,geminasque species ex alieno genere,sine risu, & explosione,si in corona literatorum dices, non audieris, igitur plures quatuor humores habebuntur.

Si secundum responderis ac alterum pendere ab altero, minus scilicet calidum à calidiori, tum sanguis pendebit à bile,vt quæ calidior habeatur,& igni sua proportione respondeat,tum ergo sanguis bile posterius erit in homine,& ab ipsa pendebit,quod nec Lycium,nec medicorum scholæ recipient, apud quos sanguis in animali, & præsertim in homine primatum habet, isque, & fons, & origo sensilis vitæ apud omnes existimatur. Sed breuiter his respondetur.

Solutiones.

Ad primum, & secundum argumenta Fernelij quid iam sit respondendum supra patuit, nã vnus est calor hepatis formaliter,sed virtualiter, & respectiuè vt diximus quadruplex, ratione scilicet diuersitatis materiæ. Ad Picum breuiter dicatur, licet argumentum sit valde prolixũ, & rhetoricorum potius, calorem sanguinis, & bilis specie non differre, quemadmodum sentit schola omnium Peripateticorum de qualitatibus symbolis elementorum hæ enim sunt eiusdem speciei, & quando arguit Picus, tunc sanguis pendebit à bile, & per consequens sanguis posterius erit bili in homine,si de pendentia originis intelligit tunc nego, si de pendentia ordinis tunc concedatur, est enim pendentia originis quando vnum habet originem ab alio, & sic sanguis non habet originem à bili, nec aer ab igne, nam quemadmodum in megacosmo ignis est supra, deinde aer, aqua, & postea terra, ita in sanguine supra est bilis, deinde pars sanguinis, seu ipse sanguis pro quarta substantia, postea phlegma, tandem melancholia, sic nullum est inconueniens, nec argumentum quidquam concludit, nam licet bilis sit supra sanguinem, tamen non est nobilior ipso sanguine, & hic sit finis.



An

An ſimul, an ſucceſsiue generentur humores.

Theorema XXVIII.



T ſi parum vtilis, atque proficua rei medicæ videatur præſens diſceptatio, tamen vt humorum tractatio exactum ſuum nanciſcatur finem, hanc in medium adduximus, pro cuius theorematis deciſione, quatuor ſunt primo conſideranda fundamenta.

Primum eſt, quod chylus eſt ſubſtantia eterogenea, & non ex omnibus cibis omnes humores generantur.

Secundum eſt phlegmatis eſſe, ſeu natura duplex eſt, vno modo penes imperfectam coctionem, nam phlegma eſt ſanguis non bene concoctus, & hoc modo chylus aliquo modo rubificatus in miſeraicis, vel concoqui incipiens in hepate poteſt dici phlegma, nec eſt verũ phlegma pro humore, ſecundo modo penes ſubſtantiam craſſam, viſcoſam, aqueam, frigidam, humidam inſipidam, & hoc modo eſt humor.

Tertium conſiderandum eſt, dupliciter poſſe intelligi omnes humores ſimul tempore generari in hepate, primo modo præciſe, & adæquate, & perfectè, ita vt operatio caloris naturalis hepatis in Chylum ſimul, & ſemel adæquate incipiat, mediet, & finiat ex Chylo facere ſanguinem, & alios humores, ſecundo modo cum quadam latitudine non contemnenda, ita vt durante tempore ſecundæ concoctionis generẽtur ex chylo quatuor humores, & ponantur ſimiliter in eſſe actuali, & perfectè diſtincto.

Quartum eſt, quod duplex eſt humorum generatio, quædam prima, quæ ſcilicet ex chylo fit immediate, alia ſecunda, quæ fit ex humoribus adinuicem, vt ex phlegmate ſanguis, ex ſanguine cholera, vel ex cholera melancholia.

Quãtum igitur pertinet ad primum fundamentum dicamus poſſe ſcilicet omnes humores ſimul generari, per ſimul autem intelligo illud temporis ſpatium, in quo fit ſecunda coctio, verum hoc velim intelligatur, in homine temperato, cuius hepar ſit temperatum, ac cibis temperatis vtatur. Et ſi enim chylus vna res eſſe videatur ad ſenſum, ſcilicet ſubſtantia homogenea, in rei tamen veritate eſt etherogenea, cõſtans ex pluribus partibus, ex craſſis, & terreſtribus melancholiæ correſpondentibus, ex frigidis, atque viſcoſis pituitæ aſſimilibus, ex aereis ſanguinis proportionem habentibus, ex igneis leuibus choleræ appropriatis. Diximus, ſi cibis vtatur temperatis, nam ſunt quidam, ex quibus nulla, ac ferè inſenſilis eſt ſanguinis generatio, vt ex lentibus, ex caulibus, alij ſunt, ex quibus nulla bilis ferè fit, vt lactucæ, cucurbitæ, &c. alij, ex quibus nullum phlegma, vt alia, alij, ex quibus inſenſibilis gignitur melancholia, vt aqua carnis, vitelli ouorum, gallorum nondum Venerem expertorum teſticuli, & vinum ſubrubrum clarum. Quare dicamus in corpore temperato, & hepate temperato ſimul omnes poſſe generari humores, ſi cibis, inquam, temperatis vtatur, vt calida frigidis, & frigida calidis alimenta permiſceat. Hanc veritatẽ pluribus mihi perſuadeo experientijs, rationibus, & auctoritatibus. *Quomodo ſimul generentur humores.*

Primò Gal. auctoritate lib. 2. de nat. fac. cap. 8.

Secundò nam nos ſenſata experientia videmus quatuor carnes diuerſas elixatas ſimul concoqui, ergo idem de humoribus philoſophandum.

Tertiò idem eſt agens, ſcilicet hepatis calor, eadem materia ſcilicet chylus, idem tempus admotionis agentis ad paſſum, ergo ſimul omnes humores generabuntur.

Quartò natura, quæ noſtrum regit corpus, vnum habet finem, nutrire ſcilicet corporis partes, ergo cum natura vnum intendat finem, omnia ponit media, vt aſſequatur illum finem, ergo ſimul poteſt, & debet generare omnes humores pro capeſſendo illo fine. Quid enim deficit naturæ, num fortaſſis eſt defectus ex ipſa, quod nequaquam, num ex materia, nec item, ergo per ſimul, tamen intelligimus, vt diximus totum coctionis ſecundæ tempus.

Quintò ſi humores ſimul non generarentur, tunc eſſent plures coctiones ſecundæ iuxta pluralitatem humorum diuerſis temporibus generatorum, quod apud medicos, & philoſophos eſt inauditum.

Sextò, quemadmodum in muſto ſimul generantur vinum, & ſeparantur ſuperfluitates ab eo, ſcilicet fęx, & ſpuma, ita & in humoribus erit philoſophandum. Si dixeris, quod vinum eſt prius tempore, deinde ſpuma, & fæx.

Dicerem ego eſſe ſimul tempore, ſed ſub eſſe confuſo, paulatim tamen poſtea ſequeſtrantur, & ad eſſe perfectum ducuntur.

Septimò generatio humorum in hepate eſt ſimilis ebullitioni ſuccorum fructuum, quemadmodum enim calor agens in totam ſuccorum maſſam ſeparat, & diſtinguit etherogenea eorum, ſic calor hepatis agens in chylum ſeparat etherogenea chyli, ſed in ſuccis quam primum, ac ipſi ſunt expreſſi ex fructibus, in ipſis ſunt in potentia, & ſimul ſpuma, fæx, & verus liquor, & poſtea per caloris actionem deducuntur ſimiliter ad eſſe perfectum, ſpuma aſcendit, fæx deſcendit, & vnus liquor in medio exiſtit.

Si dixeris, quod de melancholia hoc nunquam contingat, nam hæc non videtur generari in hepate, cum ſit ipſius chyli terrea, quæ fugit operationem hepatis. Niſi eſſet, quod melancholia penitus non effugit tranſmutationem, quæ fit in hepate, ſed ſanguificationem ipſius.

Octauò ſi quis humor præcederet alijs in generatione maxime is eſſet phlegma, quia eſt ſanguis diminutè coctus, ſed res eſt in contrarium, nam tam facile eſt calori hepatis ex chyli partibus ſubtilibus

tilibus producere cito bilim, quam est facilè ei ex partibus crassis,& frigidis chyli producere phlegma, quemadmodum enim in magnis ignibus, tam cito accenduntur materiæ siccæ, quam virides.

Nonò concoctio nihil est aliud, nisi optima permistio humidi conuenientis, & proportionati, cum sicco idoneo à calore naturali reparante superfluum, fieri igitur non potest, vt per chylificationem,& in sanguinis transmutationem in secunda coctione quin simul tempore generentur humores. Quare his omnibus rationibus,& auctoritatibus, & experienrijs probatum esse puto in corpore temperato, hepate temperato simul humores generari, & non successiuè, si cibis vtatur temperatis. Quantum ad secundum fundamentum, si hepar sit aliqualiter lapsum ad quemuis lapsum, ac cibis improportionatis vtatur corpus, tunc nihil certè prohibet non simul, sed successiuè, idest altero alterum prius generari humores, nihil enim prohibet ex parte hepatis, nihil ex parte chyli, vel ex modo applicationis agentis ad passum aliquam chyli partem correspondentem alicui proprio humori paulò prius generari, & concoquere incipi prius parte alia correspondenti alteri humori. Quod etiam multis mihi persuadeo, primo Gal. auctoritate libro 2. de rat. vic. text. 30. vbi ex cibis frigidis, & pituitosis prius vult generari pituitam, deinde alios: Ex parte etiam hepatis, nam si quis habet hepar frigidum, & humidum prius certè generabit humorem sibi similem scilicet pituitam, dein alios, & è contra, quod clare Gal. expressit libro 3. de alim. fac. cap. 39. patet etiam, nam fieri quidem non potest, vel ex parte caliditatis hepatis sic affecti, vel ex parte chyli intemperati simul, & semel tangere partes omnes chyli, cum omne agens iuxta màteriæ, & agentis discrimen agat.

Quãdo nõ simul generantur humores.

Addo etiam, nam sicut inter cibos est aliquis phlegmaticus, vt pisces, & aliquis cholericus, vt alia, & cæpæ, & poma, alius sanguineus, vt oua, carnes, & alius melancholicus, vt fabæ, caules, sic intet chylos, ergo sic citius ex chylo phlegmatico generabitur phlegma, quam sanguis, & sic de cæteris. nam in symbolis facilior transitus quam in asymbolis ex libro 2. de gen. & corrupt. 25. Quoad tertium fundamentum, si loquimur de quodam humore scilicet phlegmatico, dicendum, quod hoc si eius esse attendatur penes defectum, seu diminutionem coctionis prægeneratur alijs humoribus, nam semper imperfectè coctum præcedit perfectè coctum, sic enim natura procedit ab imperfecto ad perfectum, nam quod decoquitur prius decoquitur diminutè, & imperfectè, deinde perfectè, nam non potest fieri saltus ab imperfectè cocto ad perfectè coctum, tam ex parte resistentiæ passi, quam ex limitata virtute agentis, quare phlegma hoc modo consideratum prius sanguine generatur.

Quoad quartum breuiter si loquamur de secunda generatione humorum, clarum est non omnes simul generari, nam ille prius generatur ex quo alius fit, nã in venis tempore necessitatis ex phlegmate fit sanguis, ex sanguine cholera, ex cholera melancholia. Quare quatuor his iactis fundamentis præsens theorema claudatur, ex qua determinatione omnes cadunt difficultates. Dicimus ergo vt receptis canamus, primo in corpore temperato vtente cibis temperatis fieri omnes humores simul, Secundo quandoque, vel ex parte agentis, scilicet hepatis, vel ex parte chyli, non generari simul, sed successiue. Tertiò de phlegmate considerato penes defectum, diminutionemve coctionis esse prius alijs genitum. Quartò ratione secundæ generationis humorum, quæ fit in venis, simul nõ generari, sed alterum altero priorem.

Solus sanguis, an alij humores nutriant.

Theorema XXIX.



Idetur certè ob multas auctoritates, atque rationes solus sanguis nutrire, Auctoritate Arist. libro 3. de histor. animal. cap. 19. Gal. libro de elem. cap. 2. laudat illos, qui dixerunt animal ex sanguine produci, & nutriri. Auer. libro 2. collig. cap. 1. libro 3. collig. cap. 18. libro 1. Cantic. cap. 16. idem affirmat. Idemque quindecim rationibus probatur.

Prima, id videtur esse proprium nutrimentum, & solum membrorum, quo solo remoto membra cessant nutriri, & totum corpus interit, sed ita de sanguine experimur, nam illo educto, immo antequam totus educatur frequentibus lypothimijs animal corripitur, vnde moritur, iuxta illud Virgilij.

Atque simul cum sanguine vitam, &c.

Secunda solus sanguis inter humores est humano temperamento, ac vitæ proportionatus, nã humanum temperamentum est calidum, & humidum, vita consistit in his, sanguis autem solus inter humores est calidus, & humidus.

Tertia finis nutrimenti est deperditi restauratio, sed quod assiduè deperditur est humidum radicale cum calore naturali, de terrestri autem parum, aut nihil resoluitur, ergo non opus est multa restauratione, cum igitur sanguis inter humores sit calidus, & humidus, ergo hic erit proprium nutrimentum membrorum.

Quarta ex quibus constamus ex ijs nutrimur ex libro 2. de gener. & corrupt. 56. sed nos sumus ex solo sanguine, ergo.

Quinta quod nutrit est ex genere dulcium, & delectabilium ex Arist. lib. de sensus, & sens. capitulo quarto, & libro de simplic. med. fac. cap. 10.

Sed solus sanguis est huiusmodi, vt patet, ergo, & licet phlegma naturale videatur esse quid dulce, tamen est potius insipidum.

Sextò ex eodem semine homogeneo formantur omnia spermatica membra, quæ multū sunt adinuicem differentia, veluti ex solo ferro fit clauis, malleus, ferra, ita de sanguine eodem omnia mem bra nutriri valent.

Septimò tota humorum massa comparatur musto, sed sagax natura depurans vinum eijcit tanquam superfluam spumam, & fæcem subtus reponit, ita & in sanguine debet facere natura, & eo magis, quia excrementa habent suos locos, vt cistam fel, lienem melancholia.

Octaua si quatuor humores nutrirent, igitur nostra generatio esset ex quatuor humoribus, quia eadē causa, generationis, & nutritionis, sed consequens est falsum, primo quia compositio nostri cor poris est quadruplex, vna ex elementis, secunda ex humoribus, tertia ex consimilibus, quarta ex instrumentarijs, seu organicis, Secundò quia in vtero non inueniuntur quatuor humores ex elementis organicorum, ex consimilibus, & organicis.

Nona vnius formæ vnica debet esse materia, sed corporis nostri est vna forma, ergo vna materia, & non quadruplex.

Decima cholera, & melancholia non nutriunt, nam sunt sanguinis superfluitates, & potius nutrimento contrariantur, nam bilis, & melancholia ex Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. 8. & 9. & Auer. libro 2. aollig. & primo Cant. cap. 56. sunt veluti spuma, & fæx, quorum mistione vinum corrumpitur, ita & sanguis.

Vndecima. Quod est compositum ex quatuor humoribus non potest generare quatuor humores distinctos, sed corpus est huiusmodi, ergo non erunt quatuor humores distincti in corpore, ergo non nutrient membra, aut contendunt ad membra distincti in formis eorum, aut priusquam conuertuntur in membra fit ex eis aliquid vnum, si distincti commeant, cum oporteat eos transire ad quamlibet minimam partem membri, erit dare aliquem parum, in quo continebitur vnus solus humor absque alio, ergo illa pars illo solo nutrietur. Sed dices, in vno poro continentur quatuor minima, sed contra, quia intercapedo pori non videtur esse magis, quam continui, cuius est porus, vt sensus ostendit, ergo fieri quidem non poterit quatuor minima humorum contineri in vno poro, valet consequentia, quia minimum humoris debet esse maius minimo membro, nam humores sunt aquei, quæ aqua est rarior, & membra sunt magis terrea, quæ terra est magis densior, minimū autem rarioris est maius minimo densioris. Si dixeris, quod prius conuertatur in aliquod vnum, hoc quidem fieri non potest, nam quæro vbi fit hoc vnum in quatuor humoribus, aut in venis, & hoc non, quia adhuc sunt ibi quatuor humores in actu, aut in membris, & hoc non ob duo, primo, quia recipiuntur in poris, sed in poro vno non possunt esse quatuor humores, secundo, quia mēbra sunt diuersa, & humiditatem, quæ fit in membris oportet esse diuersam secundum membra, ergo non potest fieri aliqua res communis omnibus.

Quartadecima solus sanguis e natura productus est, vt nutriat membra, & non cholera, & melan cholia, ergo sanguis solus nutrit.

Quintadecima in consuetis purgationibus euacuantur humores tres, solus autem sanguis permanet, quia est naturæ thesaurus, ergo remanet, quia nutrit. His igitur auctoritatibus, & rationibus patere vnicuique potest sanguinem solum nutrire, & non alios humores. Cuius oppositum alijs non contemnendis rationibus probatur, & primo principaliter, nam in venis sunt omnes humores in actu, ergo debent nutrire, nam si non nutrirent, non essent in venis, patet assumptum auctoritate Gal. libro 2. de elem. cap. 2. nam sensu patet quatuor humores esse in venis, & vt etiam nos supra qrobauimus theoremate 25. *Probatur oppositum.*

Actu enim videtur bilis, pituita, humor melancholicus, & sanguis, & vt etiam in purgationibus patet. Nec valet, quod Asclepiades dicebat teste Gal. libro 2. de elem. cap. 3. scilicet pharmacum generare sibi similem humorem, quemadmodum non nullis persuasum est de corallina, quod generet vermes, nam rectè in illo cap. à Gal. confutatur. Falsa quoque est quorundam responsio asserentium, quando euacuatur melancholia trahi à liene, & quando euacuatur bilis, trahi à cista fellis, nam videmus, magnam quantitatem horum humorum esse medicamentis, vel natura quandoque eductam, quæ magna quantitas capere non poterat in illis locis. *Contra Asclepiadē. Corallina nō generat vermes.*

Quomodo enim capax est cista fellis quatuor, vel sex librarum bilis, quæ indies educitur. Quare satis patet in venis esse quatuor humores, quod etiam demonstratur ex alijs, vt theoremate supra citato apparuit. Ergo si quatuor humores sunt in venis, qua ratione ibi manent, ne nutriant membra, proculdubio ociosum quippiam videretur in natura, sed Deus, & Natura nil frustra moliuntur libro primo cæli 32. & secundo eiusdem 50. & 59. libro 2. de anima 45. & libro 1. de part. animal. cap. 1.

Secundo principaliter ex Gal. libro 2. de elem. cap. 2. non videtur tantum sanguis nutrire, nam ex diuersitate partium nutritarum in hominibus facile patet quatuor omnes humores nutrire, nam caro sanguinea, & mollis est, neruus e contra, ergo illa calida, & humida, hic frigidus, & siccus.

Tertio ex Hip. lib. de nat. hum. tex. 7. si solus sanguis nutriret, tunc omnes partes essent vnius generis, ergo verè nutrire debent omnes humores.

Quarto sunt aliquæ partes, quæ nutriuntur chylo, vt ventriculus ex lib. 3. de natur. fac. c. 7. sed de hoc infra, ergo non omnes sanguine nutriuntur.

Quinto omne, quod nutrit est cambium, sed sanguis nō est cambium, ergo, maior probatur, quia solum cambium apponitur, adhæret, & agglutinatur partibus.

Sexto vitreus humor nutrit christallinum ex Gal. lib. 10. de nat. part. cap. 3. non est autem in aliquo vtrorumque humorum vena.

Septimo si solus sanguis nutriret, tunc tota complexio esset sanguinea, nam omne nutriēs debet esse simile nutrimento, & alio modo illam obseruamus, ergo.

Octauo si solus sanguis nutriret omnia membra essent simillima in duritie, & mollitie, soliditate, & rari-

& raritate, leuitate, & grauitate. Nam sanguis est quippiam temperatum, sed oppositum nos obseruamus.

Hoc theorema videtur esse problematicum.

Quid igitur dicendum in tanta varietate argumentorum. Certè semper ego Gal. iuditium sum admiratus, eoque magni in hoc theoremate admiror. Est enim Gal. in hoc sententia, vtramuis opinionem esse probabilem, quamuis ipse postea ad Hip. declinet libro 2. de elem. cap. 2. Quidquid tamen sit, vtraque opinio probabilis videtur, & vna quæq; suis rationibus fulcitur. Quod si mauis aliquam istarum sectari, iam tibi modum demonstrabo, quo pacto soluantur omnia argumenta. Illud tamen prius latere nos non debet, dupliciter sumi sanguinem, vel pro tota massa, vel pro vno humore sanguineo scilicet calido, humido, rubeo, dulci. Duplicem quoque scias esse nutritionē, quandam veram, & quandam quasi refocillationem, prima dicitur perfecta nutritio, & propria, & est assimilatio perfecta nutrientis ad nutritum, idest conuersio alimenti in substantiam aliti, secunda est imperfecta, quæ est veluti voluptatio quædam. Sciendum tertio loco est, non verificari nostrum theorema de vltima nutritione, scilicet de nutrimento tertio modo sumpto, quod est verum nutrimentum, sed de eo quod est in via.

Soluuntur rationes priores.

Si igitur medicos insectandi tibi fuerit propositum, respondere poteris ad allatas rationes, & auctoritates, Ad Arist. dicendum, nomine sanguinls massam sanguinis intelligere, vnde perperā sensisse putauerim asserentes Arist. per sanguinem tantum quartam substantiam intelligere, nam inquit Arist. lib. 3. de histor. animal. c. 19. quod sanguis vasa sibi, & conceptacula habet, quæ verba de sanguine pro tota massa dubio procul veniunt intelligenda. De Auer. non curandum. Ad Galen. dixerim verè laudare ibi illos, sed in progressu orationis ad Hip. se conuertit.

Ad primam rationem concedo sanguinem esse principale, ac necessarium nutrimentum, sed non solum, licet etiā non negauerim ego, quod aliquando solus non possit nutrire vt supra, nutrit etiam cum alijs adiunctus iuxta partium exigentiam.

Ad secundum dicendum, quod licet sanguis sit proportionatus humanæ naturæ, ac vitæ, cum hoc tamen stat, vt aliquid ei de humoribus alijs sit immiscendum ad nutriēda, & conseruanda omnia membra.

Ad tertiam licet plus resoluatur de calido, & humido à corpore, quam de sicco terrestri, tamen non est negandum de hoc non resolui, quod restauratione indiget.

Ad quartum dico quod tota massa sanguinis est adhuc dulcis, & de genere delectabiliū propter sanguinis abundantiam.

Ad sextum de semine dico, secundum visum esse homogeneum, & secundum sensum, tamen secundum rei veritatem esse etherogeneum, & ratione diuersitatis agentis dicimus ab vno ferro fieri illa omnia.

Ad septimum dicendum, quod natura à massa sanguinis separat aliquid melancholiæ, & bilis, & in hoc saluatur similitudo massæ sanguinis ad mustum, & aliquid de puriori cholera, & melancholia mittit ad membra cum sanguine ad partes nutriendas.

Ad octauum concedatur consequens, & cum dicitur corporis compositio est quadruplex, dicendum verum esse, sed Gal. contentus est eas ponere tres, quia tam ex primis elementis, quam secundis resultat natura vna, quæ dicitur temperamentum.

Ad nonum dicēdum posse negari in corpore esse vnicam formam, cum admitti possit formarum pluralitas, quare non est inconueniens. Vel dicendum, vnius formæ vna materia, scilicet vna humiditas, nam omnes humores actu sunt humidi, quare nullum est argumentum.

Ad decimum melancholiam, & choleram respectu sanguinis esse excrementa, sed respectu membrorum, quæ nutriunt, nequaquam.

Ad vndecimum negatur consequentia, mistum scilicet ex quatuor elementis non potest facere quatuor elementa, ergo compositum ex quatuor humoribus non potest facere quatuor humores, nam ad generationem quatuor elementorum requiritur multus excessus caloris, quantus reperitur in animalibus.

Ad duodecimum dico phlegma, quod transmutatur in sanguinem, conuertitur in solum sanguinem, ergo totum phlegma, cum dixeris, negatur consequentia, nam quatuor humores in nobis sunt sicut quatuor elementa, & ideo ex ordine corporum habent, quod semper sint quatuor, & nunquam stante vita vnus humor ex toto deficit, sicut vnum elementum ex toto non corrumpitur.

Ad tertiumdecimum dicendum humores in finibus venarum transire in rem vnam secundum formam, & cum dicitur vbi fit hoc, dico extra venas in magnis poris, & rimis membrorum, & in exiguis extremitatibus paruarum venarum dantium quatuor humoribus vnam cōmunem formam quæ vocatur prima humiditas.

Ad quartumdecimum dico, quod non solus sanguis, sed alij humores, concedo tamen principaliter sanguinem esse à natura productum.

Soluuntur posteriores rationes.

Ad quintumdecimum dico etiam in superpurgationibus eijci sanguinem, quare nulla est ratio. Si verò volueris esse cum philosophis, vt Auer. & alijs poteris sic respondere rationibus medicorū, & ad primam rationem possumus respondere concedendo humores esse in venis quatuor actu, sed tamen esse in actu primo, non autem in actu secundo, scilicet vt nutritioni deseruiant, nam hic est solus sanguis cum Auer. Dices omnis actus primus est veluti potentia, actus secundus est veluti forma & actus, tunc sic, frustratoria est illa potentia, quæ non reducitur ad actum, ergo illi humores aliquando nutrirent.

Hoc vertè est argumentum difficillimum, sed diceret Auer. valere hāc propositionem in entibus per se, non autem in entibus per accidens, modo tres humores sunt excrementa sanguinis, & sunt gratia ipsius sanguinis, ergo per accidens, & sic non est necessarium vt nutriant.

Ad secundum dicitur sanguinem esse etherogeneum, & ratione suę etherogeneitatis posse varias, ac diuersas partes nutrire.

Ad tertium eadem responsio.

Ad quartum dicendum ventriculum non vere nutriri chylo, sed delectari, ita vt non sit vera nutritio, sed voluptuosa, & refocillatiua vt diximus.

Ad quintum valet de nutritione coniuncta, cuiusmodi non est, nec intelligitur nostrũ theorema, nam nostrum theorema est de nutritione in via, scilicet inter hepar, & membra vicina.

Ad sextum eadem responsio.

Ad septimum patet, nam sanguis, qua etherogeneus poterit partium diuersitatem facere.

Ad octauum ex dictis solutio patet. Si tandem volueris Arist. cum medicis conciliare, poteris dicere Arist. per sanguinem totam massam sanguineam intelligere, itaque non esse oppositos. Quare longiusculum theorema concludamus.

Sint ne humores animati, nec ne.

Theorema XXX.



CErtè præsentis theorematis veritas innotescit ex animæ definitione, quã nobis tradidit Arist. libro 2. de anima text. 6. Vbi animam actum esse corporis organici naturalis potentia vitam habentis decretauit. Ex hac igitur diffinitione patet humores nostri corporis esse animatos. Si igitur anima est tota in toto, & tota in qualibet parte totius, (quomodo verò sit tota secundum substantiam in omnibus partibus quæ ad eius constitutionem pertinent, & in alijs secundum potentiam, & in quibusdam, nec secundum substantiam, nec secundum potentiam, nunc non dispuito) si igitur anima est tota in toto, &c. ergo erit in humoribus anima, ita vt humores dicantur animati. Certè quid repugnat non video, num fortassis, quia non sunt partes corporis, & si sunt, sunt partes in potentia, an fortassis, quia sunt homogenei, seu similares, an quia sanguis (per sanguinem autem omnes humores intelligo) non sentit ex Arist. libro 2. de part. cap. 10. an quia Arist. est huic dogmati contrarius, an tandem quia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ repugnat? Sed mehercule si res philosophica statera perpendatur nulli supradictorum pugnat, immo hæc omnia contrarium asserere, atque velle demonstrabimus. Non certè primum, nam humores sunt partes corporis, & si tantum duæ videantur partes, scilicet essentiales, vt materia, & forma, & integrantes, vt organicæ, tamen sunt aliæ partes sine quibus corpus esse nequit, cuiusmodi sunt humores, sine enim humoribus neutiquam viuere, ac permanere corpus valebit. Huc illud vergit Virgilij lib. 2. Aeneidos, dum per sanguinem omnes humores intelligebat.

Concidit, & multo vitam cum sanguine fudit,

Et libro 10. Aeneidos.

Vna, eademque via sanguis, animusque sequuntur.

Et libro 9. eiusdem.

Purpuream vomit ille animam cum sanguine mistam.

Quam diuinissime Torquatus Tassus suo heroico poemate Hierosolyma liberata cantu 6. carmine 35. imitatus est, sic dicens.

L'alma vermiglia inuolta in sangue vscio.

Immo supra ostendimus, vno deficiente humore, vitam permanere non posse, vt est de elementis in vniuerso, quare hac ratione, quia sunt partes non erunt excludendi ab animatione. Nec etiam secundum repugnat, scilicet esse partes in potentia, nam vt iam iam demonstrabimus, erunt etiam partes in actu, quam veritatem docuit D. Thomas, & Cardinalis Illustrissimus Caietanus, & Medina 3. parte, sum. q. 54. art. 2. in illa quæst. An corpus Christi resurrexerit integrum, vbi dicit, quod licet sit sanguis pars in potentia respectu carnis, & membrorum, est tamen cum hoc etiam pars in actu, respectu totius animalis, ita vt sit materia transiens partium posteriorum, & materia permanens respectu totius, queadmodũ elementa in mundo sunt partes in potentia, & materia trãsiens respectu mistorũ, & sunt partes in actu, & materia permanens respectu vniuersi, & subiungit, quemadmodum triplex est compositio ex Arist. libro 2. de par. animal. vna ex elementis, seu ex virtutibus alia ex similaribus, vt carne, osse, neruo, tertia ex etherogeneis, vt manu, capite, & in prima compositione pertinent adhuc humores, & quemadmodum componentia, tam in secunda, quam in tertia compositione sunt partes in actu in animali, ita componentia in prima compositione erunt affirmanda, quod sint actu partes animalis. Nec tertium repugnat, scilicet sanguinem esse homogeneum, nam vt supra patuit sanguis pro mãssa est etherogeneus, constans ex varijs partibus, & si quandoque Arist. similarem vocet sanguinem lib. 3. de hist. animal. cap. 2. & alibi, secundum sensum esse similarem est certè intelligendum, nam secundũ rei veritatem sanguis est etherogeneus. Nec quartum repugnat, scilicet sanguinem non sentire, nam hoc modo, nec arteriæ, nec venæ essent animatæ, quia hæ non sentiunt, non enim est necessarium omne quod est animatum sentire.

Cere-

Cerebrum etiam ſecundum Gentilem libro 1.fen.1.tract.5. & ſecundum Fallopium libro de obſeruat.anatom.& ſecundum Coſtæum non ſentit, nec mouetur, quamuis de motu eſt difficultas, nam ex Gal.libro de plenit.cap.4. & ex Hip.libro de morb.ſacro colligitur oppoſitum, ſed de hoc alias. Quidquid tamen ſit, quamuis inquit Ariſt. ſanguinem non ſentire, tollit ab ipſo animam ſentientem, non vegetantem, nec ob id colligitur ex hoc ſanguinem non eſſe partem corporis, nam hoc modo arteriæ, venæ, & oſſa, quia non ſentiunt, non eſſent corporis partes, & quamuis dicat loco citato ſcilicet libro 2. de partibus cap.10. ſanguis nulla eſt pars animalium, intelligitur vt ſupra dictum eſt de parte eſſentiali, vel integrante, non tamen Ariſt. excludit partes ſine quibus. Nec etiam quintum repugnat, nam hoc dogma non eſt Ariſt. contrarius, quinimo, ſi Theodori Gazæ verſionem inſectamur, ſic legit, libro 3. de hiſt.animal.cap.19. Palpitat intra venas ſanguis omnium animalium, pulſuque ſimul vndique mouetur, ſoluſque omnium humorum ſparſus per totum corpus animalium eſt.

Et ſemper, quandiu vita ſeruatur ſanguis vnus animatur, & feruet, quare cum Gaza Ariſt. ſentit ſanguinem eſſe animatum. Sed pareat mihi Gaza ex hoc loco certè non poteſt colligi ſanguinem eſſe animatum, nam in codice græco hæc ſunt verba, σφύζει δὲ τὸ αἷμα ἐν ταῖς φλεψὶν ἐν ἅπασι πάντη ἅμα τοῖς ζώοις, καὶ ἔστι δὲ τῶν ὑγρῶν μόνον, καθ' ἅπαν τὸ σῶμα τοῖς ζώοις, καὶ αἰεὶ, ἕως ἂν ζῇ τὸ αἷμα μόνον, quæ ad verbum ſic verti poſſunt, Palpitat autem ſic ſanguis in venis in omnibus, vndique ſimul animalibus, & eſt autem humorum ſolus per totum corpus animalibus, & ſemper quandiu viuat ſanguis ſolus.

Gaza verſio non eſt recipienda. Quare Theodori Gazæ verſio videtur potius paraphraſtica, nam in textu nullum eſt tale, ſcilicet animatur, & feruet. Puto tamen Gazam in ſua verſione περιφρασικῶς per zeumam à parte ſuperiore ſubintellexiſſe σφύζει, quod ſalio, mico, ardeo, pulſo, vt arteriæ ſignificat, quare male Gaza vertit, animatur. Ergo non ex hoc loco colligi licet ſanguinem eſſe animatum, eo modo vt vertit Gaza. Nec tandem Romanæ ſacroſanctæ Eccleſiæ repugnat huius theorematis veritas, nam aperte Concilium Tridentinum ſeſs.13. de Euchariſtia c.3. ſanguinem inter partes corporis numerat, & D. Thomas idem fatetur 3. part. ſummæ q.54. Leuitici quoque cap.17. patet animam eſſe in ſanguine, & ob id ſanguinem ibi comedere vetabat, & Alphonſus Toſtatus in expoſitione iſtius loci maxime in ſanguine vitam ineſſe aduertit.

Nos autem per ſanguinem non ſolum ſanguinem pro quarta ſubſtantia, ſed etiam omnes humores, ideſt aggregatum eſſe animatum defendimus, & ſic ſupradicta omnia ſunt intelligenda. Non tamen me latet in ſanguine pro quarta ſubſtantia eſſe magis euidentes diſpoſitiones vltimatas, quæ requiruntur ad vitam, quam in alijs humoribus, nam in hoc ſanguine eſt calidum naturale, & humidum radicale, quod non eſt in alijs humoribus. Cum hoc tamen ſtat, quia ſanguis, ideſt aggregatum, ſcilicet omnes quatuor humores multas habent animæ operationes, cum ad ſingulas corporis partes commeant fouendas, nutriendas, & animæ ſedes dicitur, totumque conſtituunt animal, ideo animatos eſſe fatendum eſt. Tandem augentur, minuuntur, vt experientia patet, & ex Galen. multis in locis, ergo ſunt animati.

Hanc etiam opinionem ſequuntur grauiſſimi theologi, & medici, vt ſupra viſum, & Montanus in art. curat. ad Glauconem, & Bannes, in libro de gener.& corrupt. & Toletus libro 2. de anima quæſt.4. quamuis Toletus non concedit ſanguinem eſſe viuentem, ſed perperam, nam quod eſt informatum ab anima dicitur viuens, ſed ſanguis eſt informatus ab anima, etiam ipſo concedente, ergo. Sed dices, qua anima ſunt animati humores? Dicendum breuiter eſſe animatos anima vegetante, non autem ſenſitiua, nec rationali, creſcunt enim humores, & deficiunt, viuunt ergo humores. Sed aduerſus dicta ſunt nonnulla contradicentia.

Toletus nõ cõcedit ſanguinem eſſe viuentẽ.

Qua anima ſunt informati humores.

Primò, vbi eſt organizatio ibi eſt anima, ſed humores non ſunt organizati, nam ſunt ſimilares, maior eſt Ariſt.lib.2.de anima tex.6.minor patet.

Variæ obiectiones.

Secundo quæcunque viuunt habent venas, neruos, & arterias, ſed humores non habent hæc omnia, ergo.

Tertio vel ſunt partes ſeminariæ, vel ſanguineæ ex lib.1.de ſem.cap.6.& 15.modo humores, non ſunt partes ſeminariæ, vel ſanguineæ, vt de ſe patet, ergo.

Quarto nullum alimentum eſt animatum, ſed humor vitreus, v. g. eſt alimentum criſtallini humoris, ergo. Breuiter ad hæc.

Solutiones rationum.

Ad primum poſſumus plura dicere, primo Ariſtot. propoſitionem valere de toto indiuiduo, non autem de parte, vel ſecundo per organicum poſſumus intelligere inſtrumentarium, quod vel eſt ſimilare, vel diſſimilare, vel 3.reſpondetur humores non eſſe ſimilares ſecundum rei veritatem, ſed diſſimilares.

Ad ſecundum eſt falſa maior vniuerſaliter prolata, nam etiam oſſa, & plantæ viuunt, & non habent venas, neruos, & arterias, quamuis de quibuſdam oſſibus, vt de caluaria venulas habere conſtat ex anatomicis adminiſtrationibus, & ex ipſo met Hipp. libro de vulneribus capitis. Ad tertium dicatur humores eſſe partes ſeminarias, nam fiunt etiam ex principio generationis.

Ad quartum, & vltimum, valet maior de alimento extrinſeco, non autem de intrinſeco, ſic ſoluitur argumentum.

De

De Sanguine, sit ne calidus, an frigidus, an temperatus.

Theorema. XXXI.



X vniuersalibus ad singularia procedendum esse præcepit naturæ miraculum Aris. lib. 1. phys. tex. 4. Eapropter cum nos multa de humoribus in vniuersum prosecuti fuerimus ad particularia pertransire operæ prætium esse duximus. De sanguine igitur prius à nobis theoria habebitur, verum de sanguine pro tota massa, & primo de eius temperamento, an scilicet sit calidus, an frigidus, cũ non mediocris inter philosophos, & medicos extet controuersia. Sed hanc sic decidemus, si prius res altius repetatur. Veræ philosophiæ princeps Arist. de mistorum temperamentis Metheor. lib. 4. sum. 4. c. 2. tex. 33. verba faciens in eam deuenit auream sententiam, scilicet mista dupliciter posse considerari, altero modo secundum formam, seu speciem, altero verò secũdum materiam, seu ex parte materiæ. Ex hac distinctione multa conspicua fiunt, quæ difficillima, & tenebricosa videntur. Sic igitur Aris. docet modum inueniendi temperamenta mistorum, sint ne calida, an frigida mista. Cum igitur sanguis, de quo nobis in præsentiarum sermo habetur, sit quodammodo mistum, nam vt supra dictum est, etherogeneus est, nunc ex Arist. fundamentis videndum erit, an calidus, an frigidus fuerit. Sed Arist. certè hanc quæstionem è medio tulit, ipsam physica trutina decidens. Nam sanguis ex parte materiæ consideratus frigidus est, & siccus, ex parte verò formę calidus, & humidus. Sed rem melius declaremus. Mista, & animalia ratione materiæ vult Arist. esse terrea, & aquea ex lib. 4. metheo. tex. 30. & tex. 41. quod ex loco generationis prius demonstrat, nam locus generationis omnium animalium, aut est aqua, aut terra, habent enim animalia constantiam, & terminum, terminus autem omnis ex humido, & sicco est inuicem commistis, hoc modo igitur considerata animalia, & mista, vt sanguis, & lac, & partes etiam animalium dicuntur frigida, & sicca. Hinc igitur sanguis sic cõsideratus, scilicet ratione materiæ est frigidus, & siccus, ratione verò formæ consideratus est calidus, & humidus, & sic de cæteris philosophandum, nam sanguinis forma requirit multum calorem, multumque spiritum, & ideo calidus, & humidus est. Sic veniunt plura Arist. loca reconcilianda, quæ pugnare videntur inter se. De sanguine considerato ex parte materię locutus est Arist. lib. 4. metheor. tex. 41. cuius oppositum dixit Arist. lib. 3. de histor. animal. c. 19. & lib. 2. de part. c. 3. & hoc eodem loco de vtraque sanguinis hac consideratione verba fecit. Quam sententiam etsi Arist. conscribit tamen illam commutuatus est ab Hip. lib. de corde, si modo tamen hic liber Hippocraticus est. Quidquid tamen sit hæc sententia suis rationibus fulcitur, atque multis experientijs confirmatur. Videmus enim in excreto sanguine partes multas terrestres, videmus etiam in eius secretione, scilicet si destilletur, partem terrestrem multam prædominari, videmus in sanguine multas fribras, ex quibus omnibus apparet sanguinem ratione materiæ esse frigidum, & siccum. Sed dices, quid sint hæ fibræ in sanguine, & quomodo, & vbi generantur, & quot sint fibrarum genera. Breuiter, & obiter dicatur, duplex esse fibrarum genus, auctore Arist. lib. 2. de hist. animal. c. 6. alterum est, eorum, quę inter venam, & neruum suam habent originem, alterum eorum, quæ in sanguine continentur, verum non in omni sanguine, vt Arist. inquit. Fibræ primo modo dictæ, sunt membra similaria genita ex semine, nam ex Gal. lib. 1. de elem. c. 8. enumerantur fibræ inter partes similares, ex semine fiunt ex libro 1. de sem. c. 10. vbi omnes fibras ex semine fieri docet, quasdam mediatè, quasdam immediatè, sunt temperamento frigido, nam terrestrem substantiam sunt adeptæ lib. 2. de temper. c. 3. & cum Arist. lib. 3. de hist. animal. c. 6. vnde videtur esse colligendum fibram esse medium inter venam, & neruũ, varios habent situs ex Gal. lib. 3. de natural. fac. c. 8. & 11. & lib. 6. de vsu part. cap. 8. ita vt pro vario situ variæ fibræ oriuntur, sed cum triplex sit situs, triplex erit fibrarum differentia. Nam si fibrę situm obtinent secundum longitudinem, rectæ vocantur, si autem secundum latitudinem nominantur transuersæ, vel circulares, si nec secundum longitudinem, nec latitudinem situentur vocantur obliquæ, si verò situs fibrarum est differens vocantur simpliciter fibræ, vt sunt ligamentorum, neruorum, & membranarum fibræ.

Valde notanda est hæc distinctio Arist.

De fibris in sanguine, quid sunt.

Quot fibræ.

Sed illud etiam sciendum de fibris, quoad motum, nam locantur fibræ ex Gal. libro 3. de natural. fac. cap. 11.

Si instrumentum vnicam habeat tantum tunicam, vt ambæ vesicæ, vterus, & venæ in hac omnes sunt locatæ, si autem instrumentum duas habeat tunicas fibræ rectæ, & obliquæ collocantur in tunica interna, transuersæ in externa, vt in ventriculo. Excipiuntur autem intestina, nam quamuis duplicem habeant tunicam, attamen in vtraque sunt transuersæ, nam ventriculus est organum coctionis, intestina distributionis. Sunt factæ à natura, tum vt carnem custodiant, tum propter motum, propter carnis custodiam, nam libro 10. method. med. cap. vltimo Galen. inquit, carnem hærere circa neruosas, & fibrosas partes, cum ergo caro hæreat circa fibras, ergo fibrarum vsus est carnis custodia.

Vsus, & finis fibrarum.

Neque præter rationem, cum fibra sit substantia magis terrestris, quam caro, ideo non caro fibrę sed fibra carnis debet esse fundamentum, vnde caro circa fibras concrescit, firmatur, & custoditur ex Gal. lib. de cibis boni, & mali succi cap. 4. & libro 2. de temper. cap. 3. & libro 1. de sem. cap. 10. dixit fibris veluti crinibus totum corpus circumdari, & hic est finis communis fibrarum, scilicet carnis custodia, nam si finis communis esset, vel motus voluntarius, vel naturalis, fibræ aliquæ vsu essent orbatæ, scilicet fibræ ligamenti, nerui, & membranæ ex libro 3. de natural. fac. cap. vltimo,

nam hæc corpora nec locali motu, nec voluntario, nec naturali mouentur, nam ſunt propter ſe, non enim attrahunt, vel retinent, vel expellunt, propter motum etiam fibræ deſeruiunt tanquam propter finem ſecundarium, non primarium, ita vt male ex his dixerit Auic. nullum motum fieri niſi per villos. Deſeruiunt igitur fibræ ad motum, tum voluntarium, tum naturalem, ad voluntarium ex libro 8. de anatom. adminiſtrat cap. 5. ſi fibras tranſuerſas muſculorum computaueris ſtatim motum deperdunt, ad naturalem ex libro 5. de vſu part. cap. 11. per rectas fibras fit attractio, per tranſuerſas expulſio, retentio verò fit cum rectis, tum tranſuerſis ex libro 14. de vſu part. cap. vltimo, & hæc de primo genere fibrarum.

Fibræ propriè in ſanguine.

Sunt aliæ modo quæ ſunt in ſanguine, & ſanguinem concreſcere faciunt ex Hip. libro de carnibus, & Ariſt. libro 3. de hiſt. animal. cap. 15. & libro 2. de gen. animal. cap. 14. & libro 3. de hiſtor. animal. cap. 6. & hinc eſt ſanguinem Damarum, & Camelarum non concreſcere, quia caret fibris, quas fibras ſi quis eximat à ſanguine ille non concreſcit ex Hip. & Ariſt. modũ vero, quomodo exprimantur, docet Fernelius libro 6. de hum. com. 7. Sed dices, quid ſunt hæ fibræ?

Fibræ quid.

Generationis locus.

Reſpondetur eſſe quaſdam portiones terreſtres, & quædam filamenta alba, ſubtilia, ope quorum ſanguis concreſcit, quare ſunt de natura terreſtri ex Hip. Ariſt. & Gal. Generantur autem hæ fibræ in ſanguine, non in ventriculo vt volebat Fernelius, nam vbi generatur totũ ibi, & pars, ſed ſanguis totus in hepate generatur, vt ſupra, ergo, & fibræ. Hepar etiam eſſe multum fibroſum docuit Hip. libro de caruibus, inchoantur tamen ſicuti chylus in ventriculo, ſed perfectionem adipiſcuntur in hepate. Sed hæc obiter de fibris. Patet ergo ex ſupradictis ſanguinem ſecundam partem materialem eſſe frigidum, & ſiccum. Cum hoc tamen ſtat ſanguinem eſſe calidum, & humidum ſecundum eius formam conſideratum. At dices ex Ariſt. lib. 2. de part. animal. cap. 2. & 3. videtur poſſe colligi ſanguinem eſſe per accidens calidum, & humidum, per ſe frigidum, & ſiccum, nam comparat Ariſt. ſanguinem aquæ calenti, & tunc ſic arguo, quod eſt per accidens tale, non ſemper tale, ſed ſanguis per accidens calidus, & humidus, ergo. Niſi eſſet, vt inquit Auer. lib. 2. de anima, exemplorum nec eſſe exquirendam veritatem, nam Ariſt. eo modo, quo ſupra de forma, & materia eſt intelligendnm, & ly per accidens non excludit id quod eſt per ſe, nam ſanguis in corpore adhuc eſt calidas, & ob id rectè idem Auer. dixit lib. 2. de part. c. 2. in fine, quod ſanguis intus eſt natura calidus, & humidus, & eſt per accidens frigidus, & Ariſt. exemplum, aquæ calentis, in hoc eſt attendendum, quia ſanguis ſi foras exierit à corpore amittit illum calorem, & non eſt amplius verus ſanguis, nam res in tantum dicitur talis, quantum forma participat, hinc eſt quod in cadaueribus ob caloris defectum congelatur ſanguis.

Obiectio pulchra.

Solutio.

Verum quoniam theorema noſtrum eſt de ſanguine in corpore exiſtente, ideo illum calidum, & humidum eſſe per ſe quoquo modo dici poteſt, vt rectè Buccaferreus lib. 4. metheor. text. 41. aduertit. Si enim rectè philoſophari velimus, qui eſt qui neget à forma, vt perfectiori eſſe ſumendam nomenelaturam, ac denominationem. Vnde potius ſanguis ſecundum meam ſententiam eſt calidus, & humidus, quam frigidus, & ſiccus, cum à nobiliori vnumquodque denominari iuſtum eſt. Hanc ſi ſectamur diſtinctionem nulla pugnant inter ſe. Quinimmo Hip. Ariſt. Gale. & Auer. contrarium non dixerunt. Conſiderarunt enim ſanguinem in ſua natura, hoc eſt ſecundum ſuam formam, quid enim eſt natura, niſi materia, & forma ex lib. 2. phyſ. verum magis forma natura eſt, quam ipſa materia. Vnde adhanc veritatem reſpexit oculatiſſimus Gal. libro 1. de temper. cap. vltimo, quando ſanguinem calidiſſimum appellauit, & Hip. libro de morbis ſanguinem calidum ſua natura vocauit & libro deformat. fætus c. 3. idem, & hinc ſanguis elemento aeris correſpondet, vt infra demonſtratum. Hinc eſt ſi conſideramus hepar ſecundum formale illud temperamentum dubio procul non poterit niſi calidum, & humidum producere ſanguinem. Hinc eſt ipſum eſſe dulcem, quæ dulcedo calorem arguit ex libro de ſenſu, & ſenſ. c. 4. & lib. 4. de ſimpl. med. fac. c. 10.

Valleſius refringitur.

Hinc factum eſſe putamus ad ſanguinis euacuationem multum corpus refrigerari, ſanguis enim ſpiritus multos continet. Nec Valleſius lib. 1. controuer. c. 15. rectè ſenſit, arguens contra hanc ſententiam de lebete ignito aquæ feruentis pleno, qui ex quantum vis aquæ eductione non refrigerari ait, velut corpus ex ſanguinis euacuatione, tum quia Ariſt. exemplum de aqua calente cum ſanguine comparata, non eſt niſi de ſanguine foras exeunte, hunc enim dixit eſſe veluti aquam cadentem, quod nos ſupra conceſſimus, dum tamen eſt in corpore diximus ſanguinem per ſe calidum, & humidum ratione ſuæ formæ conſideratum, ratione verò materiæ eſſe veluti aquam calentem refrigeratam ſcilicet frigidum, & ſiccum, nam lebes aqua feruenti plenus non ignitur, ſed calefit, vt in dies ſenſata experientia manifeſtum eſt, nam tepidum eſt aeni fundum, iuxta illud Virgilij libro 1. Georgicorum.

Et folijs vndam tepidi deſpumat aeui.

Quo fit vt lebes non igniatur, neque calefiat, ergo nil contra Ariſtot. dicit. Valleſius, & miror certè magnum hunc philoſophum, & medicum ita pueriliter eſſe lapſum in exemplo Ariſtotel.

Cur aeni fundum tepidum obſeruatur, vide Ariſt. 24. particula proble. probl. 8.

Sed dices, vt obiter hoc curioſum tangatur problema, vnde eſt, quod fundum aeni tepidum eſt, quamuis Seruius fortaſſis ob problematis difficultatem legit apud Vergilium, tepidi aeni, nam bulliens aqua tremere videtur, quidquid tamen ſit non eſt mala expoſitio, ſed tamen ſi legatur, tepidi aeni, oportebit inuenire rationem, quare ſit tepidum fundum. Certè difficile eſt hoc problema, cuius veritas continua experientia comprobatur.

Reſponſio. Inſtantia. Solutio.

Nos enim in aeno ſexcenties, nec non in vaſe vitreo obſeruauimus, & Hieronymus Fracaſtoreus libro de ſympath. & antipath. c. vltimo, idem etiam contingere dicit in oleo, & pomo, oleum ſi carta comprehendatur, & igni admoueatur, carta non comburitur, & oleum calefit, & pomum calefit, ſi linteo obuoluatur, & linteum non comburitur. Dicendum tamen, quod aquæ humiditas eſt, quæ repugnat, quo miuus fundum vaſis calefiat. Dices, humiditas eſt qualitas paſſiua, & non contrariatur caliditati, ſed ſiccitati, ergo nulla eſt reſponſio.

Dicerem,

Dicerem, vt fusius diximus alibi humiditatem adhuc esse actiuam qualitatem aliquantulum, vt patet apud Gal.lib.3.meth.med.cap.3.quamuis alibi Arist.& Gal.oppositum dixisse videantur, sed de hoc alias, sat nunc est humiditatem esse actiuam qualitatem, nam humidum causat humidum, vnde aqua feruens ratione humiditatis extinguit ignem, humiditas ergo aquæ est in causa, vt fundum aeni sit tepidum, eoque magis, quia semper vapores sursum attolluntur, cum ignis actio melior, & conspicua magis sit in loco supero, quam infero. Et licet omne agens, prius agat in proximũ, quam in remotum, tamen nisi impediatur, hoc est intelligendum, modo obstat aquæ humiditas. Sed de hoc obiter. Non me tamen latet, Fracastoreum ad antiperistasim causam huius effectus retulisse, quem responsionem etiam assignasse videtur M. Antonius Zimara in problematibus probl. 39. Sed horum responsio mihi non probatur, nam in primis est dubium, an aqua in fundo sit minus calida, quam in superno loco, secundo aqua in fundo non poterit esse adeo parum calida, vt tepidum reddat fundum, quinimmo ipse sexcenties expertus sum, bullientis aquæ magnam quantitatem eductam ab aeno, eam, quæ remansit esse calidissimam, tertiò, ratio, quare aenum non calefiat quæ nam est, cum multum possit, & moretur ignis actio in materia densa, quam rara, cuiusmodi est aqua. *Fracastoreus, & Zimara conuelluntur.*

Ad rem igitur, Vallesius ergo turpiter lapsus est, nec erat ab ipso Celsus increpandus, quippe qui Celsus vt Arist.assecla, dixit sanguinem sua natura non esse calidum, considerando sanguinem secundum materiam, non autem secundum formam, nam hoc modo calidum, & humidum esse non negauit. Receptui igitur canentes dicamus sanguinem secundum materiam esse frigidum, & siccum, secundum formam esse calidum, & humidum. Sed obijcies aduersus hanc sententiam, nam ex libro 2. de parr.animal.cap.2.& 3.colligitur sanguinem esse per passionem, seu affectionem calidum, ergo verè per accidens calidus, ergo nõ per se, vt aqua calida, & ferrum ignitum inquit Arist. Dicendum vt supra, largo modo dicere Arist. calidum esse sanguinem per passionem, nam ly per passionem, non omnino accidentaliter est intelligendum, sed etiam per se, & ideo ipse addidit (sanguinem quodammodo calidum) nam videbat hanc difficultatẽ, sicuti enim ipse loqui solet in prædicamento substantiæ proprium esse non in subiecto esse, separauit differentias à ratione substantię subiungens, non est autem proprium substantiæ hoc, sed & differentia eorum est, quæ in subiecto non sunt, vt bipes, gressibile, & in eodem capite superius dixit, quod definiendo hominem conuenientius, & melius assignaueris, ex quibus verbis patet differentias esse quid accidentale. Nisi esset, vt rectè Scotus aduertit in prædicabilibus, & prædicamentis, quod differentia quoad rem est substantia, sed non quoad modum, nam se habet ad modum qualitatis; Modo ad propositum, licet per accidens dicatur calidus sanguis ab Arist. non excluditur per se, deinde addit ly (quasi) ita vt non sit vera similitudo, nam aqua est omnino per accidens calida cum sua forma non possit stare cum calore, modo in sanguine hoc non repugnat, nam forma sanguinis indiget multo calore, & ideo subiungit Arist. est quodammodo calidus, & quodammodo non est calidus, quæ verba, quomodo sint intelligenda, iam supra patuit. *Ad Vallesium redit.* *Obiectio.* *Solutio.*

Sed illud tandem de sanguinis temperamento sciendum (loquor autem de sanguine pro quarta substantia) si comparatiue accipiatur, ac intelligatur sanguis potest dici temperatus, scilicet ratione extremorum, scilicet bilis, quæ calida, & sicca est, & ratione pituitæ, quæ frigida, & humida est, & ob id Galen.libro 4.de san.tuen.cap.4.vocauit sanguinem medium in humoribus calidis, & frigidis, respectu vero cutis dicitur calidus, & humidus, cutis enim est metrum, & mensura omnium temperamentorum. *Sanguinis tẽperamentum pro quarta substantia.*

An differat sanguis à phlegmate, et de sanguinis speciebus, nec non de multis problematibus.

Theorema. XXXII.



Esoluta sententia sit sanguinem differre à phlegmate specifica differentia, & patuit hoc superius, vbi quatuor esse humores experientia, ratione, & pluribus auctoritatibus est demonstratum. Secundo quorum sunt diuersi effectus, sunt diuersæ causæ in specie ex Arist.lib.2.de gen.& corrupt.tex.56.& lib.4.metheor.text.42. Sed modo sanguis est dulcis, pituita insipida, sanguis rubeus, pituita alba, calidus sanguis, pituita frigida. Tertio proprium sanguinis est nutrire carnosas partes, quod nõ est de phlegmate. At obijcies, magis, & minus non variant speciem, sed phlegma, & sanguis ita sunt inter se constituta, vt phlegma sit sanguis diminute coctus, sanguis autem magis coctus. Secundo idem videtur esse finis sanguinis, & phlegmatis scilicet nutritio, ergo coincidunt, nam finis, forma, & efficiens sæpe coincidunt ex 2. lib.phys.text.70. intelligendus autem est Arist. de fine non in re, sed in mente, nam aliter contrarius sibi esset libro 2. de gener. & corrupt. tex.55. vbi efficiens, & finem non coincidete dixit, verum de fine in re loquitur hic, ibi scilicet 2. physic. de fine in intellectu, vt rectè de balneo declarat Auer. libro 12. metaphys. tex.36. Sed hæc obiter. *Dubitationes variæ.*

Tertio principaliter eadem est materia sanguinis, & phlegmatis, ergo sunt idem, nam si tu vis esse diuersæ formæ diuersas sibi terminant materias.

Quarto idem est efficiens vniuocum, & non æquiuocum naturaliter operans scilicet hepar, ergo non differunt. Ad primum dicendum, sanguinem, & phlegma non solum per magis, & minus coctum differre, sed substantia, colore, sapore, nam alia est substantia sanguinis, & phlegmatis, alius color, & sic de cæt. *Solutiones.*

Ad ſecundum dicendum, non eſſe eundem finem ſanguinis, & phlegmatis, nam finis phlegmatis eſt reſtaurare deperditum cum ſanguine in phlegmaticis membris, finis autem ſanguinis eſt magis vniuerſalis ſcilicet reſtaurare id quod eſt deperditum in omnibus corporis partibus, finis etiam phlegmatis eſt, vt tempore neceſſitatis commutetur in ſanguinem, vt infra patebit.

Ad tertium patet quid ſit dicendum, nam chylus eſt materia etherogenea, & pars ipſius magis aerea eſt materia ſanguinis, pars verò aquoſior eſt phlegmatis materia.

Ad quartum, quamuis poſſet concedi idem eſſe efficiens, ſed tamen diuerſificatur ratione paſſi, ſcilicet materiæ, vt ſupra diximus.

Sanguinis ſpecies.

Sed de ſanguinis ſpeciebus non nulla dicamus, Galen. medicorum lucerna libro 1. de atra bile, cap.2. & Auic. libro 1. fen.1.doc.14. cap. de humor. diuidunt ſanguinem in naturalem, & in non naturalem, naturalis debet habere tres conditiones, debet eſſe rubeus, dulcis, & non malè odorans, venalis tamen eſt rubeus obſcurus, arterialis rubeus clarus, dum tamen corpus bene valet, copia eſt maior ſanguinis, minor bilis, hac maior pituita, omnium minima melancholia, nam eſt vitæ inimica, & lætitiæ contraria. Verum aduerſus has tres aſſignatas ſanguinis conditiones dubitare contingit; Primo contra primam, nam calor agens in humidum denigrat, ſed ſanguis eſt humidus, ergo, Secundo contra ſecundam, nam corpora miſta quo magis coquuntur euadunt amara, vt patet de melle ex libro 2.de nat.fac.cap.8.& libro 4.de ſimpl.med.fac.cap.2. & ex natura rei, ſeu ſenſata experientia, ſed ſanguis in corde eſt magis coctus, ergo.

Obiectiones tres.

Tertio contra tertiam conditionem, nam corpora calida, & humida fætent, vt hirci ex libro 8. meth.med.c. penultimo.

Solutiones.

Sed ad hæc, Ad primum reſpondetur calidum ſimplex agens in humidum denigrare, ſed modo non eſt ad propoſitum, nam ad rubedinem ſanguinis præter calorem concurrit hepatis ſubſtantia παρέγχυμα dicta, quæ rubificat, non enim à venis rubeus fit ſanguis. Sic enim nos, inquit Gal. ſexcentis in locis, in omni organo varia partium genera obſeruamus, ſed vnica quidem eſt ſemper ſimilaris, cui perpetuò tanquam principi debeatur actio, modo ad rem ſanguis ab hepate rubedinē adipiſcitur, hæc enim ſola pars peculiaris eſt, & talem in toto corpore ſimilem aliam non reperies. Sic etiam chylus albus eſt à ventriculo ſcilicet à colore ipſius ventriculi, ſeminis quoque, & lactis cādor à glandoſarum partium colore candido trahit originem.

Sanguis rubeus a quo fit.

Ad ſecundum dicimus, multum intercedere diſcriminis inter calorem externum, & calorem naturalem noſtri corporis, ille, ſi res plurimum in eo coquantur, quia non eſt ab anima rectus, & moderatus, eſt in cauſa vt res amariores euadant ſi res plurimum, diuque in eo percoquantur, hic, quia regulatur ab anima, ſuauiores, atq; gratiores producit effectus. Vel poſſumus dicere hanc ſcilicet propoſitionem, omnia dulcia per cocta euadere amara, non eſſe vniuerſaliter veram, nam cocta à calido, & ſicco ignis fortaſſis amariora euadunt, vt de melle, & zuccaro patet, non autem vera cenſetur de calido humido, & temperato, quare non ſequitur ſanguinem arteriarum, pulmonis, & cordis debere eſſe amarum, nam non eſt verè igneus calor in his.

An omnia dulcia per cocta ſint amara.

Ad tertium dicendum fætorem illum corporum ſanguineorum non eſſe à ſanguine, ſed ab excrementis calidis, & humidis putredini paratis. Tot igitur ſunt ſpecies ſanguinis naturalis, Sanguis autem præter naturam, & innaturalis duplex eſt, vel mutatur à ſuo temperamento naturali, aut cum aliqua ſubſtantia permiſcetur; Primum eſt, quando ſanguis ſua natura fit vel calidior, & ſic de alijs; Secundum eſt, quando illa ſubſtantia, quæ ei permiſcetur aut eſt ab extra, aut in ipſo generatur, & tunc quando putrefit, pars eius tenuis in bilim conuertitur, & craſſa in melancholiam ex libro 2. de diff.feb.cap.9. Quandoque peccat in quantitate, & in qualitate, & in motu ex libro 9. meth. med. cap.11. Sed antequam finem huic theorematí imponamus erunt quædam profliganda problemata circa ſanguinis naturam.

Sāguis præter naturā quotuplex.

Problemata quatuor circa ſanguinis naturam.

Petitur igitur propterea primo, cur occiſorum corpora præſertim humida cruentēt, ac ſanguinem fundant, cum mors ſit ſanguinis, & caloris extinctio?

Secundo cur, cū ſanguis ſit inter humores nobilior, ac naturæ magis proportionatus ab ipſo ſimplicitas, & ſtoliditas corporis ſequatur ex libro 1.de natur.humana text.39.

Tertio cur ſi ſanguis eſt rubeus ab hepatis ſubſtantia, hæc quoque flaua, & nigra faciat, vt bilim, & melancholiam?

Quarto cur homini tantummodo ex omni animantium genere ſanguis e naribus effluit?

Diſſolutio problematum.

Ad primum, non eſt problematis neganda exiſtentia, vt quidam dicunt, nam Antiquiſſimi Theologi, Philoſophi grauiſſimi, & Poetæ inſignes illam confitentur, nec non & Iuriſperiti, & primus omnium Homerus lib. 17. Iliados illam admiſit. Henricus Gandauenſis in quolib. Aegidius Romanus q.25.5.quolibeti, Io. Mairon libro 4.ſentent. diſt. 15.q.14. Ficinus libro 16.de immortalitate animæ, Petrus Pomponatius libro de mortalitate animæ ad aures Ariſt. Leuinius Lemnius lib. 2. de occultis naturæ miraculis, c.7. Auctor libri peregrinorū, q.dec.tert.q.6. Martius in libro de doctrina promiſcua, Gaudentius Merula libro 4.cap.18.de rebus memorabilibus. Ex medicis Thadeus Florentinus ſuper Iſagoge Ioannitij, Thomas de Garbo libro 2.ſummæ medicæ ſcientiæ. Aloyſius Mundella dialogo 1. Ex iureperitis, vt Nicolaus Boerius q.166. Hyppolitus conſ.24. & 90. Paris de Puteo in materia ſyndicatus.

Pro huius problematis reſolutione ſupradicti, & alij, quos taceo varia dixere, & alij ob rei difficultatem ad miracula confugiunt, vt Scipio Mercurius libro 2.cap.40.de arte obſtreticandi. Nos autem ſuper hoc argumentum duo dicamus, Vel hoc accidit ex motu impreſſo ab interfectore ad interfectum virtute ſuæ fortis imaginatiuæ, & furiæ, nam imprimuntur ſpiritus inimicitiæ ſuccenſi in interfectum tempore interfectionis, qui ad præſentiam interfectoris moueantur ex interfecto, vnde cauſatur motus in corpore interfecti, & ſic vulnera ſanguinem fundunt, ſic videtur ſentire Conciliator 7.part.probl.6.

Vel cum Lucretio Epicureo dicendum ſic inquiens libro 4.

Incitat

Incitat, irritans loca turgida semine libido multo,
Idque petit corpus mens, vnde saucia amore.
Namque homines plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, icimur ictu,
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.

Sunt enim post mortem in sanguine quædam sensibilis animæ, cupiditatis scilicet, & vindictæ vires, donec putrescat cadauer. Nonne in Antiquorum monumentis lectitamus agni, & lupi discordiam ne morte quidem finiri, cuius rei experimentum verum est, quod si tympanum vnum ex lupino, aliud ex ouillo corio confeceris, vnaque pulsentur, ouilli tympanum sonum vix sit auditurus, quin disrumpantur.

Plura quidem possem hic afferre, verum legatur Erasmus in dialogo de sympathia, & antipathia, Langius lib. epist. epist. 33. & 40. Fracastoreus, & Ambrosius Paræus lib. de humani corporis præstantia, & hæc de primo problemate dicta sint.

Ad secundum dicendum à sanguine communiter sumpto sequi stoliditatem, ac simplicitatē, sed à sanguine florido, spiritali, & bilioso prudentiam sequi testatur diuinus senes Hip. libro de flatibus, vbi sic inquit, Opinor autem inter omnia, quæ in corpore sunt, maxime ad prudentiam facere sanguinem, quam rem exactè postea declarauit Arist. libro 2. de part. animal. cap. 2. vbi sic inquit, Est autem certè roboris efficacior sanguis, qui crassior, & calidior est, vim autem sentiendi; intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior est. Sed dices, vnde est, quod sanguis crassus facit stoliditatem, & simplicitatem? *Obiectio.*

Respondetur esse ratione humiditatis, hæc enim ineptos facit homines, vnde Plato dicebat, animam, postquam e Cælo lapsa est in corpus ratione humiditatis fieri stolidam. Hinc est in adagio, suam Bæcticam, quasi Bæctici aerem humidum, ac crassum incolentes, esse hebetes, crassi ingenij, & obtusos, Hinc Horatius Flaccus libro 1. epist. *Solutio. Adagium de sua Baotica.*

Boætum in crasso iurares aere natum.

Quamuis Pindarus Olymp. εἰδ. ς. contrarium suadeat, hoc scilicet prouerbium non conuenire Bæticis. Verum Pindarus est excusatione dignus, nam cum fuerit Tebanus, Tebæ autem fuerint in Bæotia, ideo patriam suam laudat, re vera tamen ex M. Tullio libro de fato patet, Bæoticos fuisse crassi ingenij ob cæli humiditatem, Athenienses verò acutiores ob tenue Cælum, consulendus Gal. libro 6. epid. com. 8. text. 6. *Pindarus increpatur.*

Ad tertium respondeo, caloris proprium esse homogenea cogere, etherogenea separare, homogenea ergo sola, quia assimilari possunt contactu hepatis rubent, etherogenea vero solius caloris, & materiæ, non transmutationis partis dispositionem sequuntur. Quod enim in chylo est dissimile, & tenuius à calore flauescit, quod crassum à calore adustum nigrescit.

Ad vltimum dicendum cum Arist. 10. part. probl. 2. illud euenire propter magnitudinem cerebri secundum proportionem ad cætera animalia, quam habet homo, vnde cum habeat plus cerebri, & humidissimum sit, fit vt in eo sint venæ magnæ, repletæ humiditatibus sanguinis superfluis, quibus repletis, mittantur oportet foras illæ humiditates per poros, & ora venarum. Addendum etiā cum Conciliatore super illo problemate, quod homo habet magnum hepar secundum sui corporis rationem, & cutis etiam hominis est subtilis, quod non est in cæteris animalibus, & ideo soli homini effluit sanguis e naribus.

De Phlegmate vbi generatur, et de eius speciebus.

Theorema XXXIII.



De phlegmate verba facturis à nomine nobis sumatur exordium. Phlegma ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est à comburere, & inflammare denominationem sumere videtur iuxta Trallianum libro 12. cap. 2. Sed crediderim ego per antiphrasim potius, quam ob aliud, quasi phlegma sit minimè vsta pituita, sed albida, & frigida. Apud Platonem in Timæo libro 32. videtur esse alia denominata phlegmatis, quod scilicet dicatur ἀπὸ τοῦ φλαίνειν, idest intumescere, dicit enim Plato portionem tenerioris, & recentis carnis vna cum aere colliquescere, deinde vento inflatur incluso humiditate protinus circumfusa, fiuntque ex hoc ampullæ, quæ iunctæ cum carne visuntur, & hanc pituitam albam vocamus, loquitur tamen Plato de leucophlegmatia, quæ est hydropis species, in qua phlegma aquosum abundat. Prima tamen significatio phlegmatis per antiphrasim conuenientior est, alio pacto dicitur phlegma latine pituita, quasi petens vitam cum Marsilio Ficino libro 2. de vita proroganda. Quidquid tamen sit de nominibus, ad rem accedamus. Phlegma igitur est humor frigidus, & humidus, & secundum Hip. libro de natura hum. est omnium humorum frigidissimus, est humor lentus, crassus, albus, insipidus ex eodem Hip. libro de natur. hum. in fine, ex Platone in Timæo, & Gal. libro 2. de temp. cap. 3. *Pituita quasi petēs vitam. Phlegma quid.*

Sed antequam vlterius procedamus, difficultas insurgit de loco generationis phlegmatis, an scilicet in hepate, an in ventriculo, an in cerebro generetur. Pro cuius difficultatis dissolutione breuiter sciendum est, duplex esse genus pituitæ, alterum est pitnita alimentalis, quæ fuit portio chyli frigida, & humida generata in hepate, & necessitatis tempore in sanguinem vertenda, alterum est pituita excrementitia, quæ non vera pituita est. *Vbi generatur phlegma.*

Hanc distinctionem colligimus ex Hip.libro 1.de morbis, & Gal.libro 2.de diff. febr.cap.6. Hac stante distinctione dicimus, pituitam alimentalem, veluti, & cæteros humores generari in hepatis parenghymate, pituitam verò excrementitiam generari in multis partibus. Hoc esse verum ex superioribus theorematibus patet, nec non ex Gal.libro 2.art.med.45. vbi loquitur de hepate frigido quod generat multam pituitam, & sanguinem frigidum, & idem etiam dicit libro 2.de natural.fac. cap.9. vbi de musto exemplificauit.

Hac facta distinctione, multa loca, quæ apud Hip. & Gal. pugnantia videntur, sedari poterunt. De pituita excrementitia locutus est Hip.libro 4. de morbis in principio, quam in cerebro generari dixit, quod etiam confirmauit libro de carnibus. Cum pituita excrementitia coincidunt quædam genera phlegmatum, quæ in diuersis corporis partibus generantur, quamuis sint quasi naturalia, cum conferant ad multos vsus, maxime illud phlegma quod reperitur in pulmone, in intestinis, & iuncturis. De pituita quoque excrementitia fateri oportet, Gal.fuisse locutum libro de natur.hum. tex.39. & libro 2. de ratio.vic.30. & libro de atra bile cap.8. dicant tamen alij quidquid sibi velint, hæc, inquit Gal.in prima ciborum transmutatione scilicet in ventriculo necessarium ortum habet, & hanc inquit esse ineptam ad formandos mores, nam si de alimentitia Gal. locutus fuisset sic argumenta Argenterij, & Costæi in ipsum procedunt, dum dicunt à pituita fieri homines grossos, tardos, & fatuos, quare necesse est fateri, vt saluetur Gal. quod loquatur de pituita excrementitia, quę est inutilis ad formandos mores, & quæ fit in ventriculo, illa vero pituita, quæ facit homines tardos, & grossos, & Argenterius, & Costæus inquiunt, fit in hepate. Nec certè videtur esse vlla physica ratio, quare pituita in ventriculo generetur, vnde enim hoc habuit priuilegium, vt ob id male Vega voluerit semper hanc generari in ventriculo.

Vega notatur.

Quinimo supra demonstratum est sufficienter, in ventriculo generari materiam omnium humorum, qui postea in hepate fiunt, & concoquuntur, ventriculum enim vbi suo officio functus est expellit chylum, vel miseraicæ illum attrahunt ad hepar, vt ibi humores generentur. Non tamen me latet, vt supra diximus excrementitiam pituitam generari in ventriculo, maximè in hyeme, alimentitiam verò, & naturalem in hepate. Sed dices, quot sunt phlegmatis species? Breuiter respondetur esse duas, alteram esse naturalem, & alteram præter naturam. Naturalis est illa alimentitia, quæ frigida est, & humida, insipida, crassa, & lenta, & apta est, vt aliquando fiat sanguis, nam est sanguis non benè concoctus, quæ omnia ex Gal. colligimus libro de atra bile cap.2. & libro 1. de natur.hum, 31.

Species phlegmatis & primo naturalis.

Nota.

Verum animaduertēdum est diligenter, quòd non omnis sanguis diminute coctus dicitur phlegma, sed solum ille, qui non adeptus est ruborem veri sanguinis, nec eius calorem, nec ipsius aptitudinem proximam, vt nutriat mēbra carniformia, vnde pars illa Chyli, quæ in hepate digestionem aliquam passa est, dum sanguis generabatur, & aquosa mansit, alba, & insipida, & remissi caloris est ille sanguis diminutè coctus, qui dicitur phlegma, quod à sanguine specie differt, vt patuit supra & hoc est illud phlegma naturale, quod non habuit locum proprium à natura veluti melancholia, & bilis, illa in liene, hæc in cista fellis. Nam cum tempore necessitatis erat in sanguinem conuersurum, ideo natura nullum proprium locum destinauit, sed cum sanguine illud infecit libro 2. de nat. fac.cap.vltimo.

Sed dubitabis, an simul hæc pituita naturalis, & sanguis generantur? Breuis esto responsio, quandoque simul in hepate, quandoque pituitam ante generari, quippe minus coctum prius magis cocto gignitur, & præsertim ille sanguis, qui à phlegmate necessitatis tempore in venis gignitur.

Dubitatio. Solutio.

Dubitabis secundo an hoc phlegma naturale vertatur in sanguinem pro quarto humore, an pro tota massa sanguinis. Videtur primo non esse primo modo, nam corpus indiget nutrimento quatuor humorum, vt supra patuit, omnes enim quatuor humores nutriunt. Non secundo modo, nam idem verteretur in se ipsum, quod est absurdum. Amplius pars phlegmatis, quæ conuertitur in phlegma, aut est per viam remanentiæ, quia scilicet remanet transmutata secundum illam partem, ergo per transmutationem hanc non fiunt nisi tres humores, aut transmutatur secundum substantiam, & tunc non fiet phlegma, nam corrupto indiuiduo substantiæ videtur absurdum quod ex eo generetur indiuiduum eiusdem speciei.

Dubitatio pulchra.

Tertio daretur processus in infinitum. Quid dicendum, certè vtraque opinio videtur esse probabilis, prima verisimilior apparet, scilicet phlegma verti in sanguinem, tamen pro quarto humore. Et ad rationes dicendum, quod sanguis illefactus à phlegmate non nutrit solus, sed cum alijs commistus scilicet toti massæ sanguineæ, nam quantumvis homo famelicus sit, & quantum vis necessitatem habeat, non priuatur sanguinea massa. Dubitatur tertio an sanguis factus ex phlegmate in venis, & etiam in toto corpore ex libro 6.de plac. Hip. & Plat. cap.6. & factus ex Chylo sint eiusdem speciei. Et videtur quod non, nam diuersitas materiarum arguit diuersitatem specierum, Auer. libro 8.phys.text.64.

Determinatio.

Dubitatio.

Dicendum tamen probabiliter teneri posse esse eiusdem speciei hos duos sanguines, nam eiusdem est coloris, saporis, odoris, & modi substantiæ, & idem finis, scilicet mutatio principalis, quod non conuenit cæteris humoribus. Ad rationem dicendum, quod ex diuersitate formarum potius, quam ex diuersitate materierum arguimus diuersa entia, ex libro 1.de anima tex.53. & libro 2. de anima tex.6. Ad Auer. auctoritatem dico, ibi loqui de materia secunda, & de ente perfecto, vt est homo, & animalia.

Solutio.

Dubitatur quarto an phlegma naturale sit multum frigidum, an paruæ frigiditatis, & videtur esse primo multum frigidum, nam frigidius quod est in corpore est phlegma ex Auic.cap. de temperam. & Gal. libro 1. de temperam.cap. vltimo, secundo phlegma quandoque extinguit calorem, & annumeratur inter causas mortis, ergo est frigidum mortificans. Tertio comparatur aquæ, igitur. Respondeo phlegma ratione corporis, præsertim ratione principum membrorum, scilicet cordis, & hepatis esse manifestè frigidum, & valdè, nam corpus secundum has principes partes est manifestè calidum, immo hepatis solius temperies, vel cordis sufficerent, vt ait Gal. libro 2. art.med.ratione

Dubitatio.

Decisio.

tione vero cutis comparatum phlegma est paucæ frigiditati, vt Auic. inquit, nam ex phlegmate, quod vadit cum sanguine nulla vnquam percipitur manifesta frigiditas.

Ad rationes dico, & primo ad auctoritatem fortassis ibi loqui de phlegmate vitreo, quod est frigidissimum, ex quo libro 2. de loc. aff. cap. 5. Gal. passus est colicam, credens esse nephritim, vel comparatione ad illa membra esse frigidius phlegma.

Ad secundũ dico phlegma naturale non extinguere calorem intensa frigiditate, sed suffocando calorem.

Ad tertiũ respondetur, quod non comparatur phlegma aquæ secundum omnimodam similitudinem, sed respectu qualitatis in genere.

Dubitatur quinto, an phlegma naturale sit insipidum, & quomodo sit insipidum, nam ex Auicen. videtur esse dulce. *Dubitatio.*

Respondetur esse insipidum, nam est aquosum, & diminute digestum, & si quandoque dicitur dulce, id est impropriè, veluti aquam dicimus dulcem, idest familiarem. Hæc igitur de phlegmate naturali dicta sufficiant. Plegmatis autem præter naturam multæ sunt species, aliud est phlegma dulce ex libro de atra bile cap. 2. & lib. 2. de nat. fac. cap. 2. aliud est acidum, vitreum, salsum, gypseum, succus crudus, saliua, muccus. *Phlegmatis præter naturã species.*

Primum est dulce, nam si dulce est, semper aliquem calorem habet, quare præter naturam est, vt plurimum enim omnia dulcia sunt calida ex Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 7. & hinc est omnia dulcia facile in bilim vertuntur ex libro 10. meth. med. cap. de cura feb. hecticæ. Non tamen vera est vniuersaliter illa propositio, scilicet omnia dulcia sunt calida, nam pepones ex libro 2. de alim. fac. sunt dulces, & sunt frigidi, Illud tamen sciendum est dulcedinem multos habere gradus, nam rerum aliæ intensa fruuntur dulcedine, vt mel, vua matura, zuccarum, & ideo hæc magis calida, aliæ remissa gaudent dulcedine, vt panis, pepones, alia media fruuntur, vt lac, & quo res dulciores sunt, eò calidiores, & e contra. In medijs medio modo res habet. Sed dices, quomodo fit pituita dulcis. *Phlegma dulce. Dulcia sũt calida, sed non omnia. Quomodo fit phlegma dulce.*

Respondetur esse quando permiscetur sanguis, & hoc vel in venis, vel extra venas, extra venas, vt in catarrhis, & saliuis habemus aliquando linguam dulcem. Hæc igitur pituita dulcis, quia dulcis calida est aliquantulum, sed parum. Pituita acida est frigida, & sicca, & hæc gignitur in ventriculo, & laborare solent vtero gerentes, & est præter naturam. Hæc autem pituita fit à magno frigore, quemadmodum vitrea fit ab intensissimo, & fit in ventriculo à deprauata coctione, nam cum ventriculus generat chylum aliquando frustratur à sua perfecta coctione, & ideo acida est, quia fit à diminuto calore, vt vua acerba. Auic. addit fieri acidam in ventriculo, quia feruet, & putrescit, & ideo acquirit aciditatem, & exemplum affert de vino acetoso. Hinc apud Hip. & Gal. lib. 5. Aph. 64. libro 1. de loc. affec. cap. 4. libro 3. de sympt. cap. 1. ructus acidus frigiditatem significat, nidorosus vero caliditatem, quidquid dixerit perperam Trallianus libro 7. medicinæ cap. 14. Sed statim dices, quomodo distinguitur hæc acida pituita ab atra bile, quæ adhuc est acida? Dicas ex calore, nam atrę bilis color est niger, pituitæ vero acidæ color est sub albus. Vitrea pituita fit in ventriculo, & intestinis, & vitro fuso assimilatur ex libro 4. de rat. vic. in morbis ac. 13. & libro de atra bile, cap. 2. & libro 2. de diff. feb. cap. 6. est omnium frigidissima, & quando in venis reperitur facit epialam ex Gal. libro de inæq. intemp. cap. 8. & facit crudelissimos dolores colicos, & iliacos, de quo Gal. deceptus est ex libro 2. de loc. aff. cap. 5. Salsa pituita fit, vel à putredine, vel à permistione salsæ, serosæque humiditatis, siue vt ait Auic. ob permistionem amaræ bilis, omnibus enim modis vapor calidus, & exustus cum materia aquea permiscetur, quæ vera salsi saporis causa est, teste Philosopho. Ob putredinem salsa fit, quoniam calor putredinalis agens in pituitam nondum salsam producit vapores exustos, qui cum portione aquea permiscentur. Ob permistionem salsæ, serosæque humiditatis fit etiam salsa, quando scilicet serosa humiditas salsa pituitæ non salsæ permiscetur genita autem est illa salsa humiditas à calore, qui in serosam humiditatem agens produxit vapores exustos, qui deinde misti cum aquosa portione humiditatis serositatem illam salsam reddiderunt. Has duas causas cognouit Gal. sed Auic. posuit permistionem bilis cum phlegmate, ac opinatus est serosam humiditatem non posse efficere phlegma salsum, sed in hoc deceptus est, nam serosa humiditas tantum non facit salsedinem, sed serosa humiditas salsa, vt diximus, facit phlegma salsum. Sed videtur esse deceptus Auic. in codice, nam in codice græco, vt notat Manardus libro 18. epist. 5. nos videmus, & legimus apud Gal. libro 2. de diff. feb. cap. 6. esse ly, serosam humiditatem salsam Auic. non cognouit ly salsam. *Obiectio. Solutio. Vitrea. Salsa. Salsedinis pituitæ quot causæ.*

Sed dices, Gal. petit principium, nam non probat quomodo serosa humiditas sit salsa. Dicendum esse salsam, veluti vrinam, & sudorem. Potuit igitur Auic. aliam causam, scilicet permistionem bilis, quæ est causa salsi phlegmatis. Verum circa hoc est difficultas, nam tunc non esset salsa, sed amara pituita. Potest responderi pro Auic. quod quando bilis facit phlegma salsum, est bilis flaua adusta, quæ murat saporem amarum, quare bene dixit Auic. *Obiectiones ex Gal. & Auic. et solutiones.*

Hæc salsa pituita est improba satis, ab hac fieri destillationem ferinam conscripsit Hip. in epide. libro 1. com. 1. tex. 18. ex qua tabes, ex hac fit febris ardens ex Hip. & Galen. libro 4. de ratio. vic. in morbis ac. tex. 1. Illud tamen hic erit animaduersione dignum, pituitam multum salsam esse ex magno calore, sed pituitam leuiter salsam, & parum esse potius à causa frigida, quam à causa calida, vt diuinissime notat Manardus Ferrariensis loco supra citato, quod multum pro curatione morborum deseruit. Pituita gypsea vocatur ad similitudinem gypsi, qua laborant arthritici, fit autem ex resolutione partis tenuis, & aquosæ, remanentibus crassis, & terrestribus, quę indurantur, & tophaceæ, & lapidosæ quandoque remanent. Succus crudus est pituita crassior ex libro 10. de composit. med. secun. loc. cap. 2. & libro 2. de nat. fac. c. 7. & libro 1. c. 2. ab hoc succo crudo fit etiam arthritis, hic succus gignitur in ventriculo, & hic secundum aliquos est sedimentum in vrinis. Sunt etiam aliæ species pituitæ præter naturam, quæ ad pituitam reduci possunt, vt saliua, muccus, vrina, & sudor. *Gypsea.*

Quare

Duæ dubitationes. Quare his octo videntur esse species phlegmatis, verum Auicen. ad quatuor reduxit. Sed duo supersunt dubia, an scilicet phlegma illud, quod tempore necessitatis conuertitur in sanguinem, possit hoc vbique in corpore pati, ah tantum in venis, an oporteat, vt hoc phlegma reducatur ad hepar, & inde fiat sangnis.

Secundum dubium est, quo tempore magis gignitur pituita, nam videtur ex Hip. libro de natu. hum. 32. in hyeme generari, contra libro 1. Aphor. 15. ventres hyeme calidissimos, eapropter potius sanguis, quam pituita gigni debet.

Solutiones. Ad primum hic multa dicit Gentilis super Auic. inquit enim necesse esse, vt redeat phlegma ad hepar, vt possit ex illo gigni sanguis, sed tamen satis dura videtur hæc sententia, vt fiat semper iste regressus, cum poterimus melius dicere fieri sanguinis generationem ex phlegmate in omnibus corporis partibus, cum natura secundum facultates ab hepate demandatas possit vbique vrgente necessitate sanguinis procreationi incumbere, quam doctrinam licet colligere ex Gal. libro 6. de plac. Hip. & Plat. cap. 6.

Gale. notatur. Ad secundum Gal. multa dicit in com. 36. eiusdem libri, videndus ibi est, nam vix satisfacit dubitationi, prima enim responsio contraria est Hip. asserenti hyeme fortiorem esse calorem, Galen. autem dicit ob frigiditatem, ambientis, quæ penetrat penitiores partes fieri pituitam, sed Hip. inquit oppositum.

Secunda responsio nullius est momenti, nam multo plures res frigidas commedimus in æstate, quam in hyeme. Eapropter dicerem breuiter, nullam esse discordiam, & contradictionem in Hip. nam in libro de natur. hum. locutus est de pituita excrementitia, quæ magis in hyeme, quam in æstate gignitur, contra alimentitiam magis in æstate. Sed finem huic theoremati iam imponamus, nam multum diuagati sumus.

De bili, et quotuplex ea sit, de eaque natura, vbi multa dubia discutiuntur.

Theorema XXXIV.



Cum multiplex sit bilis acceptio, distinguendum de ea prius est, primo nanque apud Hip. & Galen. libro 7. Aph. 42. per bilem omnis humor intelligitur, quod etiam libro 2. de nat. hum. text. 22. confirmauit, dicens, omnem febrem fieri à bile, per bilem autem omnem humorem intellexit, secundo sumitur bilis pro humore melancholico ex libro de theriaca ad Pisonem. Tertio sumitur bilis propriè sumpta pro tertio humore in hepate genito, veluti, & alij humores, & de hac bili tertio modo sumpta nunc tractandum est, quę pro nunc duplex est, primo, qui nam sit naturalis ipsius calor? Dicendum bilis naturalis colorem non semper esse vniformem, sed variari secundum maiorem, vel minorem libro 1. de cris. cap. 12. & libro 3. de ratio. vic. text. 2. quandoque enim apparet bilis colore ruffo tincta, quandoque rubro claro, & quandoque ruffo subtili colorata apparet. Auic. autem determinauit proprium colorem, scilicet quod bilis naturalis colore sit rubea clara, quia fortassis, vt plurimum sic apparet. Vt cunque tamen sit versicolor est ipsa bilis, vt iam dictum est. Dubitatur secundo, an bilis sit leuis, cum correspondeat igni, & Auic. dixerit esse leuem.

Duplex est bilis. Quis nam est bilis color.

An sit leuis. Respōdetur breuiter per leue duo nos debere intelligere, vel enim nos intelligimus in mistis de leui, quod plus habeat de elementis leuibus, vel de aliquo leuium, quàm de grauibus, vel alio modo respectiuè pro eo scilicet, quod minus ponderat. Quo stante dico bilem esse leuem secundo modo, non autem primo modo, nam bilis est leuior cæteris humoribus, licet bilis, quæ exit à cista fellis perat imam partem aquæ, non enim arguit esse omnino grauem, sed leuem ratione humorum.

An semper in corpore generetur bilis. Dubitationes. Dubitatur tertiò, an semper in corpore animalis generetur bilis. Respondetur in omni corpore generari bilem, nam nos nutrimur ex quatuor humoribus, vt supra patuit, sed dices, pone aliquem esse frigidi hepatis, tunc non generabit bilem. Secundo multa sunt animalia quæ carent vesica fellis ex Arist. libro 1. de hist. animal. cap. penult. & libro 2. cap. 15. & libro 4. de partibus animal. cap. 2. quæ animalia non habent fel.

Solutiones. Sed ad primum respondetur frigidum hepar adhuc generare bilem, sed in pauca quantitate, vt rectè dixerit Fernelius, quandoque scilicet bilim fieri ab imbecillo calore.

Ad secundum dicimus bilem quandoque multam gigni in animalibus, & quandoque paruam, quando multa gignitur tunc præter illam, quæ vadit cum sanguine ad singulas corporis partes, reponit natura aliqualem portionem, & ideo facta est cista fellis, si uerò in pauca quantitate gignitur non est necesse, vt remaneat aliqua portio illius, & hinc est illa animalia carere felle, vt equus, mulus, asinus, coruus, &c. non enim generatur in his bilis in multa quantitate, sed tantum quantum pro corporis partibus sufficit, quare non fuit necesse, vt natura fellis loculum fabricauerit.

An ad cistā fellis maior copia sanguinis commeet, an cū sanguine maior sit. Dubitatio alia. Dubitatur quarto, an maior copia sit bilis, quæ vadit ad cistam fellis, quàm illa, quæ vadit cum sanguine. Respondetur rationabiliter teneri posse esse maiorem quantitatem bilis, quæ vadit ad cistam, quàm illam, quæ cum sanguine vadit, nam si multa esset, tunc inficeret sanguinem, & amarum redderet ipsum, nam parum de ea sufficit ad nutritionem partium clericarum, & ad penetrationem sanguinis, & vt contra operetur frigiditati, & humiditati phlegmatis, & melancholiæ.

Dubitatur quinto quid sit de ista bili, quæ cum sanguine vadit iuuans ad penetrationē, postquam compleuit penetrationem.

Respon-

Respondetur, quod si superflua est, aut sensibiliter, aut insensibiliter expellitur, si sensibiliter fit sudor, qui salsus est, de quo Arist. 4. part. probl. 12. nam est aquositas, cui immiscetur amarum, deseruit tamen prius pro nutritione, sed si superflua est resoluitur insensibiliter.

Sed aduersus hæc superius dicta multa sunt, eaque difficillima ex peripateticis, nam quantumvis fellis paruum si immisceas multo lacti, vel melli, reddit hæc amara, ergo cum sanguine non est bilis. *Dubitationes aliaque graviores.*

Secundo ex libro 4. de vsu part. cap. 17. bilis est valde abstersiua, & pungitiua, quinimo ob id inquit Auer. libro 2. colliget. cap. 18. & 2. colliget. c. 4. esse superfluitatem, & separari à sanguine in hepate, tanquam ineptam, & nutritioni non deseruientem, membrisque abominabilem.

Tertio in sanguine sanorum eucratorum nil choleræ apparet, etsi aliqualis spuma supernatans appareт, illa potius ex aere incluso ducit originem, sicuti nos videmus sensata experientia liquores effusos spumare.

Quarto si in vna libra sanguinis statim à vena extracti miscueris dracmam vnam fellis, totum illum statim reddet amarum, & tamen sanguis sanorum sentitur multum dulcis.

Quinto si decollaueris animal, & statim gustaueris sanguinem pulmonis, ipsumque pulmonem, ambos dulces inuenies, quamuis dicatur à medicis pulmonem nutriri sanguine valde calido, & colerico. Ob hæc argumenta Iacobus de Partibus in eam abijt sententiam, vt dicat bilem esse in potentia in corpore, reliquos verò humores actu. Sed certè deceptus est, nam supra fuit probatum omnes humores actu esse in sanguine. *Sententia Iacobi de Partibus. Confutatio*

Verum ad supra inductas instantias dicerem bilim, quæ cum sanguine vadit non esse amaram in sanis, & eucratis corporibus nisi pusillum, vt propterea natura separauerit bilim in cista, in corporibus verò lapsis est alia ratio, nam fortassis erit amara, vt ex sanguine detracto ab illis apparet, & vt etiam, quia male corpus nutritur, vnde etiam male coloratur. Hæc nunc in mentem venere, fortassis alias meliora succurrent. *Solutiones rationum.*

Dubitatur sexto principaliter, quæ nam bilium sit crassior, vel subtilior, illane quæ vadit cũ sanguine, an illa, quæ vadit ad cistem fellis. Respondetur cum Gal. libro 2. de nat. fac. esse crassiorem illam, quæ cum sanguine vadit, nam est magis benigna, & magis naturæ sanguinis propinqua, & ideo crassior, quæ autem vadit ad cistam magis tenuis, calidior, ac purior, & ob id amarissima. *Alia difficultas. Solutio.*

Dubitatur septimo an bilis sit calidior sanguine. Certè satis est difficilis hæc dubitatio, vt ob id Vallesius libro 1. controuers. dixerit esse problematicam quæstionem. Nos autem breuiter dicamus, eo modo quo respondere solemus ad quæstionem illam quæ fit de calore puerorum, & iuuenum, vtri horum sint calidiores, dicimus enim pueros calore naturali esse calidiores, iuuenes verò calore adscititio, ita nunc sanguis calidior est bili calore naturali, bilis verò calidior calore adscititio, In hunc sensum intelliguntur pugnantia loca Gal & Hip. Nam libro 1. de temp. vltimo Gal. inquit sanguinem esse calidissimum, & Hip. libro de morb. inquit sanguinem esse calidiorem bili, loquitur de naturali calore, de calore verò adscititio locutus est libro 2. de temp. cap. 3. quando dixit bilim esse sanguine calidiorem, nec non libro 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 9. & libro de inæquali. intemp. cap. 4. & libro de simpl. med. fac. cap. de felle. Quamuis ad Gal. authoritatem supra citatam scilicet libro 1. de temp. possumus tripliciter respondere, primo quia intelligit per sanguinem spiritum, & tunc sanguinem pro quarta substantia. Secundo per calidissimum intelligit temperatissimum, vt lib. 1. de nat. hum. tex. 36. Tertio, & melius diximus Gal. loqui loco citato comparatiue, nam comparat ipsum pituitæ, quæ adeo frigida est, vt sanguis illius comparatione calidissimus dicatur. *Alia dubitatio. Decisio. Quomodo sanguis est calidissim⁹.*

Dubitatur octauo an bilis naturalis sit subtilior sanguine, an è contra, & primo videtur, quod nõ, nam bilis fit per vlteriorem coctionem, ergo crassior, nam coctio incrassando procedit libro 4. metheor. text. 18. & libro 4. de rat. vic. text. 4. & libro 3. prognost. 33. Secundò bilis flaua est amara, sed amarum fundatur in substantia crassa ex libro 4. de simpl. med. fac. sed sanguis est dulcis ergo. *Alia difficultas.*

Respondetur cum Gal. libro 2. de natur. fac. cap. 2. bilem in substantia esse subtiliorem sanguine, & ratio est, nam bilis fit ex subtiliori materia, illud enim, quod in chylo subtile est bilis fit, deinde ipsa est leuis, ignea, ergo, ad argumentum dico cum Conciliatore diff. 50. quod non omnis coctio incrassando procedit, nam non vniuersalis est Arist. propositio libro 4. metheor. vt perperam Vallesius libro 7. controuer. c. 12. voluit, nam inquit Arist. in tex. 18. necesse autem est, quæ concoquuntur crassiora, & calidiora esse, ergo non est vniuersaliter Arist. dogma prolatum. Verè quidem vtraque opinio habet firmissimas rationes, sed nunc obiter hæc sint dicta pro argumenti dissolutione. Ad secundum dico, quod propositio, quæ dicit amarum esse crassius, est falsa vniuersaliter accepta, quia fumus est amarus, & tamen est subtilior carnibus, quæ sunt dulces. *Solutio.*

Dubitatur nono an bilis sit spuma, vt Auic. voluit, & certè videtur quod non, nam nulla spuma est humor, quia non est corpus fluidum, immò costans, & aereum, at bilis omnis est humor. Secundo spuma fit ex aere incluso in humido viscoso, sed bilis fit ex materia sicca. Tertio in felle, quod est in cista nulla est spuma, vt patet ex occisis nuper animalibus, & tamen est bilis, ergo. Respondetur duas esse causas spumæ ex Gal. libro 2. aphor. 43. calorem, & motum, calor ebollitionem faciens in aliquo humido, vt generatur spuma in liquoribus iuxta ignem, sic videmus, & calorem, & motum in apris, & equis facere spumam, motus vt in mari facit spumam. *Alia dubitatio. Solutio.*

Ad rationes respondetur bilim non esse vere spumam, sed veluti spumam, nam vera spuma est congregatio multarum ampullarum constitutarum ex partibus aeris, quæ verè non est in bili, sed est veluti quodam spumosum, vt Gal. dixit libro 5. de vsu part. cap. 1. & libro 4. cap. 3. nam in sanguine inquit est veluti spuma, vt in musto, & sic quid sit ad rationes dicendum patet. Sed receptui canamus dicentes bilim naturalem esse humorem calidum, & siccum in hepate genitum ex parte chyli subtiliori, an autem sit amara illa naturalis, quæ in venis est dubia res est. Hæc autem bilis, vt dictum est, varijs coloribus est tincta, nunc pallida, nunc sub pallida, nunc rufa, nunc sub ruffa, nunc flaua, nunc sub flaua, nunc rubea, nunc sub rubea, leuis est eo modo, quo supra diximus de-

seruiens

seruiens ad penetrationem partium biliosarum, & ad phlegmatis, & melancholię frigiditatis contemperationem.

Aduersus Valleriolā. Nota diligenter. Sed hic vnum obiter aduersus Valleriolam libro 3. enar. 3. dicamus, inquit enim hic nunquam esse visam, & ob id non esse admittendam bilim rubeam, sed pace tanti viri ipse Gal. oscitanter lectitauit libro de atra bile cap. 2. vbi admittit hãc bilim rubeam, quinimmo ponit vnum maximè aduertendum in curationibus morborum, scilicet signum distinctiuum talis bilis, & excretionis sanguinis, nam hic concrescit, illa vero nequaquam. Hæc etiam bilis dicitur sanguinis vehiculum, veluti aqua nutrimenti. Deseruit etiam hæc bilis naturalis pro expulsione fæcum, & hinc est, quod ictérici, quando non descendit bilis ad intestina ob aliquod impedimentum, fæces habent albas. Hinc etiam est ictericos in fine laborare colicis doloribus, vt iam hæc conscribentem venerit ad me quædam mea vicina Portia nominatur, quæ cum per duos menses icteritia flaua laborasset, nullumque medicamenti genus sumere voluisset, incidit in colicos dolores, nam fæces in intestinis indurescebant, quia bilis illas non stimulat.

Sed hic antequam ad species bilis præter naturam transeamus erunt duo nodi dissoluendi, an scilicet in corpore sano opus sit bili in intestinis pro expulsione fæcum, & an cista fellis nutriatur felle.

Sit ne bilis necessaria in intestinis pro expellendis fæcibus.

Theorema XXXV.



Em breuibus absoluemus dicentes in corpore sano opus esse hac bili expellente, abstergente, irritante intestina, vt euacuentur fæces tinctæ colore citrino, qui est à bili. Sciendum est autem hanc bilim ad intestinum duodenum contendere, nam si ad ventriculum perrexisset, coctionem perturbaret ex Gal. libro 5. de vsu part. cap. 4. & si monstruosè in aliquo homine vadat porus ille ad fundum ventriculi, & non ad intestinum cogitur ille quaque die coleram euomere, vt lib. 2. art. med. & lib. 2. de temperat. cap. vltimo, & lib. 2. de rat. vic. cap. vlt. Bilis igitur necessaria est ad fæcum expulsionem.

Secundo tunc si necessaria non fuisset frustra natura fabricauisset ab hepate bilis vehiculum ad intestina, vt in dies sensata experientia in anatomicis administrationibus obseruamus, at Deus, & natura nihil frustra moliuntur libro 1. cæli, & mundi 42. & 2. cæli tex. 50. & 59. & libro 3. de anima tex. 45. & lib. 1. de part. animal. cap. 1.

Tertio nisi bilis ad intestina mearet virtus expulsiua intestinorum non ita cito insurgeret ad expellendas fæces, nam cum intestina sint multum longa, & magnæ capacitatis magna fieret in eis coaceruatio excrementorum, antequam expultrix quantitate multa irritaretur, vnde fuit opus bili pungente, & mordicante sensum intestinorum, vnde expultrix irritata statim fæces expellat, alioquin enim nisi bilis accederet, ibi per multum tempus decenerentur fæces, & fumi ad caput ascenderent, multumque illud grauarent, quare maximam noxam corpori afferret.

Quarto experientia videmus in ictericis, vt supra diximus esse in fine colicos dolores, qui fiunt, quia bilis ad intestina non venit, intestina autem quia sunt membra debilia, & pauci sensus non multum expellere possunt, nisi sit coadiuuans, scilicet pungens bilis. Videmus etiam ob eandem rationem fæces albas.

Obiectiones. Sed contra obijcies, nam in corpore perfectè sano sunt operationum actus commesurati ex Gal. libro de opt. corp. const. 3. & ita proportionati, vt expulsiua expellat quando, & vbi opus fuerit, ergo in intestinis non opus est, coadiutore, & incitatore.

Secundo si bilis ad intestina concitanda accederet, tunc impediret distributionem Chyli ab intestinis ad miseraicas, nam interturbaret hunc vsum.

Tertio cista fellis tempore debito expellit bilim, & vesica vrinam, nec indigent aliquo veluti calcare, ergo nec intestina indigent alio, præter pondus, & grauamen propriæ fęcis.

Quarto venæ etiam abundant phlegmate, & veluti non indigent bili pro abstergente, ita nec intestina, quæ phlegmate etiam abundant.

Solutiones. Sed ad hæc, ad primum concedimus in corpore perfectè sano omnes actus esse commensuratos, cum verò dicis, ergo non indigent excitatore. Respondeo non indigere intestina excitatore extrinseco, scilicet pharmaco aliquo, sed intrinseco à naturæ ordinato ob causas prædictas.

Ad secundum dico, si semper, & continuè bilis flueret, illud sequi, scilicet interturbationem distributionis, sed quia interpollatim fluit, sicut vrina à vesica, quare non impeditur suctio, nam non fluit bilis ab hepate ad cistam, & à cista ad intestina, nisi celebrata secunda coctione, quando facta, & completa est attractio chyli.

Ad quartum dico, esse disparem rationem, nam vesica fellis est membrum paruum membranorum, & ideo potest optimè excitari, vel mordicatione bilis, vel ipsius vesicæ extensione, nam habet neruum paruum vix visibilem sibi communicatum ex libro 4. de vsu. part. De vesica dicendum, vel vrinæ salsugine, vel quantitate vrinæ irritari.

Ad quartum dicendum venarum contentum esse benignum non superfluum, ideo abstersione non indiget.

Nutria-

Nutriatur vesica fellis bili, nec ne.

Theorema XXXVI.



GAl. authoritate, & rationibus, quæ nostra sit opinio comprobetur, quæ est, vesicam bili non nutriri, sed sanguine per venas delato ex libro 5. de vsu part. cap. 7. & 6. de vsu part. libro 3. ambas inquit vesicas, vasis sanguificis, scilicet venis indiguisse, quorum ministerio alterentur, & cap. 12. 5. libri de vsu part. quærens cur in ventriculo, & intestinis duę sint tunicæ, vesicis autem ambabus vnica, respondet, quia in vesicis nulla erat facienda coctio eorum, quæ continent illæ, nulla ergo nutritio.

Sed præter authoritatem adsunt rationes, eæque validissimæ, primo, si ipsa nutriretur bile, tunc ipsa esset membrum calidissimum contra experientiam, nam in corpore cor, & spiritus sunt calidissimi.

Secundo receptum est apud omnes Philosophos, & Medicos dulce nutrire, & oppositum, sed bilis in cista fellis est amarissima, quomodo ergo nutrire valet, bilis enim in hepate genitæ pars vna transit cum sanguine ad venas, & alia transmittitur ad vesicam fellis. Verum hæ differunt, nam quę cum sanguine commeat magis est benigna, illa verò, quæ est in cista calidior, & magis ignea, & subtilis est.

Tertiò omnis nutritio assimilatione fit, sed bilis, qua excrementum assimilari neutiquam poterit non solum quantitate, sed qualitate noxia humano corpori.

Quartò Deus, & natura nihil frustra moliuntur ex libro 1. cæli, & mundi text. 32. & libro 2. text. 50. & 59. libro 3. de anima text. 45. libro 1. de part. animal. cap. 1. Ad quid ergo natura confabricauit exiles, & tenues quasdam venas in vesica fellea, & adeo sunt exiles, quantum corpus paruum, & exiguum vesicæ poscebat. Quare vesica hæc ne vtiquam nutriri valebit bili vera nutritione, si verò impropria quadam nutritione illam nutrire dixeris, quam Arabes refocillationem vocant non repugno.

Sed aduersus hanc veritatem insurrexit Iobertus in paradoxis concedens, atque mordicus defendens, vesicam ali bili, veluti lienem melancholia, & renes sanguine seroso, & pluribus quidem medijs conatur suum persuadere commentum, seu potius figmentum. *Iouertus aduersus dicta se opponit.*

Primo nam vesica trahit bilim, ergo propter aliquem finem, igitur, vt nutriatur illa, hoc vesicæ suadet color, nam flaua est per bilis assimilationem.

Secundo bili ali pulmones scriptum est à Gal. ergo quid prohibet quin vesica fellea, alioquin pulmo ignobiliori, non nutriatur bili. Cæterum dissoluantur rationes. Certè vt author est paradoxorum conscriptor, ita falsa est hæc opinio, vt supradictis patuit. Ad id, quod afferunt de liene, & renibus dicendum est esse disparem rationem, nam lien fæculentum sanguinem, renes serosum excrementum trahunt, sed non purum, nec impermistum, magna enim, & ampla sunt eorum vasa, scilicet splenicus ramus, & venæ emulgentes, sed ex Gal. & ex rei natura, illa vasa, quæ per amplum orificium succum trahunt, non possunt eum purum, & syncerum allicere, ergo trahunt excrementum multo benigno, & alimentario succo refertum, & hoc vtili, & alimentario nutriuntur, sed noxium, & id, quod inutile est secernunt. Vesicula verò bilim in se trahit synceram, impermistam, tum quia viæ angustia crassiorem illabi non sinat, tum quod eiusmodi attractio maximè humoris benignitate excitetur.

Ad primum ergo argumentum dicendum, vesicam non trahere bilim ea, scilicet ratione ne detur vacuum, vt quidam pseudo philosophantes dixerunt, nam ibi non deficerent spiritus, & aer, quibus impleretur, nec à calido attrahit, nam si à calido attraheret, tunc prius attraheret id, quod est subtilissimum in bili, deinde ipsam bilim, nam ex Auicenna, in libro de human. in attractionibus, quæ fiunt hoc modo prius attrahitur quod est subtile, deinde quod est crassum, dein vesica fellis, quę est neruosa non est calida, ergo non à calido fit hæc attractio. Sed quid dicendum? *Solutiones rationum.*

Vel hanc tractionem dicimus esse referendam ad naturæ necessitatem, & prouidentiam vniuersalem, quippe ne sanguis inficiatur à bilis labe eum à vesica attrahere facit; Vel cum Galen. dicendum, hanc attractionem fieri familiaritate quadam, & similitudine nobis incognita, non alia ratione, qua magnes ferrum, succinum paleas & c. huiusmodi, ita vt bilis præsentia delectetur vesica. Nec omnium, vel quæ sunt in hoc mundi theatro, vel quæ ab antiquis scripta sunt, vt inquit Iureconsultus potest reddi ratio, immo quandoque dicebat Arist. omnium velle quærere rationem, vel insani, & insipientis est intellectus, vel nescientis distinguere verum à falso, fateamur igitur oportet esse quædam problemata in natura rerum, quę à nobis ignorantur, de quibus multa conscripsit Aphrodisæus in præfatione problem. Velimus igitur nolimus non nulla nobis sunt ignota, & ratio est, quia noster intellectus est finitus.

Sed ad rem, nec læditur vesica à bilis acrimonia, & immanitate, & feritate, nam assueta est fortassis, veluti enim qui venenis sunt assueti noxam non sentiunt, ita à pari sunt in natura admirabiles rerum sympathiæ, & antipathiæ. *Decisio.*

Ad id, quod addunt, vesica fellis flaua est, ergo bili nutritur, falsa est consequentia, nam etiam colon intestinum flauescit contactu vesiculæ exudante succo per tunicas, at quis vnquam dixerit colon bili nutriri?

Ad secundum dicimus aliud esse bilim, & aliud biliosum humorem, quo stante dicimus, pulmones

mones nutriri bilioso sanguine, idest tenuissimo, sed bili excrementitia nulla nutritur corporis pars.

Dubitatio. Sed antequam finem huic theorematì faciamus profliganda est quædam difficultas, an scilicet hæc

Solutio. bilis trahatur à vesica, an ab hepate pellatur. Vtrumque voluit Gal. vtrumque ratio suadet, licet Fallopius pellicantem ab hepate voluerit.

Quod ab hepate pellatur eius natura satis declarat, excrementum enim est tota natura, & qualitate hepati noxium, excerni ergo debet celerius, quàm melancholia, & serosa humiditas. Quomodo verò trahatur à vesicula bilis docet Gal. lib. 4. & 5. de vsu part. Sed hunc nanciscatur finem præsens theorema.

De bili præter naturam, & eius speciebus, & an bilis porracea gignatur in ventriculo.

Theorema XXXVII.



Vpponatur in primis plures esse species bilis non naturalis, alia scilicet est vitellina ex libro 1. de cris. cap. 12. & libro de atra bile cap. 2. de cuius generatione nunc non disputo contra Auic. alia est porracea, seu brassica ex Gal. libro 10. de simplic. med. fac. cap. de felle, quæ brassica generatur per maiorem adustionem ex vitellina, & est magis calida, & sicca, quàm vitellina ex libro 2. prognost. 39.

Tertia bilis est æruginosa ex libro 1. de cris. cap. 11. & dicitur ab ærugine, quæ propriè est in ære, & argento cum viridescunt, differt tamen bilis æruginosa à porracea in hoc, quia porracea refert speciem viridis clari, æruginosa refert speciem viridis saturati.

Quarta est bilis rubiginosa, à rubigine dicta, quæ vitium est metallorum, & præcipuè ferri, quando aridum, & rubrum euadit, & bilis rubiginosa magis est assata ex lib. 2. prognost. 47.

Quinta est cæsia, glastia, cærulea, & indica ex Fernelio, quæ non solum in venis, sed etiam in ventriculo generatur.

Vltima est bilis Ginaria ex Auic. sic dicta. Sed multis dimissis difficultatibus, quæ fieri possunt circa singulas species bilis, hæc tantum sola in medium proponitur, an scilicet bilis, illa quæ ad similitudinem caloris folij porri porracea, quæ græcè πρασοειδὴ dicitur in ventriculo gignatur, an alio in loco. Certè clara Gal. doctrina est vtrobique generari, scilicet in ventriculo, & in venis. Magna tamen ex parte crediderim cum Gal. in ventriculo generari ex libro 2. de temperam. cap. vltimo, & libri de atra bile, & Auer. lib. 1. cant. 63. generatur autem in ventriculo ex prauis cibis corruptis, & indigestis, vt de genere olerum, vt alia, cæpæ, poma, brassica, beta. Quandoque tamẽ non est negandum bilim hanc porraceam generari in venis, vt innuit Gal. libro 2. prognost. 39. Interdum enim talibus cibis nequaquam ingestis ratione ægrotationis in venis gignitur vt Gal. innuit, quare clara est Gal. sententia vtrobique gigni hanc bilim porraceã, verum maiori ex parte in ventriculo, & præter Gal. authoritatem adest sensata experientia, nam multoties nos obseruamus copiosissimos vomitus huiusmodi bilis in maxima quantitate, quam quidem à venis regurgitare velis, nolis oportet fateri, nam tanta copia bilis quomodo in ventriculo potest detineri, cum in minori spatio medietatis horæ tres, vel quatuor libras eijci vidissem, deinde transacta alia medietate, iterum tres, vel quatuor libras vidi eiectas.

De loco bilis porraceæ.

Quid igitur repugnat, quo minus hæc bilis in venis gigni possit. At obijcies ex Auer. lib. 3. colliget. c. 3. idem est membrum generans humorem biliosum naturalem, & non naturalem, sed vẽtriculus non generat bilim naturalem, sed hepar, ergo nec præter naturam.

Obiectiones ex Auerroe.

Secundo bilis porracea est valde calida, quomodo ergo potest in ventriculo generari alioquin membro temperato.

Solutiones. Tertio bilis prassina fit ex vitellina, sed vitellina fit in hepate, ergo. Sed breuiter dissoluantur hæc obiecta.

Ad primum respondetur posse bilim porraceam generari in ventriculo, quæ bilis æquiuocè dicitur humor, nam potius venenum, quàm humor vocari debet, & ideo talis humor biliosus porraceus, quia sui naturalis forma corrupta est, potest generari in omni loco, quod ipse Auic. non negauit, vt supra patuit.

Ad secundum dicendum, ventriculum non generare illam bilim ex sui caloris vi, sed generari in eo ex dispositione materiæ cum aliquo calore extrinseco, vnde potest ventriculus intemperari.

Ad tertiam nihil prohibet vitellinam bilim ad ventriculum effundi, ex qua porracea gignitur. Dices, videtur sequi ex dictis, has duas biles, scilicet illam, quæ generatur in ventriculo, & illam quæ in venis, differre specie.

Dicendum verè specie differre, & ob id dictum est æquiuocè dici bilim porraceam, nam cũ non erat aliud nomen, sic Antiqui illam nuncuparunt, plures enim ex Gal. libro de diff. sympt. cap. 4. sunt res, quam nomina. An verò detur bilis Ginaria, nunc non disputo, nam potest certè Auicen. defendi à calumnia Vallesij libro 1. controuers. nam bilis Ginaria non est simpliciter alba secundum Auic.

Bilis Ginaria.

Sed vergit ad albedinem, habet tamen suam viriditatem, nam Ginar, seu Gimar æruginem significat. Nec est necesse, vt humores præter naturam sint humidi, quare Auic. non fuit oblitus suæ diffinitionis, igitur non erit excludenda à consortio humorum.

De

De Humore melancholico naturali, et eius speciebus cum multis dubijs.

Theorema XXXVIII.



T à nomine prius sumatur exordium, melancholia, seu melancholicus humor græcè dicitur ἀπὸ τȣ͂ μέλανος, ideſt nigro, & χολῆς, ideſt bilis, seu fel, vnde μέλαν atramentum nuncuparunt alij teste Galen. libro secundo de aliment. fac.& alij nigrum oculorum. Huius melancholici humoris multæ recenſentur ſpecies, ſeu differentiæ à medicis, à Galen. libro 4. Aphoriſ.21.quatuor enumerantur, primus eſt ſanguis niger, ſecundus deiectio nigra,tertius ſanguis melancholicus, quartus atra bilis, quàm vis alij in hoc Aphoriſmo tres aduertant differentias.

Prima igitur differentia eſt ſanguis niger, qui ſolet à liene erumpere, & ab hepate, & per aluum, vel per os eijcitur, & differt ab humore melancholico,nam hic ſanguis niger concreſcit, vt experientia conſtat, humor verò melancholicus, ſeu atra bilis non concreſcit libro de atra bile cap.2.

Secunda differentia ſunt nigræ deiectiones, quæ non ſunt atra bilis, nec humor melancholicus, nam ex Gal. libro ſupra citato hæ nigræ deiectiones ſunt reſecatæ ab humore melancholico, & fortaſſis ſunt hæ partes illius humoris melancholici, qui ad ventriculum accedit, vt appetentia generetur.

Tertia eſt humor melancholicus, cuius vna pars vadit ad venas cum ſanguine, alia ad lienem, & ventriculum.

Quarta eſt atra bilis, quæ ex libro quarto, Aphoriſ. vigeſimotertio,& vigeſimoquinto, fuſa non concreſcit, nigra eſt, & fulgens, mordax, terram abradit, & fermentat. Quatuor etiam fecit differentias humoris melancholici Galen. libro de different.med. quæ non ſunt multum diſſimiles ab his,illuc relegamus Lectorem.

Aduertendum eſt autem hinc, quod atra bilis, melancholicus humor, ſeu niger, fel nigrum, & melancholia pro communi habentur apud medicos, & hæc nomina communia ſunt melancholiæ, tàm naturali, quàm non naturali, quam vis referente Galen. libro ſecundo, de natur. fac.capitulo vltimo, medicorum plerique conati ſunt adinuenire diſcrimen inter humorem melancholicum, & atra bilem, quæ doctrina videtur concordare cum ijs, quæ ſcripta ſunt libro 6. Aphoriſ. 53. vbi dixit, quod ſi nos exquiſitè loqui volumus, eam, quæ eſt veluti fæx ſanguinis non atram bilim, ſed humorem melancholicum nominamus. Sed de nominibus non ſimus multum curioſi, cum Auicen. igitur omnes melancholiæ differentias diuidamus in duas ſpecies in naturalem, & in non naturalem.

Naturalis humor melancholicus generatur in hepate cum alijs humoribus, craſſus eſt, & frigidus, & ſiccus, dicitur limus ſanguinis, & quandoque, vt diximus à Galen. vocatur atra bilis ex libro quinto, de vſu part. capitulo quarto, ſapore acidus ſecundum aliquos, & præſertim ſecundum Galen. libro tertio, de ration.vic.4. & 38. & libro quinto, de vſu part. capitulo quarto, dicit eſſe acerbum, & acidum. Sed ſecundum Auicen. eſt ſapore medio inter ponticum, & dulcem, eſt autem ponticus acerbus ſapor, aſſimilatur humor melancholicus terrę, & dicitur fęx ſanguinis, & ob id inter humores eſt peior cęteris, eſt enim vitę contraria, nam eſt frigida, & ſicca, lętitiæ ęmula, triſtitię, anxietatis, odij, & timoris comes, & nuntia, cum pręſertim in corpore excedit.

Notandum tamen diligenter eſt circa ea, quę iam ſunt de ſapore melancholici humoris dicta, nam Galen. libro quarto, de vſ. part. inquit, naturalem melancholiam non eſſe vnius ſaporis. Pro qua re ſciendum, quod veluti humor melancholicus habet diuerſos gradus, ita in eo magis, & minus dominabitur terreſtris illa pars, ſi enim magis dominatur, erit acerbus ſi minus, erit acidus ſic Galen. in libro quarto, de vſu part. & libro tertio, de loc. affec.capitulo ſeptimo, vbi dicit humorem melancholicum non eſſe acidum, venit intelligendus, quia ſcilicet in eo quandoque minus pars terreſtris pręדominatur.

Crediderim tamen ego illam melancholiam, quę vadit per venas, eſſe minus acidam, & acerbam ob ſanguinis, & phlegmatis dulcedinem, illam verò quæ vadit ad ventriculum eſſe plus ponticam, nam in ſplene fuit orbata portionibus eius magis ſubtilibus,& ſanguine ſecum permiſto pro nutritione ſplenis,& craſſa, & terreſtris fertur ad ventriculum. Mittitur autem ad lienem portio iſtius humoris ob multos vſus,de quibus infra.

Sed dubitare contingit aduerſus ſupradicta, & primo an humor melancholicus ſit craſſus,& viſcoſus ſimul, nec ne. *Dubitationes variæ, & ſolutiones.*

Dicendum eſſe craſſum, ſed non viſcoſum, nam viſcoſitas ad pituitam pertinet, nam viſciditatis, & conglutinationis principium eſt humiditas, quæ eſt in pituita, & non in melancholico humore; Nec eſt alicuius momenti aduerſus dicta illa authoritas libri 2. de nat.hum.cap.vlt.vbi dicitur humorem melancholicum eſſe craſſiſſimum, & viſcoſiſſimum, nam liber ille inter genuinos Hip. non recipitur.

Dubitatur secundò, an humor melancholicus sit frigidior ipsa pituita.

Respondeo semper ab Hippocrate non recedens pituitam esse frigidiorem humore melancholico ex libro primo, de nat. hum. text. 32. pituitosus enim humor est fridissimus omnium. Adhùc aquæ respondet, ergo.

At dices melancholia est frigidior, nam pituita dicitur sanguis inconcoctus, ergo semper participat de aliquo calore. Amplius humor melancholicus est acerbus ex libro quinto, de vs. part. capitulo quarto, acerbitas autem frigiditatem arguit, modo phlegma, vel est dulce, vel insipidum, dulcedo calorem, insipiditas vel nullam, vel non manifestam, vel debilem, ac remissam frigiditatem arguit.

Dicerem si pituita consideratur secundum omnes species pituitæ, scilicet in genere, tunc pituita frigidior est melancholia, si verò in specie consideratur, tunc potest esse, vt humoris melancholici quædam species sit frigidior pituitæ aliqua specie, sic possunt solui hæc duo argumenta. Dubitatur tertio, an humor melancholicus sit excrementum, an humor. Dicendum vtroque modo, nam ratione qua nutrit membra frigida, & sicca dicitur humor, ratione qua est sanguinis fæx dicitur excrementum, licet secundum Aristotel. & Auer. libro tertio, colliget. capitulo primo, & octauo sit semper excrementum à corpore reijciendum tanquam nutritioni ineptum, sed ex superioribus cadit hæc sententia. Dubitatur quartò, quæ nam sit maior portio humoris melancholici, qui vadit ad venas, an ille, qui vadit ad lienem.

Respondetur esse multo maiorem illum, qui vadit ad venas, nam sunt multæ partes nutriendæ frigidæ, & siccæ. Dubitatur quinto, nacta occasione ex dubio superiori, an melancholia deseruiat corpori præsertim pro nutriendis ossibus, & videtur quod non, nam ossa minimo nutrimento indigent, ex eo quia dura, compacta, & minime resolubilia, tum etiam, quia frigida sunt, carentia caliditate resoluente.

Secundò ab osse non resoluuntur partes terrestres, ergo melancholia pro illis non deseruit, nam potius ab osse resoluuntur partes aereæ, & subtiles, & aquosæ, nam ossa animalium mortuorum per mille annos remanent integra.

Tertio quam plura ossa carent poris manifestis, ergo melancholia, quę est crassa, & terrestris non poterit penetrare, ergo illorum non poterit esse nutrimentum, cum tàm ex parte substantiæ, quàm ex parte qualitatum sit repugnantia.

Quartò medulla nutrit ossa, ergo non melancholia. Quam breuiter dicendum secundum Hippocratem, & Galenum, quicquid dicant Peripatetici, melancholiam concurrere pro nutritione ossium, & aliarum partium, nam cum nutritio fiat a simili, ossa verò cum sint frigida, & sicca, ergo.

Ad primum dico non probare primam rationem, ossa non indigere melancholia, sed ea pauca indigere, quod nos concedimus, secundum enim molem pauca indigent.

Ad secundum dicendum quod partes aereæ, & aquosæ adeo sunt commistæ cum terrestribus in ossibus, vt illæ sine his resolui non possint. Ossa verò mortuorum ideo tantum durant, nam in ipsis non adest calidum, & humidum, quæ erant in viuentibus, quo fit, vt veluti lapides euaserint.

Ad tertium ossa viuentium habere dicimus poros magis apertos, quàm mortuorum ob naturalem calorem, qui est in eis, & quamuis sunt parui, & exiles, sufficiunt tamen ad recipiendum eorum nutrimentum.

Ad quartum ossium medulla non est nutrimentum, sed excrementum ex Auer. libro secundo, colliget cap. 8.

An lien nutriatur melancholia, et ob quid factus sit lien.

Theorema XXXIX.



CLARA Galen. sententia est plurimis in locis confirmata, lienem factum esse à natura, vt sanguinem in hepate genitum expurget, & etiam, vt sanguine melancholico vtatur pro nutritione, vt iam iam declarabitur. Ob id enim sagax natura contra hepar lienem fabricauit, vt attracto lutoso sanguine à liene sanguis purus, ac nitidus, & syncerus magis fiat.

Illud autem erit animaduersione dignum, splenem, quemadmodum, & renes non attrahere excrementa sola impermista, nam cum eorum orificia huic vsui destinata sint ampla, semper cum excrementis aliquid sanguinis boni, & laudabilis accedit, contra vesica fellis, quæ tantum bilim synceram trahit ob eius angustissima vasa.

Verum sciendum erit sanguinem hunc, quem lien cum melancholia trahit, non accedere vsque ad lienem, vt ob id male quidam imaginati fuerint, hoc sanguine laudabili nutriri lienem, nam hic non peruenit ad ipsum, nam trahunt hunc venæ, quæ sunt in omento græcè ἐπιπλώω, arabice Girbo, renes etiam quamuis cum serosa humiditate trahunt aliquid sanguinis laudabilis ob ampla vasa, tamen sanguis hic resudans in renum substantiam alimentum fit ex Galen. libro quarto, de vsu part.

Lien

Lien igitur hunc sanguinem melancholicum, & lutosum attrahens per splenicum ramum non statim eum expellit ad ventriculum, sed digeritur in splene hic sanguis, attenuatur, subtiliatur, excoquitur ob multam arteriarum copiam, quas ibi natura fabricauit, quæ ratione motus, & caloris attenuant, vt diximus sanguinem lutosum, & melancholicum attractum, & illa parte postea subtiliori, & puriori nutritur lien, & tanquam hic sanguis sic elaboratus fit substantiæ lienis proportionatus, congruus, similis, & conueniens, aliam verò partem grossiorem, ac terrestriorem sanguinis illius melancholici, qua nequiuit in sanguinem subtilem conuerti, expellit lien nunc in fundum ventriculi, nunc in màrischas, seu hæmorrhoidales venas ex Gal. sententia libro 5. de vsu part. cap. 4.

Quare lien melancholico recremento nutritur, scilicet eius subtiliori parte. Sed difficultas ex dictis insurgit, nam videtur lien nutriri sanguine tenuiori, quam hepar: Ni si esset lienem nutriri subtiliori patte sanguinis melancholici, tamen, non absolutim, quare comparatiuè res intelligatur, & in hunc sensum venit Galen. intelligendus libro quarto, de vsu part. capitulo decimoquinto, de qua re fusè pertractat aduersus Ioannem Antonium Pisanum nostrum celeberrimum præceptorem, Antonius Aluarez epistola, & consilio meditation. epistol. octaua. Sed hæc obiter. *An liē nutriatur sāguine tenuiori quā hepar. Decisio.*

Ad rem igitur accedamus dicentes lienem nutriri sanguine fæculento, & melancholico, præsertim etiam, & hoc colligimus ex morbis, quibus lien affici solet, scilicet scirrhosis, & obstructionibus, non certè ratione substantiæ, quæ rara, & spongiosa est, non ratione vasorum, quia ampla sunt, ergo ratione contenti, scilicet crassi humoris ex Galen. libro decimotertio, method. medend. inquit enim rarior est lienis substantia, quam hepatis, & libro quinto, de simplic. meditat. fac. lien orificia ampla habet, quare obstructiones non nisi à lutuoso, & fæculento sanguine, & ratione huius crassi sanguinis inquit Galen. libro quinto, de sanitat. tuend. lienem iuuari superiorum, & inferiorum partium exercitatione, vt ob id Orchomenes Lacedæmonius apud Plutarchum lienosus ob cursum velocissimus omnium factus est, palmamque inter pedites omnes viua omnium voce consecutus fuit, & hinc etiam est quod Gal. dicebat lib. 2. de nat. fac. cap. 9. ex mente Hip. libro de loc. in hom.

Quibus lien intumescit corpus gracilescit, & è contra. Hinc etiam videmus, nigros icteros esse, quia obstructio adest in liene, nam cum lien non possit hunc sanguinem fæculentum, & melancholicum trahere, ille regurgitat ad hepar, & ab hoc per totum corpus, non aliter ac quando vesica fellis est obstructa videmus pallidos homines.

Hac etiam ratione factum esse putamus, vt veteres dixerint lienem esse risus organum, & instrumentum iuxta illud.

Cor sapit, pulmo loquitur, fel concitat iram,

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Quin etiam omnibus his adde, confirmatum esse apud omnes medicos in hepate tria excrementorum genera generari, alterum tenue, ac veluti igneum, hanc bilim vocant, alterum crassius, ac fæculentum, melancholiam dicunt, Tertium serosum, & aquosum. Bilis ob suas noxias qualitates priur demandatur ad cistam, melancholia aliquo conceptaculo indiget, quod non erit ventriculus, non intestina, nec venæ cauæ ramus, nec renes, nam hi serosam humiditatem, ergo vt sit lien relinquitur. Lien igitur factus est à natura, vt sanguinem melancholicum expurget.

Quid alij senserint.



NEutiquam videtur lien factus esse à natura ob dictum hunc vsum, & vt nutriatur melancholico sanguine, nam lien membrum est molle, rarum, simile spongiæ, vt sensus ipse indicat, & Galen. docet libro quinto, de vsu part. capitulo quarto. ergo non poterit vnquam melancholia nutriri, quæ est grossa, crassa, & terrestris, & est duritiei causa.

Secundò Melancholia, quæ transit ad lienem ob eius crassitiem non potuit in hepate digeri, & ad benignum, laudabilemque sanguinem conuerti, ergo minus poterit in liene, nam hepatis virtus robustior est in concoquendo, quàm lienis, patet assumptum auctoritate Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. 9.

Tertio non sunt ductus ab hepate hunc succum deferentes, nulla cauitas est in liene, nulli sunt meatus detrudentes, ergo lien non est à natura factus pro hoc sanguine expurgando, & per consequens melancholico sanguine nutriri non valebit, sed singula probantur, nam si quis esset ductus splenis ramus esset, sed hic esse non poterit, nam totum venæ portæ truncum pertradet, & conspurcabit melancholicus sanguis, & omnes ventriculi, epiploi, & vicinarum partium ramos inquinabit, quare naturæ prouidentiæ hoc multum derogabit, sapiens enim natura hac vtitur regula, vt statim perfecta hæmatosi expurgentur à laudabili sanguine, quæ noxia sunt.

Nec etiam in liene cauitas est, cum esse deberet, nam crassum excrementum maiorem locum occupat, quàm tenue.

Tandem non sunt ductus hunc extrudentes, non sunt hæmorrhoidales venæ, non ventriculi fundus, nam sic omnes hæmorrhoidibus laborarent, & continuò acidum euomeremus.

Erasistrati sententia. Quartò est Erasistrati sententia, qui frustra conditum esse lienem autumauit, & Aristotel. libro 3. de part. animal. non nisi ex euentu necessarium esse dixit. Alexander Aphrodisæus libro secundo problem. & Aretæus libro primo, de caus. & signis chronicorum esse lienem sanguinis instrumentum.

Neoterici opinio. Est etiam cuiusdam neoterici sententia, quæ Vlmi est Pictauiensis asserentis in liene præparari vitalem spiritum, scilicet tenuissimum sanguinem, vitalis spiritus materiam, inde per lienis arterias in sinistrum cordis sinum ferri, ibique cum aere misceri, & perfici, & perfectum in arterias omnes refundi, & suam opinionem colligit ex innumeris, quæ in liene visuntur arterijs, sicut in cerebro sunt plexus mirabiles, in testibus labyrinthea vasa, in hepate venarum myriades, qui plexus sunt ad aliquam operationem facti, ita de plexibus in liene.

Quintò principaliter quemadmodum cista fellis non nutritur bili, & vesica vrina, ita & lien, consequentia valet, nam quemadmodum illa sunt excrementa secundæ coctionis, ita & melancholia sanguinis excrementum.

Sextò Nutritio fit à simili, lien est membrum calidum, melancholia frigida, sicca, ergo. Sed

Solutio rationum. soluantur obiecta.

Ad primum dictum est supra, lienem non nutriri crasso illo, & fæculento sanguine, sed eius parte subtili.

Ad secundum dicendum, hepar non curare de illo melancholico sanguine, cum de meliori abundet, & postea ratione arteriarum in liene existentium auxilium recipit sanguis melancholicus.

Ad tertium dicimus esse splenicum ramum idoneum ad deducendum hunc sanguinem, & quamvis ab hoc ramo ventriculi, & epiploi venæ oriantur, non tamen hunc sanguinem fæculentum illæ trahunt, sed solum lienem insita facultate volumus. In liene etiam cauitas non est necessaria, quia adsunt venarum, & arteriarum plexus multi, sicut in hepate cauitas nulla, etiam in mammis, & testibus, sed plexus multi. Etsi melancholici sanguinis multa est copia, vel in mariscas, vel in ventriculi fundum demandatur.

Cõfutatur Vlmus. Nec perpetuò erit vomitus acidus, & nigræ deiectiones, nam per exigua fæculenti sanguinis portio internarum partium calore per habitum digeri potest, vt ossium, & cartilaginum, & reliquarum partium excrementa.

Ad quartum perperam Erasistratum philosophatum esse nemo est, qui non videat, nam lien habet prædictos vsus. Aristot. etiam opinionem non esse recipiendam vnicuique patet, nam lien ex naturæ necessitate factus est, & non ex euentu. Quod verò Alexan. Aphrodisæus, & Aretæus habent, iam fuit supra reprobatum, & decisum. Nec vera est Vlmi opinio, nam præparatur ille spiritus vitalis in arteriarum lienis plexibus, quomodo per arteriam magnam ad sinistrum cordis ventriculum commeatu poterit, cum in aortæ orificio tria adsint ostiola intus hiantia, foris autem clausa, ne quid per arteriam hanc cor ingrediatur, quod clarè ex Hippocr. colligitur libro de corde, si tamen liber ille Hippocraticus est, nec quod de arteriarum plexibus affert vera sunt; nam ob multos vsus illæ arteriæ in liene sunt à natura fabricatæ, vt supra dictum.

Primò, vt earum pulsu, & motu sanguinem melancholicum attenuent, ac expurgent.

Secundò vt crassum hunc sanguinem ex venis in substantiam lienis excidere sollicitent.

Tertio vt lienis natiuum calorem illo impuro sanguine coinquinatum, & penè obrutum ventilent.

Quartò vt vitalem facultatem lieni præbeant.

Ad quintum iam patet quid sit dicendum, namque cista fellis trahit per vias angustissimas bilim, & ideo habet alias venas pro sui nutritione. Vesica verò, quia vrina est salsum excrementum, & salsum non amplius potest ad naturæ benignitatem reduci, nec potest concoqui salsum, quia coctio supponit crudum concoquendum, & humor salsus est coctus, & adustus, ergo non potest recipere coctionem, vt diuinissimè philosophatus est Galen. libro de constitutione art. me d. cap. 19. & ob id sapientissime in hoc loco statim esse purgandum humorem salsum præcepit. Modo est dispar ratio de liene, nam præterquam lien trahit per orificium amplum, tamen trahit sanguinem melancholicum cum laudabili etiam sanguine mistum, quamuis vt supra diximus sanguis ille melancholicus ratione arteriarum digeratur, ac subtilietur, vt hoc dein possit lien nutriri, qui sanguis subtilis niger dicitur à Iacobo de Partibus.

Salsus humor non potest ad natura benignitatem reduci.

Ad sextum dicendum, quod sanguis melancholicus attenuatus est humor calidus, & sic potest fieri commoda nutritio, & à simili fit, & proinde huius theorematis hic finis esto.

An in perfectè sanis necessarium sit, vt melancholia ad uentriculum tendat.

Theorema. XL.



Vlgata sanè sententia in ore medicorum est, melancholiam ad ventriculum accedere, cum propter coctionem meliorem faciendam, & retentionem, tum etiam propter appetentiam.

Priores duos vsus Galen. expressit libro quinto, de vsu part. capitul. 4. in fine, vbi inquit atram bilim, non modo non lædere comperiemus, sed & actionem insuper ipsius adiuuare, nam ventriculum intendit, ac contrahit in se ipsum, cogitque cibos ad vnguem circumplecti, ac retinere quousque fuerint percocti.

Vltimum vsum Auicen. adnotauit, neque sine ratione, quam ipse optime calluit, sed breuitatis gratia omisit, cum enim frigidus, & siccus sit humor melancholicus, & austerus, omnia austera, & frigida adstringunt, & corrugant os ventriculi, vnde appetentiam gignunt. Sic aqua edax vocatur ab Hipocr. libro 6. epidem. com. 4. text. 20. & vigilia edax, sic videmus abstemios plurimum comedere, quod non est ob aliud nisi ratione frigiditatis.

Quare necessum fuit, vt in sanis corporibus melancholia ad ventriculum tendat. Sed hinc est difficultas de loco per quem transit melancholia ad ventriculum, qua de re consulendus Andræas Laurentius libro primo, anatom. quæstion. 27. optime de hac materia pertractans. Sed obijcitur aduersus huius theorematis veritatem, primo Fuchsius libro institut. med. ait non esse necessarium hunc vsum, scilicet propter appetentiam ob multa, sed præcipuum hoc est, nam tunc semper famesceremus & quando sumus satij, addit etiam quia Galen. non cognouit hunc vsum, sed dimisso Fuchsio ad fortiores rationes accedamus, & sit secunda ratio, nam ventriculus, & præsertim os eius, est maxime sensitiuus, ratione neruorum, sed melancholia est frigida, & frigidum inimicum neruis libro quinto Aphor. 19. deinde est acida, sed acidum ob eandem rationem stomacho inimicum, ergo non est necessarium, vt transmittatur melancholia ad ventriculum, Tertia, si ad ventriculum tenderet, tunc ad cerebrum defferrentur vapores ab ipsa, quod somnia, & mentis perturbationem fortassis inducent iuxta Galen. doctrinam libro quinto, de loc. affect. capitul. sexto. *Obiectiones aduersus dicta.*

Cæterum his non obstantibus ad obiecta facilè respondetur, ad primum dicendum bonum esse Auicen. vsum, ac non esse improbandum, vt perperam pædagogus ille, & si Galen. non nouerit hunc vsum, hoc parum refert multa enim nos scimus, quæ Galen. ignorauit, sciolorum quidem est hæc argumentatio, qui ad pauca respicientes de facilè omnia enuntiant. Possumus etiam dicere Galen. hunc vsum cognouisse in fame non naturali libro secundo, Aphor. 21. nam fames canina fit à melancholia, & pituita acida. *Solutiones*

Ad argumentum eius principale respondetur, quod nos non semper famescimus ob duo, primo quia non semper fluit ad ventriculum humor melancholicus, secundo, quia præcisè ad os ventriculi non fluit, sed ad fundum, & mediam partem ventriculi vt Vallesius libro primo, contrau. cap. 20. & Andræas Laurentius loco citato.

Dices si humor melancholicus est causa famis præter naturam, non potest esse causa famis naturalis. Respondetur hoc esse posse ex causarum varietate, si enim causa est fortior, & potentior, tunc fit fames præter naturam, è contra, è contra. *Instantia. Solutio.*

Ad secundum argumentum breuiter respondetur, quod melancholia non est simpliciter acetosa, sed mista est inter ponticitatem, & stipticitatem.

Ad aliud respondetur melancholiam non esse intensæ frigiditatis, nec acetositatis, propterea non nocet.

Ad vltimum, quia non est in multa quantitate, & ab anima nostra regulatur, neque est præter naturam, sed naturalis, ideo illa incommoda non operatur.



A qua causa fiat humor melancholicus naturalis.

Theorema XLI.

Sit igitur nostra sententia in hoc theoremate posita in hoc, scilicet humorem melancholicum generari à calore temperato, veluti & sanguinem. Namque calor immodicus generat bilim, calor diminutus pituitam, calor verò moderatus generat sanguinem, & melancholiam. Verum vt præsentis theorematis veritas magis elucescat, quatuor sunt notanda, scilicet melancholiam naturalem fieri à calore temperato, primo comparatione facta ad calorem efficientem melancholiam adustam, Secundo comparatione adhuc facta ad calorem efficientem phlegma, & bilim, Terrio ad calorem efficientem sanguinem, Quarto quod dicatur humor melancholicus temperatus ad iustitiam, vel temperatus quantum ad eum accedere potest. His stantibus facilè nostra sententia elucescit, quam olfecere Conciliator diff. 32. & Iacobus de Part.

Primo, & secundo modo, verum est melancholiam, seu humorem melancholicum fieri à calore temperato, nam nec adurit, vt calor generans melancholiam adustam, nec superfluè concoquit, vt calor generans bilim, nec adeo diminute concoquit, vt generans phlegma, vnde humor melancholicus non vocatur humor crudus, nec etiam adeo frigidus, vt phlegma.

Tertio modo adhuc verum est, scilicet melancholicum humorem fieri à causa temperata respectu, scilicet caloris generantis sanguinem, quia eo est maior, & magis accedens ad temperiem, nam melancholicus humor naturalis minus est calidus sanguine, deinde multiplicatur in ætate minus calida, scilicet senectute. Vnde in hac re vnum aureum adnotandum est, quod quemadmodum sanguis apud Gal. pluribus in locis quoquo modo temperatus dicitur, quia scilicet fit à calore temperato, fit tamen à calido, & humido, ita, & humor melancholicus quia procedit à causa minus calida potest dici produci à causa temperata. *Nota vnũ.*

Quarto, & vltimo calor melancholiæ non est temperatus scilicet ad iustitiam, immo est remissus, & minor, quàm pro temperamenti ad iustitiam natura requiritur. Quamuis probabiliter teneat Iacobus de Partibus posse scilicet teneri secundum hunc quartum modum melancholiam fieri à calore temperato ad iustitiam. Sed certè secundum rei veritatem defendi non potest, nam fit potius à defectu caloris, quàm à commensuratione. Sed aduersus hanc veritatem multa sunt, eaque difficillima argumenta præsertim ex Gal. authoritate deducta, vnde Galen. ea in re dubius videtur, vel nostrum theorema veritatem non est assecutum. *Obiectiones variæ.*

Primo ex Gal. libro 2. de cris. cap. 12. Si sanè inquit in naturalibus sermonibus scilicet libro 2. de nat. fac. rectè ostensum est, quod sanguis ex moderato calore gignatur, flaua autem bilis ex maiore atra verò ex sufficienter immodico, & clarius libro secundo, de natur. fac. cap. 8. dicebat sanguinem à moderato calore fieri, reliquos verò ex eodem immodico, ergo non à temperato calore fit melancholicus humor.

Secundo si melancholicus humor fieret à calore temperato, deberet plus abundare in temperatis, quàm in melancholicis.

Tertiò tunc melancholia non esset frigida, & sicca, sed temperata, nam finis agentis naturalis est quantum potest assimilare passum.

Quartò fit melancholia in autumno, & in senectute libro 2. de natur. fac. cap. vltim. igitur non est temperata.

Quintò simile fit à simili, sed melancholia est frigida, & sicca, ergo non fit à causa temperata, sed à temperamento frigido, & sicco.

Sextò, & vltimo, & fortius ex libro 3. de loc. affec. cap. 7. & libro 2. de temperam. cap. vlt. videtur posse colligi melancholiam, seu melancholicum temperamentum fieri ex adustione, & ex caliditate, & siccitate, & exemplificat Gal. libro 3. de loc. affec. de caseo veteri inter cæteros cibos melancholiam generantes, qui caseus si fuerit in corpore super calefactus gignit melancholiam, & libro 2. de temperam. inquit melancholica temperamenta fieri ex adustione sanguinis, vt ob has authoritates doctissimus noster præceptor Theoricæ Quintius, Don Ioannes in hanc venerit sententiam, scilicet melancholiam naturalem, seu temperamentum melancholicum naturale fieri ex caliditate, & siccitate. Cæterum veriorem putamus primam opinionem, scilicet melancholicum succum naturalem fieri à causa temperata, quæ est opinio Auic. & Gal. simul, & Conciliatoris. *Opinio nostri præceptoris.*

Sed antequam soluantur argumenta illud latere nos non debet errasse in hoc, & Turisanum, & Vegam. Turisanum, qui voluit ab eodem calore generari omnes humores, cum supra oppositum demonstrauerimus, & ex Gal. libro 4. de sanit. tuend. cap. 4. & libro 2. de cris. cap. 12. & libro 2. de nat. fac. cap. 8. sanguinem à temperato calore bilim ab immodico pituitam à diminuto. Vegam etiam, qui voluerit libro 3. prognost. text. 27. melancholiam naturalem non generari ex naturæ intentione, sed ratione materiæ, nam inquit cum melancholia non generetur gratia alicuius finis, sed tantum per subsidentiam, fit, vt pars chyli dulcior vertatur in sanguinem, pars calidior in bilim, pars frigida, & inconcocta in pituitam, terrestris verò pars ratione sui ponderis residet, & non generatur ex naturæ intentu, sed per subsidentiam fit, & ideo Galen. de illa non meminit, sed contra, nam quatuor humores nutriunt nostrum corpus, & hic est finis humorum, scilicet nutritio partium, sed quoniam, vt supra probatum est omnes humores nutriunt, ergo ex naturæ intentu omnes generantur, *Turisani, & Vegæ lapsus.* *Aduersus Vegam.*

nerantur, ergo non ratione materiæ, & per subsidentiam, immo magis generatur humor melancholicus ex naturæ præscripto intento, nam sunt multo plures partes frigidæ, & siccæ, quæ indigēt humore melancholico.

Addo, in chylo erant in potentia omnes humores, ergo ad actum omnes reduci debent ab agente, & sic non ratione materiæ, sed per se, & non per hypostasim. Tandem si humor melancholicus, quia residet generatur ratione subsidentiæ, & non per se, ergo biliosus humor, quia est veluti spuma, vt supra, non generabitur per se, sed ratione supraeminentiæ. Sed ad argumentum respondeamus.

Ad primum respondetur, Gal. per calorem immodicum intellexisse asymmetrum, scilicet tam in excessu, quam in defectu, & sic veniunt intelligendi illi loci in libro 2. de cris. cap. 12. & libro 2. de nat. fac. cap. 8. sanguis enim fit à temperato calore, flaua verò bilis ex maiori, atra verò, ex sufficienter immodico, idest in defectu, nam vt supra demonstratum est melancholicus humor fit à minori calore, quàm sanguis, ly enim sufficienter immodico significat, quod ad generandam melancholiam sufficit, vt sit in maiori defectu calor, quàm ad producendam bilim, & ob id libro 2. de natu. fac. cap. 8. dixit, bilim fieri ab immodico calore, & hoc loco immodicum significat asymmetrum in excessu; Sic exponendus Gal. præcipuè libro 2. de cris. quando verò subiungit, quidquid igitur pingue, & tenue in sanguine est fit flaua bilis, crassum verò, ac veluti fæx, quando immodicè calefactum exaruerit, atra, & cætera, in hoc loco loquitur de atra bile non naturali, sed præter naturam, quæ loco citato, & sexcentis alijs in locis, duplicem habet generationem, vel ex humore melancholico naturali assato, vel ex flaua bile adusta. Si hoc modo Galen. non exponimus, nescio quo pacto veniat intelligendus, nisi ipsum dubium extitisse in hoc theoremate confiteri volueris. Et licet ex professo, & apertè causam humoris melancholici naturalis non patefecit, tamen ex sanguinis generationis causa, illam magis aperte comprehēdere possumus, vt supra dictum est, & optime Conciliator ratiocinatur. *Solutiones Argumentorum.*

Ad secundum dicimus non procedere argumentum respectiuè fit à calore temperato, eo modo quo supra docuimus, si enim quarto modo fieret à calore temperato tunc abundaret in temperatis magis, quam in melancholicis, sequitur tamen ex argumēto debere in temperatis esse maiorem residentiam melancholiæ.

Ad tertium concedendum est esse temperatam melancholiam respectiuè, & negandum est postea non esse frigidam, & siccam, nam eo modo quo supra diximus de sanguine, res intelligitur, & cum Iacobo de Partibus dicimus, quod calor hepatis imprimit aliquid caloris in melancholiam, non tamen tantum, quod ob id mæreatur dici calida; Addo etiam, quod si melancholia fiat à calore temperato, per calorem temperatum intelligimus comparatione ad calorem facientem phlegma, bilim, & sanguinem, nam secundum rei veritatem non est exactè temperatus.

Ad quartum concedimus non esse temperatum, eo modo, quo supra, fit autem in autumno, quia hoc anni tempus illi maximè proportionatur.

Eodem pacto ad quintum respondetur, nam cum non sit exactè temperata causa melancholiæ, ideo non procedit argumentum, nam ab illa sanguinis parte, quæ magis assimilatur melancholiæ, fit ipsa melancholia à parte scilicet terrestri, &c. vt diximus.

Ad sextum, & vltimum, breuiter me expedio, nam in illis locis Gal. loquitur de melancholia præter naturam, cuiusmodi nos non loquimur. Clarum, autem est vnicuique rectè, & attentè legenti Gal. ibi sic loqui. Quare cum nostro præceptore conuenimus in hoc scilicet in causa melancholiæ præter naturam, quod scilicet fiat à causa calida, & sicca, & ex adustione, & per resolutionem non autem conuenimus in causa melancholiæ naturalis. Sed quoniam multum sumus digressi, iam hunc pedem sistamus.

De humore melancholico præter naturam, et an atra bilis fieri posit à pituita.

Theorema XLII.



Apud Gal. pluribus in locis confunditur humor melancholicus, & atra bilis, nam idem sunt ex libro 6. Aphor. 53. Verum de humore melancholico naturali satis, superque satis supra dictum est, nunc restat vt de humore melancholico præter naturam, siue atra bilis vocetur agamus. Hæc duplex est secundum Galen. quamuis Auic. quatuor fecerit differentias, tamen reduci possunt ad duas, vel enim generatur ex humore melancholico naturali adusto, vel ex assata bili. Sed dices ex his, quæ nam peior? Auic. respondet in Canticis esse illam, quæ fit ex humore melancholico naturali assato. Sed pace tanti viri dixerim melius cum Gal. loco supra citato, nec non lib. 3. Aphor. 23. & libro de atra bile cap. 3. peior est illa, quæ fit ex bili assata, & patefacta. Sed dices an atra bilis possit generari ex sanguine, vt videtur posse colligi ex Galen. libro 2. de differen. febr. capitul. 9. *Dubitatio.* *Solutio.*

Dicendum cum Fernelio nequaquam, nam quando sanguis putrescit non vertitur in atram bilim præter naturam, sed in succum melancholicum, Quare atra bilis, seu melancholia præter naturam, vel sit à melancholia naturali assata, vel fit à bili assata, & putrefacta. Si est alius generationis modus inferius dicetur. Dices, quodnam est temperamentum atræ bilis præter naturam. Respondetur naturale temperamentum atræ bilis esse per se frigidum, & siccum, sed accidentale *An atra bilis ex sanguine generetur.* *Decisio.*

esse

An atra bilis fiat a pituita necne.

esse calidum, & siccum, nam per accidens fit atra bilis calida, & sicca ratione scilicet adustionis, qua deinde completa fit veluti cinis. Sed maior insurgit difficultas, an scilicet atra bilis fiat à pituita, necne. Ea in re varias animaduerto sententias, sed mea breuis est hæc circa præsens theorema, scilicet fieri posse, vt melancholia fiat à pituita, nam videmus putrefactam pituitam in spatio thoracis longo temporis tractu verti in humorem melancholicum. Hinc postea videmus nigra sputa, quæ ex Gal. libro 1. Aphor. 12. & sexcentis in locis melancholiam arguunt, quare fieri potest melancholia ex pituita.

Præterea humorum essentia consistit potius in temperamento, non autem in colore ex libro 3. de loc. affec. cap. 7. ergo potest fieri transitus à pituita in humorem melancholicum, eoque magis, nam eadem viderur esse ratio περὶ μεγακόσμυ, & μικροκόσμυ, homo enim ab Arist. libro 8. phys. text. 17. dicitur μικρόκοσμος, veluti enim in mundo magno ex aqua fit terra, ita ex pituita fieri potest melancholia, cum humores elementis correspondeant. Tandem, sanguis conuertitur in humorem melancholicum, ergo, & pituita verti potest in humorem melācholicum, nam plus distat sanguis à melancholia, quàm pituita cum ille sit calidus, & humidus, hæc autem frigida, & humida, & melancholia frigida, & sicca, nam tantum introducenda est in pituitam siccitas, vt fiat humor melancholicus. Quare immediatè concedi potest à pituita fieri melancholiam.

Ad hanc opinionem accedere videntur plures viri doctissimi, vt Rufus Ephesius libro 1. cap. 36. de nomenclatura, Auic. libro 1. fen. 1. doc. 4. cap. de humoribus, Fernelius libro 6. Fuchsius in lib. institutionum medicarum, Gal. nullibi de hoc mentionem fecit, Hip. videtur dicere libro de affec. tertianam, & quartanam fieri ex bili, & pituita. Vt hinc errasse videantur Manardus libro 9. epist. epist. 2. & Vallesius libro 1. controuer. cap. 21. nullas enim rationes efficaces pro ipsis adducunt, ideo Oratio nostra in longum non trahitur. Nec est maxima distantia, vt inquit Vallesius inter pituitæ, & atræ bilis naturale temperamentum, nam nos supra diximus atram bilim, licet ex adustione fiat esse adhuc frigidam, & siccam per se, licet per accidens sit calida, & sicca, modo in transmutatione ascititium deperditur, quare inter pituitam, & melancholiam non est multa distantia nisi penes alteram qualitatem, vt dictum est supra, ergo fieri potest transitus immediatè à pituita in melancholiam.

Manardi, & Vallesij lapsus.

Nec quamuis libro 2. de nat. fac. cap. vlt. laudauerit Praxagoram, ideo argumentari debemus, non dari hunc transitum, nam laudatur à Galen. Praxagoras, quia cæteris melius circa naturam humorum philosophatus est. Quare non est, vt inquit Vallesius, hoc à ratione alienissimum, quinimmo nostri theorematis oppositum. Quantum verò pertinet ad colores dicimus acquiri colores hoc modo, nam ex alba pituita assata fieri potest atra bilis, & si non exactè nigra parum refert, sat sit si erit nigra clara. Quare bonus senes Manard. & curiosus, & ingeniosus Iuuenis Vallesius parcant nobis, si ab eorum sententia desciscimus. Nam non video rationem in contrarium, quare pituita non possit adeo assari, ne fiat atra bilis, licet non atra saturata, tamen atra clara, & si concesserimus, fieri atram saturatam nihil erit absurdi, nam potest in corpore plerumque multum igneus calor vigere à quo assetur pituita, & nigra fiat, hoc enim non potest quidem in instanti fieri, sed intercedat oportet aliqua temporis differentia, in qua imperciptibiliter fieri potest transitus, quantum ad calores medios de extremis in extremos, & quemadmodum nos videmus lignum adustum conuerti in carbones, vel exigua temporis intercapedine, ita quoque fieri posse dicimus pituitam atram bilem in aliqua temporis intercapedine. Quare Manardo hoc non adeo impossibile videri debuit, cum nos de lignis habeamus experientiam. Miror autem Vallesium cur gratis dixerit, pituitam esse ineptam vstioni, & denigrationi. Non enim illud est perpetuò verum, scilicet calorem cuncta denigrare, nam nos videmus in dies sensata experientia ligna adusta conuerti in carbones, & ossa verti in corpus album, & responsio quidem est in promptu, nam ligna ante eorum adustionem sunt sufficienter humida, & sic post adustionem acquirunt sibi calorem per accidens, & ille calor humidum in lignis totum consumere non valet, sic remanet humidum post adustionem, & conuertitur in corpus nigrum, eo quod humidum in lignis fuit satis viscosum, & non potuit ab illo igne in totum consumi. Ossa autem ex sui natura sunt frigida, & sicca modicum habentia in se de humiditate, quæ & adustionem in totum consumit, & sic per accidens humido consumpto ossa albescunt. Sic ad propositum de pituita, hæc enim cum sit crassa, viscosa, & humida poterit quidem promptissimè calefieri à calore vrenti, igneoque assari, & nigrescere, sed de hoc satis. At finem huic theoremati imposuissemus, nisi nobis in mētem venisset difficultas quædam circa Arist. probl. 1. 30. part. de qua scilicet melancholia loquatur Arist. quando dicit, eos, qui ingenio claruerunt, vel in studijs philosophiæ, vel in Republica administranda, vel in carmine pingendo, vel in artibus exercendis melancholicos omnes fuisse videmus, vt de Hercule, Lysandro, Aiace, Platone, Homero, Socrate, Empedocle, &c. legimus. Multi multa dicunt, scilicet Arist. loqui de melancholia naturali, alij intelligunt melancholicos temperatos, vt Ioannes Camillus Maffeus, alij & melius intelligūt Arist. de melancholia non à natura, sed per accidens, cuius opinionis est Conciliator in expositione supradicti problematis, Ioannes Franciscus Toletus lib. 2. de anima quæst. 24. in responsione ad quartum & nos etiam sumus in hac opinione, scilicet Arist. probl. esse intelligendum de melancholicis adustis, non à natura, sed per accidens, scilicet de illis, quibus consumptis spiritibus, & subtilioribus partibus sanguinis ob assiduas vigilias, labores, studia, aliasque grauissimas curas accedit melancholicum temperamentum calidum, & siccum, nam istæc omnia inflammant humores, & illos exiccant, & ob id melancholici fiunt, vt nostris etiam temporibus contigisse scimus Torquato Tasso insigni Poetæ, qui post tot, tantosque labores, post indefessa studia melancholicus tandem euasit. Et differunt isti melancholici per accidens ab ijs, qui natura sunt melancholici, nam melancholici natura, sunt frigidi, & rudes, homines temerarij, rixosi, iracundi, mali iuditij, vindictam appetentes doli pleni, Veneri incumbunt, & ideo 4. part. probl. 30. dixit Arist. esse luxuriosos.

Calor non denigrat cuncta.

Cur ossa albescunt.

Explicatur Arist. problema.

Torquati Tassi melancholia.

Quare verò melancholici ex accidenti maximè in scientijs præstent docet Aristotel. problemate supra citato, & diuinissime à Marsilio Ficino libro 1. de studiosorum sanit. tuen. cap. 4. tres rationes afferun-

afferuntur iſtius problematis, affert enim rationem cæleſtem, naturalem, & humanam, quæ inde petantur, ne vitio prolixitatis incuſemur.

De humorum ichoribus, et quatuor humiditatibus.

Theorema XLIII.



VOniam de humoribus ſatis plenam, ni fallimur, orationem habuimus, remanet pro eorum exacta cognitione, vt aliquid de ichoribus, & humiditatibus dicamus, & primo dubitatur quid ſint iſti ichores, & quot ſunt.

Ad primum dicendum eſſe tenuiſſimas quaſdam portiones, ſeu partes humorum ſeroſas, vel clarius ex Gal. libro 6. epid. com. 2. tex. 38. ichor eſt ſanguinis ſerum, per ſanguinem autem totam maſſam ſanguineam intelligo, ſicuti enim ſanguis accipitur, & pro toto agregatur quatuor humorum, & pro ſanguine pro quarta ſubſtantia, ita ichor poteſt ſumi pro tota maſſa ichoroſa; & pro ichore ſingulorum humorum, ita vt ſit ichor ſanguineus, bilioſus, pituitoſus, & melancholicus. Illud tamen hinc eſt notandum ichores non nutrire corpus, teſtante hoc Galen. libro 2. de rat. vic. tex. 44. Eſt etiam ichor omnis res præter naturam, authoritate Gal. lib. 6. Epid. com. 2. text. 38. & lib. 8. de Plac. Hip. & Plac. cap. 5. & Ariſt. libro 3. de hiſt. anim. cap. 19. *Ichorea quid.*

Vnde exactam magis poſſumus ichorum formare diffinitionem ex his Ariſt. & Gal. authoritatibus, quod ſcilicet ſit ichor excrementoſum quid, verum præter naturam, ducens originem ex ſingulis humoribus, & præſertim ex tenuibus portionibus ipſorum, eſt excrementum ad differentiam alimenti, nam inutilis eſt ichor ad nutricandum corpus ex Gal. loco ſupra citato, & differt ichor à ſero, nam ſerum eſt res vtilis, etiam naturalis, ichor autem eſt inutilis, & præter naturam, & pariens grauiſſimas febres teſte Hip. & Gal. libro 4. de rat. vic. cap. 1. vbi vocant ichores tenues humiditates quæ eſtiuo tempore exiccantur, & inflammantur, & febrem ardentem pariunt, quandoque tamen Gal. confundit ſerum cum ichore, vt libro 2. de elem. Sed dices quot ſunt ichores; Reſpondetur breuiter eſſe quatuor iuxta mentem Hip. & Gal. locis citatis, quis libet enim humor habet ſuos ichores, verum mitior eſt ſanguinis reſpectu cæterorum humorum. Sed quid dicendum de quatuor vocatis ſecundis humiditatibus, an ſcilicet & hæ conuertantur immediatè in noſtrum corpus, an humores. Breuiter dicamus quid dixerit Ariſtot. libro 4. de part. animal. cap. 2. & libro 3. de hiſt. cap. 19. ſcilicet ſanguinem nutrire immediatè noſtrum corpus, cum Galen. libro 7. meth. med. cap. 5. & 6. & primo de diff. febr. libro 9. cum Auic. cap. de febr. hectica libro 4. f. 2. & libro de humor. non immediate nutrire quatuor humores, ſed eſſe quatuor humiditates, quæ noſtrum corpus nutriunt, vndique, ac ſingulis in partibus. Neceſſe eſt enim vt ſanguis cum humoribus exeat à vaſis, & à virtute tractrice trahatur, poſtquam enim ipſæ venæ ſunt ſaturatæ expellunt ſanguinem, & à partibus ſanguis attrahitur. Venæ autem ſunt poroſæ, & ideo Galen. dicebat libro 1. de ſimplic. med. fac. cap. 12. corpus noſtrum eſſe perforatum veluti fibrum, & iſti humores à venis exeunt in forma roris, & vaporis, ſed quomodo vocantur iſtæ humiditates? *Ichorea quot. De quatuor humiditatibus.*

Reſpondetur, humiditas prima eſt illa, quando ſcilicet exeunt omnes humores à venis, & tunc eſt prima humiditas, quando ſcilicet tranſcolantur humores à poris, & meatibus venarum, & hæc prima humiditas non habet nomen, & dicitur humiditas prima innominata, & hæc quando feruet, & caleſit hecticæ febris ſit primus gradus, ſeu prima ſpecies, ſeu principium & Gal. *Nomina ſecundarum humiditatum.*

Secunda humiditas dicitur ros & lib. 1. de natur. hum. cap. 11. quæ humiditas ſparſa eſt per partes carnis, & hæc eſt craſſior prima humiditate, nanque ſit ros ex vaporibus eleuatis, & dum hæc caleſit oritur ſecunda ſpecies febris hecticæ.

Tertia dicitur cambium ab Auic. & eſt ros magis condenſatus, & hæc apponitur partibus nutriendis, & hæc eſt magis craſſa, & viſcoſa, quàm ſecunda humiditas.

Quarta humiditas gluten dicitur, vt eſt humidum membrale, quod dat partibus conſiſtentiam, ac firmitatem, & dicitur membrorum ſubſtantia radicalis, & ſubſtãtifica, & crediderim hecticos in tertio gradu hanc conſumpſiſſe humiditatem, de quibus actum eſt. Dubium hinc eſt, an hæ quatuor humiditates ſint animatæ, necne? Dicimus eſſe animatas, nam ſi humores ſunt animati, vt theoremate 30. demonſtratum eſt, ergo & hæ humiditates multo plus. Dubitabis etiam quis fuit auctor harum humiditatum, eſt enim fortaſſis Galen. inuentum, an Auic. commentum? Reſpondetur eſſe Auic. verum inuentionis principium ſumpſit à Galen. quinimmo totum inuentum ex libro 7. meth. med. cap. 6. & libro primo, de nat. fac. cap. 11. quibus in locis Gal. docet curandam quadruplicem corporum ſiccitatem, vbi manifeſtiſſimam mentionem fecit de his quatuor humiditatibus, quas ſecundas Auic. nuncupare voluit. Tandem dices, an hæ humiditates differant ſpecie, & ſubſtantia ab humoribus. Breuiter dicendum quod non, nam quid eſt aliud prima humiditas, quàm ſanguis attenuatus, loco tamen diuerſus ſecundum tamen ſubſtantiam non differunt. Igitur quæ de hoc theoremate uidentur dicenda hæc ſunt. *An ſint animatæ necne. Dubitatio. Solutio. An ab humorib. ſpecie differant.*

De

De partibus, primo quid ſint.

Theorema XLIV.



QVoniam huc vſque ſatis, ſuperque ſatis diuagati ſumus circa elementa, temperamenta, & humores, ordo doctrinæ expoſcit, vt de partibus verba faciamus, quamuis huic doctrinæ ordini naturæ ordo aſſentiatur, ſic enim ordo rerum generationis habet, vt prius materia, & forma cum qualitatibus elementa generent, elementa temperamenta, temperamenta humores, ſemen, ſanguinem, menſtruum, ex quibus ſimilares partes, ex his diſſimilares, ex quibus corpora conſtant.

Ordo generationis rerum.

Et quemadmodum nos primum, ſcilicet horum materiam, & formam tanquam noſtro propoſito aliena reliquimus, ita & conſequentia ſigillatim omnia ſuo loco, & tempore contemplati ſumus, & contemplabimur, ſi Deus voluerit. De partibus igitur erit à nobis in præſentiarum per tractandum, eoque magis, quia plurimum neceſſaria eſt medico contemplatio partium, nam cum ab his conſtituatur corpus, & circa corpus verſetur medicus, ideo partes cognoſcere multum eſt neceſſarium.

Quid igitur ſit pars in dubium iam reuocatur. Sed quoniam præcedit prius nominis cognitio rei quidditati, ideo prius de nomine partis non nulla dicantur. Dicitur pars noſtri corporis græcè μέρος, μόριον, ſiue τόπος, latinè pars, particula, ſedes, locus, & membrum, quæ quidem omnia nomina apud medicos, & apud Hip. præſertim libro de loc. in homine ſunt ſynonima, & apud Galen. libro 1. de loc. aff. c. 1. & libro 1. meth. med. cap. 5. & 6.

Acceptio varia partis.

Quamuis inter partem, & membrum, & inſtrumentum doctiſſimus Capiuaccius aliquam aduertat differentiam, legendus eſt libro de methodo anatomica. Quidquid tamen ſit de nominibus, de quibus philoſophos non oportet eſſe multum ſollicitos, ad eſſentiam rei accedamus, in qua quoniam varietas adeſt opinionum, quæ noſtra fuerit ſententia breuibus aperiemus. Illud etiam ante omnia ſciendum eſt, partem comparatione ad aliquem dici partem, ſcilicet comparatione ad totum ex Ariſt. libro 1. de hiſtor. animal. cap. 1. & Gal. libro 1. meth. med. cap. 5. pars enim dicitur totius pars, & totum partis totum, ſiue dicas partem, aut particulam parum refert. Vnde ſi ſumatur pars comparatione ad totum hominem, ſeu totum animal communiſſimè tunc pars ſic poteſt diffiniri cum Gal. libro 1. meth. med. loco citato. Eſt pars quod totum complet, & integrat, quam diffinitionem optimè explicat Ioannes Franciſcus Picus Mirandolanus libro 3. exam. doc. vanitatis gentium cap. 5. Quare pars latiſſimè ſumpta eſt quod complet totum, ac integrat, & iure meritò ſequi nos debemus hanc partis diffinitionem, nam conſcribimus theoremata phyſica, & medica, poſſumus tamen in hac diffinitione adiungere vſum partis, quam fortaſſis Gal. breuitatis gratia omiſſit, ſi enim communiſſime ſumitur pars tunc genita eſt gratia alicuius vtilitatis, ſi particulariter ſcilicet pro viuente parte ſumatur, tunc cum vita non ſit abſque aliqua actione, & cum vita conſeruetur per nutritionem, quæ eſt primaria actio, ideo pars viuens eſt genita propter hanc primariam actionem. Si hanc inſectamur partis communiſſimè ſumptæ diffinitionem, comprehenduntur partes eſſentiales, ſimilares, & diſſimilares, integrantes, viuentes, & non viuentes, hæc enim omnia complent, & integrant corpus, vt vnicuique rectè intuenti patet.

Pars quid.

Vnde perperam, Saluus Clauus libro 2. art. med. text. 3. reprehendere videtur Argenterium, qui in ratione partis includi voluit materiam, & formam. Verum dupliciter (pace tanti viri ſit dictum) errat Saluus, primo quia Argenterium non rectè intelligit, ſecundò materiam, & formam negare eſſe partes, & non includi in eſſentia partis abſurdum eſt. Argenterium non rectè intelligit, nam Argenterius inquit, ſi conſiderant Ariſt. & Gal. ſubſtantiæ partes, tunc materiam, & formam illius ſcilicet hominis partes eſſe dicunt, quare ſimpliciter Argenterius non dixit, partes diffinitionum competere materiæ, & formæ.

Salui Sclani lapſus.

Secundò abſurdum eſt, quod dicit, neſcio enim quomodo colligere poteſt Galen. diffinitionem partis libro 1. meth. meden. cap. 5. eſſe tantum de partibus ſimilaribus, & inſtrumentalibus, & non de eſſentialibus, cum tantum gratis Saluus loquatur. Secundum igitur hanc à nobis allatam diffinitionem, vt diximus comprehenduntur partes eſſentiales, in quas quandoque etiam totum, quando corrumpitur, diuidetur, ſeu reſoluetur iuxta Philoſophi mentem libro 1. phyſ. text. 82. & quidquid corrumpitur in hoc abibit vltimum, de materia loquens. Partes etiam integrantes comprehendi adeo clarum eſt, vt alia declaratione non ſit opus. Idem etiam de viuentibus partibus erit philoſophandum, ſcilicet de carne, oſſe neruo, &c. vita præditis, partes etiam non viuentes in hac diffinitione comprehenduntur, & iuxta hoc partis ſignificatum loquitur Ariſt. libro 2. de part. animal. cap. 2. nam recenſet inter partes ſimilares noſtri corporis ſaniem, adipem, ſæuum, medullam, &c. & libro 3. de hiſtor. animal. cap. 2. enumerauit inter partes corporis, eaſque ſimilares, & ſanguinem, & hæc ſupradicta, & excrementa, vt ſtercus, & bilim vtramque, & pituitam, quia locutus eſt de parte communiſſime ſumpta, & ſecundum hanc rationem vngues, pilos inter corporis partes ſtatuere debemus, quamuis alibi non reponit inter partes pilos, & vngues, quia de parte alio modo ſumpta locutus eſt, ſcilicet de parte viuente.

Vnde ſecundum hanc partis acceptionem loquendo, non eſt cum Fernelio libro 2. de elem. cap. 2. ſentiamus, quem acerrimè reprehendit Argenterius, humores, ſpiritus, adipem, medullam, pilos, vngues non eſſe partes aſſerentes, cum vt ſupra patuit ſint partes, vnde ipſe aliam imaginatus eſt definitionem, ſcilicet, quod pars eſt corpus toti cohærens, communique vita coniunctum ad illius

illius functionem, vsuque comparatum. Sed certè allucinatur, nam si hæc omnia dicta, non sunt corporis partes, nescio quid erunt. *Conuellitur Fernelius.*

Addo etiam contra Fernelium, nam sequeretur ex hac diffinitione humores, & spiritus non esse animatos, cuius contrarium est probatum superioribus theorematibus, & infra de spiritibus probabitur. Nisi dixeris pro Fernelio medicam tantum attulisse diffinitionem partis, nam hominis corpus non quatenus physicum materia, & forma conflatum medicus contẽplatur, sed quatenus morbo, aut sanitati obnoxium est. Itaque ea tantum corpora nomine partis insignienda putat, quæ sanitatis, & morbi sunt subiecta, at eæ tantum partes morbis corripiuntur, quæ actiones edunt, actiones viuentium sunt non inanimatorum, siquidem morbus est dispositio præter naturam actionem primo & ipse lædens, quare medica tantum est Fernelij diffinitio. *Responsio pro Fernelio.*

Verum licet hęc omnia vera sint, tamen ipse cum physiologiam conscribat debebat vniuersalem magis diffinitionem insectari. Si autem sumatur pars pro viuente, sic multa, quæ sunt in corpore nostro non mærentur nomen partis, & sic quandoque Gal. & Arist. segregant à numero partium pilos, vngues in libro 2. art. med. tex. 12. vbi diuidit corpus insalubre, in insalubre, & neutrum, quę partes sunt sanitatis, & morbi capaces, quorum neutrum est in vnguibus, & pilis, cuius oppositum dixit libro 1. de nat. humana, verum in hoc loco locutus est de parte communissime sumpta, vngues enim, & pili quatenus integrant quodammodo, & exornant corpus, dicuntur corporis partes. Hac etiam ratione excrementa apud Arist. non possunt dici partes, quamuis supra diximus ex Aris. appellari corporis partes. Non enim sunt partes viuentes, licet possint habere vsum. Sed dices definiuit alibi Gal. partem, nec ne? Dicendum libro 1. de vsu part. cap. 1. diffiniuisse partem, sed strictiori vocabulo, primo tamen libro metho. med. cap. 5. communissimo vocabulo. Libro 1. de vsu part. cap. 1. dixit, quod pars est id, quod est cum circumscriptum ab alijs, tum alijs coniunctum. In qua diffinitione explicanda Argenterius libro 2. art. med. text. 3. lapsus est, nam voluit Gal. esse tantum de parte instrumentaria intelligendum in hac diffinitione, sed toto errauit cælo, nam etiam ossa, & nerui, quæ sunt partes similares, partim sunt coniuncta, & partim separata, nam ossa coniunguntur cum articulo, & sunt separata, quia non continua, sed contigua sunt. Sed ex dictis patet etiam Auic. diffinitionem non esse recipiendam, nam est nimis angusta; cum tantum partibus similaribus, & non etherogeneis competat, dicebat enim libro 1. fen. 1. duc. 5. cap. vnico, mẽbrum esse corpus ex prima humorum permistione genitum, vt humores ex prima constant ciborum mistura, & cibi ex elementis. Sed quis est tam cæcutiens, qui non videat dissimilares partes immediate ex similaribus ortum ducere, & non ex prima humorum mistione, quod etiam Gal. docuit libro 1. de elemen, vbi dixit compositas partes ex simplicibus, simplices ex humoribus, humores ex alimentis, alimenta ex elementis constant. Sed Auic. expositores viderunt hanc difficultatem contra Auic. allatam, & conantur tueri Auic. nam inquiunt includi in hac diffinitione dissimilares partes, præter similares, nam dissimilares in materia communicant cum similaribus, & ob id Arist. libro 1. de generat. animal. cap. 18. dicebat similares fieri à dissimilaribus, ergo partes dissimilares essentialiter inquiunt, nil aliud sunt, quàm similares. Sed tunc sequeretur diffinitionem esse datam potius per materiam, quàm per formam, quare non est exacta diffinitio, cum potius per formam, quàm per materiam debeat exhiberi. *Obiectio. Responsio. Argenterij mala expositio. Auicennæ diffinitio non est recipienda. Responsio Auicennistarum. Cõfutatio.*

Similiter etiam confutatur diffinitio Conciliatoris, qui dixit, partem esse solidum, & spissum ex humiditatibus genitum naturæ viribus prępollens, nam de similaribus tantum partibus verificatur. Quare illa à nobis superius data diffinitio melior cæteris est, nam tàm essentiales, quàm integrales, tàm similares, quàm dissimilares, tàm viuentes, quàm non viuentes partes comprehendit, & hæc de hoc argumento dixisse expediat. *Conciliatoris diffinitio non est exacta.*

De partium numero, seu diuisione, et quot sint principes partes.

Theorema. XLV.



Clarissime constat ex dictis aliàs esse partes essentiales, vt materia, & forma, & alias integrantes, vt cor, cerebrum, hepar, testes, &c. partes. Verum de partibus essentialibus in præsentiarum nullus sermo. Nam de his sufficienter peractum est ab Arist. libro 1. & 2. phys. De partibus verò integrantibus sermo à nobis fiet, & quoniam harum, aliæ sunt principes, aliæ ignobiles, aliæ sunt similares, aliæ dissimilares, ideo de his erit tota nostra tractatio, de non viuentibus alibi si erit occasio, scilicet de pilis, & vnguibus. Nunc autem in præsenti theoremate quærimus, quot sint principes partes, an sint tres, an quatuor. Verum præsens theorema determinare non possumus, nisi sciamus prius quid sit pars princeps, nam ex partis principis essentia liquebit quot sint principes partes. Breuiter igitur dicatur, cum Galen. libro 6. de vsu part. cap. 7. principem partem esse, quæ toti facultatem largitur, vel materiam saltem, & simpliciter sit ad vitam necessaria, & hoc modo quot erunt principes partes infra patebit. *Pars princeps quid sit.*

Vnde per principem partem, seu principium nos non intelligimus partem, à qua aliæ quædam partes oriantur, nam in hoc sensu non tria, nec quatuor, vt voluisse videtur Gal. libro 2. art. med. text. 12. Sed multo plura, nam aspera arteria à pulmone, intestina, & gula à ventriculo, ab ossibus cartilagines, & ligamenta trahunt originem, quare præter cerebrum, cor, & hepar, & testes essent

hæc

hæc alia, quod neutiquam verum est. Nec pars princeps dicitur illa, quia cum hoc existit vita, quia tunc testes principales non essent contra Galen. libro 2. art. med. text. 12. vbi testes inter principes partes enumerat. Nec pars princeps dicitur quia publicam habeat actionem ad totum corpus, nam tunc ventriculus esset pars principalis contra Gal. & omnes, nam deseruit toti muneri publico. Nec debet intelligi pars princeps vt Turisanus libro 2. art. med. com. 12. quia ab hac procedit virtus in membra, & aliud scilicet sanguis, & spiritus, nam ab hepate nulla vis procedit, cum tantum materiam det toti corpori. Nisi dixerimus pro Turisano disiunctiuè esse suam sententiam intelligendam, & hoc modo veram esse, non autem coniunctiuè. Nec sumitur tandem pars princeps, quod sit ad vitam necessaria, seu absolute ad indiuidui totius conseruationem, vt sumit, & definit partem principem ex Gal. libro 9. de vsu part. cap. 7. Andræas Laurentius, nam vt sic non sunt tria tantum membra principalia, vt ipse postea dicit, scilicet cor hepar, & cerebrum ex mente Gal. lib. 14. de vsu part. cap. 1. triplex enim est inquit Gal. Scopus naturæ in partium humani corporis structura, nam aliæ sunt ad viuendum necessariæ, cuius generis sunt cerebrum, cor, hepar, aliæ ad viuendum commodius, vt oculi, nares, aures, manus, aliæ ad generis restaurationem, vt pudenda, testes, matrices.

Sed certè ex hoc loco colligere non possumus, tantum tres esse principes, vt innuere videtur Gal. nam etiam ipse Gal. non negaret ad viuendum simpliciter in animalibus esse ventriculum necessarium, loquor autem de necessario simpliciter, non secundum quid, nam illud est apud logicos necessarium simpliciter, sine quo res esse non potest, sed sine ventriculo corpus humanum ne vtiquam esse potest, ergo simpliciter est ad vitam necessarius. Nec valet, quod obtrudunt non nulli de animalibus latentibus sub terra, vt glyres, ranæ magnæ, quæ per sex menses thesaurizant ex Auer. lib. 2. de anima, & tamen ventriculus non chylificat, nam etiam quidam hydropici viuunt per multum temporis sine αἱματόσῃ, quæ ad hepar pertinet, loco enim sanguinis generant veram pituitam. Addo etiam esse disparem rationem de illis animalibus, & de corpore humano, de quo nos loquimur, nam etiam potest esse, vt in ventriculis illorum animalium sit pituitæ multa copia, & in venis etiam, quam calor naturalis concoquit in dies, & digerit, & sic actio ventriculi necessaria adhuc est in illis animalibus.

Quare poteris dicere, quod ventriculus est simpliciter necessarius. His adde, nam quomodo potest stare vita, si ventriculus auferretur? Certè neutiquam. Idem etiam de pulmone, liene renibus, vesica, & intestinis, & quibusdam alijs partibus erit tenendum pro certo; Vnde rectè dixisse videtur Hip. & Gal. libro 6. Aphor. 18. Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex intestinis tenuibus, aut ventriculo, aut iecore lethale esse. Quare si vulnera harum partium mortem de necessitate afferunt, quanto magis harum omnimoda priuatio. Non me latent quæ pulchra dicit Donatus Marcellus libro 5. de Hist. medic. multos superuixisse ex læsione harum partium, tamen hoc non tollit, si omnino auferantur. Quamuis enim fuerint aliqui, qui ex vulneribus harum partium superuixerint, tamen maior pars moritur. Quinimmo credendum, hoc non esse tàm contra nos, quam contra Laurentium, nam etiam cerebro læso, & hepate homines superuixerunt, quæ tamen sunt secundum ipsum membra principalia. Parum autem refert, quod ait, scilicet quod ventriculus, & pulmo &c. non sint principales, sed principalibus seruiunt, operamque præstant, nam hoc modo etiam hepar esset principalissimum, quia ipsum sanguinem præbet cordi, & cæteris partibus. Addo etiam tantum cerebrum esse principalissimum, nam sine cerebro cor, vt calidissimum viscus manere non potest.

Quæ certè est absurda philosophia, cum enim vnicum sit consensus in partibus, & vnica conspiratio, & omnia in omnibus ex Hip. & Gal. libro 6. epid. com. 6. text. 1. & libro 1. de simpl. med. fac. cap. 12. libro 2. de diff. feb. cap. 11. libro de loc. in homine in principio, quare non debebat colligere ex hac principis partis diffinitione tria tantum esse membra principalia cum secundum hanc mul to sint plura, vt diximus. Vt ob id magnus Galen. libro 6. de Hip. & Plat. plac cap. 7. quando partem principem ab alijs cognoscere docuit, non dixerit tria, vel quatuor esse partes principes, sed tantum de corde exemplificauit.

Aduersus Andræam Laurentiũ. Ad id quod affert Laurentius dicendum, si ventriculus non esset, & si pulmo non esset, nec cor, nec brachium, nec crus superstita manere poterunt. Parum autem refert, quod pulmo sit pro corde fabricatus, nam etiam cerebrum pro corde, vt scilicet attemperet calorem cordis, quare maledixit Andræas Laurentius. Bene igitur dictum est in principio partem principem esse quę ad vitam simpliciter sit necessaria, & toti facultatem, vel materiam saltem largiatur, quare ex Galen. duobus locis libro 6. de vsu part. cap. 7. & libro 6. de Hip. & Plat. plac. vnica fiat diffinitio principis partis, sic ventriculus, renes, septum, pulmones, vesica, intestina, & si quæ aliæ sunt huiusmodi, quam vis principes dicantur ratione primi, non tamen ratione secundi, scilicet quia facultatem non mittunt, vel materiam toti. Sed tandem quot erunt modò principes partes, hac stante principis partis diffinitione? Dicendum certè vnam non esse, nam diuersa est substantia, & dissimilis structura neruorum, arteriarum, & venarum. Quare quomodo ab vna parte tàm varij generis organa nascentur? Amplius quomodo tàm diuersæ facultates possunt ab vnica parte eodem temperamento præditæ manare, cum facultates animæ corporis sequantur temperiem.

Quot sunt tandẽ principes partes.

Tertiò debent organa in ortu esse crassissima, vt celeriter, & confestim facultates cum spiritibus in vniuersum corpus effundant, at non tanta est cordis, nec alterius principij moles, quæ omnia ex se possit fundere.

Quartò videmus distinctas operationes in corpore, quæ vni scilicet cordi attribui non possint, nam videmus sensum, & motum ex cerebro, & tunc si cor esset primum principium omnium facultatum, tunc patiente corde animal afficeretur in facultate rectrice, in sensu, & motu, quorum contrarium videmus in tertio hecticæ gradu, vbi cor est maxime affectum. De hepate iam patet quomodo sit sanguinis author ex superioribus.

Quare ex his patere arbitror vnam non esse posse principem partem. Mitto hic, quæ afferat Scali-

Scaliger exercitat. 289. pro Aristotel. vt scilicet Aristot. cum Gal. conciliet. Vna igitur non est pars principalis in corpore nostro. Quot igitur erunt? Dicendum esse tres principes partes, scilicet cor, cerebrum, & hepar. *Tres sunt principes partes in corpore.*

Cerebrum animalem facultatem mittit, cor vitalem. De hepate ambigi potest, tamen si facultatem non mittit, cum ipsa insita sit, tamen materiam mittit, quod satis est ad principis partis naturam, ventriculus verò, renes, pulmo & c. nil mittunt, quare ob id principes non sunt, tres ergo principes partes, tum si instrumenta spectes, tum si operationes contemplaris, tum si facultatum principia intuearis. Quantum ad primum per neruos animalis spiritus influit à cerebro, à corde vitalis per arterias, ab hepate naturalis per venas. Quantum ad secundum iam supra declarauimus. Quantum ad tertium de cerebro, & corde iam est declaratum, de hepate diximus si non facultatem, saltem materiam mittere.

Sed quid de testibus sentiendum. Dicendum ipsos non esse ad vitam simpliciter necessarios, vt experientia quotidiana patet, & Galen. confessus est libro 4. de vsu part. cap. 1. nec etiam materiam, & facultatem toti corpori præstant, quare partes principales non sunt. Dices ex Galen. lib. 2. art. med. cap. 12. esse principales, & libro 1. de sem. cap. 15. testes esse corde nobiliores, nam cor viuendi author est, bene tam viuendi causa sunt testes, præcisis enim testibus omnis amoris, & libidinis vsus extinguitur, & effæminata corpora fiunt, nec fæminas mares prosequuntur, nec latitudo venarum adest, nec validi pulsus, sed languidi, ac interit vigor omnis, quare quanto ipso simpliciter viuere nobilius est pulchre, & bene viuere, tanto testes nobiliores sunt corde. *De testibus quid sentiendum. Instantia. Solutio.*

Sed respondetur ad primum de art. medica ibi vocare Galen. principia testes, non tamen principia eo modo, quo nos scilicet partes principales exposuimus, sed principia scilicet ad prolis propagationem, & generis humani restaurationem, vt Galen. volebat libro 14. de vsu part. cap. 1.

Ad secundum respondetur hyperbolice Galen. loqui aliter sophistica eius ratio esset, nam si testes darent viuere, & bene viuere curreret argumentum, Galen. at quoniam cor dat viuere, & ipsi bene viuere ideo non currit argumentum. Dubitabis postquam tres sunt principes partes, scilicet cerebrum, cor, & hepar, quod nam harum est magis princeps, & necessaria? Dicendum hanc dubitationem similem esse (quantum ad necessitatem) dubitationi, quæ fit de quatuor elementis, quorum ad vitam alterum altero non est magis necessarium, vt sensus, & experientia hoc dijudicant, ita & de his tribus partibus dicendum, quare quantum ad necessitatem harum partium, altera non est magis necessaria ad vitam. *Dubitatio, an cor, an cerebrũ, an hepar sint princeps par. Solutio.*

Dices Galen. libro 2. de plantis, Hippocr. & Platon. cap. 4. obseruauit, quod in sacrificijs, conspicitur interdum victima erepto corde, arisque iam imposito respirare, clamare, & aufugere tantisper quod per sanguinis profluuium conciderit. Dicendum etiam Auer. dixisse approbatum, scilicet se vidisse arietem capite obtruncato ambulantem, & alibi Galen. dixit citissimas fieri mortes læso corde, quare istæ esperientiæ nec pro vna, nec pro altera parte faciunt, de motu illorum animalium dicere possumus, illum nec fieri à corde, nec à cerebro, sed à passione scilicet reseruata, idest à calore spirituoso reseruato in partibus animalis. *Instantia. Solutio.*

Quare si de necessitate vitæ loquimur, tunc dicendum cerebrum corde esse præstantius ob diuiniores, & præstantiores, quæ in capite fiunt operationes, vt ob id dixerit Aristotel. in problematibus 33. parte problemat. 7. caput esse membrum omnium præcipuè diuinum, vnde cogitatio est, & ob id sternutamentum pro numine haberi, in capite enim magis ratio manifestatur, inquit Conciliator, quod indicat eius læsio, & maximè partis mediæ, & Plato, ante in Timæo dicebat caput esse omnium corporis partium diuinissimum, & reliquarum membrum princeps. Quamuis illic Aristotel. exotericè videtur loqui, cum alibi cor posuerit. Dices cerebrum sine spiritu cordis, & caloris influxu non posse sua munia, & functiones exercere. Dic id cerebri potius præstantiam magis indicare, finis enim nobilior est ijs, quæ sunt ad finem. *Caput cur diuinum, & sacrum. Obiectio. Solutio.*

Tertiò hepar subsequitur in nobilitate. Quæ tamen omnia secundum statum sanum sunt intelligenda. Non enim me latet Galen. libro 7. method. meden. capitulo vltimo, vbi de meth. indicationis, quæ à læsæ partis natura desumitur, egit, paulò dissimilem habuisse sententiam, cum de ægroto statu loquebatur, dicebat nanque maximam esse cordis officij dignitatem, & ægrotantibus maxime necessariam. Cerebri verò ad vitam quidem par esse momentum, non tamen par robur eius in ægrotis requirimus, cum necesse omnibus non sit, neruorum, ac musculorum opera vti.

At verò iecinoris opus omnibus particulis pernecessarium est, non tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet sicuti ipsius cordis &c. Illud tamen, antequam ad aliorum sententias accedam, non erit prætereundum, quod quamuis cerebrum secundum præstantiam cordi pręstet, & cor, hepati, tamen hę partes adeo sunt ad inuicem connexæ, vt altera alteri opem præstet, mutuis gaudeant actionibus, & harum vna emoriente statim alię cadunt.

Quid alij senserint.

Aristotel. pluribus in locis determinauit, vnicam esse principem partem, scilicet cor, quod sit principium omnium facultatum ex libro secundo, de part. animal. capitulo septimo, & & decimo, & libro tertio, capitulo quarto, libro secundo, de generatio. animal. de vita, & morte, de somno, & vigilia, & de causa motus animalium, Auer. libro septimo, colliget. cap. 10. 11. 12. & confirmatur rationibus. Multitudo principatuum mala, vnus ergo princeps ex libro 12. metaphys. & libro 8. phys.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος,

Haud multos regnare bonum est, Rex vnicus esto.

Ergo frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, ergo non tres partes principes, ergo vna, nam sicuti in megacosmo vnus est motor, ita in microcosmo. Amplius cor ideo in medio positum est, vt sit tanquam rex. Dicendum pro medicis in homine esse posse plures principes partes, vt supra demonstratum est, & quando nulla est discordia possunt esse plura principia, quare tunc est multitudo principatuum mala, quando est inter se discordia. Nec est inconueniens esse tres principes partes, nam etiam in mundo magno sunt quatuor elementa, nonne natura poterat facere vnum? Ad illud de situ dicimus, cor non esse in medio vere geometrico, nam vmbilicus est positus in medio, & hæc hactenus de partibus principibus. Verum quoniam mihi contigit olim cum in Lyceo philosophorum versabar Arist. defendere, vt cor sit motus principium, & neruos ab ipso originem trahere, ideo volui quoque curiositatis gratia annectere duo hæc theoremata, non quod mihi mens sit ab Hip. & Gal. recedendi, sed exercitationis gratia.

An cerebrum, an cor sit principium motus, vbi disputatur, an nerui à corde, an à cerebro ducant originem, vbi etiam de natura sensuum internorum non nihil tractatur.

Theorema XLVI.



Celebris, præclara, verum difficilis est præsens disputatio, quam præ manibus habemus: celebris, & præclara, tum ob dignitatem, atque præstantiam problematis, tum etiam ob grauissimorum virorum dissentionem Hippocr. Platon. Arist. & Galen. difficilis ob varias variè sensientium opiniones. Eapropter ipse Arist. sententiam explicare, atque sectari totis viribus conabor, parcant mihi pro nunc duo illa splēdidissima medicinæ lumina, quibus toto vitæ meæ curriculo illuminari ardentissime flagror Hip. & Gal. Quod si è voto mihi res ipsa non successerit in tanta præstantissimorum dissentione, sat erit periculum facere, & in magnis, vt fertur, voluisse. Arist. igitur, & omnium ferè philosophorum opinio est, cor esse principium, tum sensus, tum etiam motus, vt libro 3. de part. animal. cap. 4. libro de som. & vigil. cap. 2. & libro de iuuent. & senec. cap. 4. & alijs in locis. Et pro confirmanda hac secta asserunt vt vel à Gal. sint concessę, vel à nullo erudito viro negari iure optimo possint rationes tales.

Arist. sententia.

Primò sumendum cum Arist. simulque cum ipsa rei natura cerebrum esse frigidissimum, hoc fundamentum tamen sana mente intelligendum est, non enim absolutè frigidissimum est, sed in comparatione cæterorum membrorum nostri corporis. Qua de re nullius est momenti hac in re Gal. cauillus, dum inquit cerebrum non esse frigidissimum, sed esse omni calido aere calidius, & ob id calcanea inquit Gal. maiorem vim habent refrigerandi cor, illis nanque refrigeratis, & humectatis statim vniuerso corpori communicatur frigus, certè sophismata sunt hæc Gal. si quidem nec Arist. nec vllus alius ita vel cæcus, vel proteruus, ac pertinax fuit, vt cerebrum nil penitus habere caloris & absolutè frigidum esse dixerit, sed solum comparatione aliorum membrorum animalis, præsertim autem viscerum, cum enim omnia calorem habeāt, minimum omnium habet cerebrum, & hac ratione frigidissimum dicitur, nec calcanea hoc temperamento sunt donata cum sint carnosa, nec semper madefiunt, & refrigerant, vt supponit Gal. Mitto distantiam nunc, quam habent calcanea cum corde, quam non habet cor cum cerebro.

Nota quatuor fundamenta pro Aristot. opinione. Primū fundamentū. Gal. cauillus.

Frigidum esse valde ipsum cerebrum multis signis ex Aristotel. comprobatur. Patet in primis eius frigiditas ex eo, quod non est carnosum, partes enim carnosæ calidæ sunt, coctum etiam durescit, & non liquefit, ergo signum est ipsum esse naturæ terreæ, & aqueæ. Tandem probatur ex fluxionibus, cordis enim calore à cibo vapores ad cerebrum ascendunt, qui cerebri frigiditate nimia ingrossati, & condensati descendunt, & per nasum, & per saliuam expurgantur, illique vapores infrigidati descendentes sunt in causa, vt spiritus confugiant ad cor, & sic fit somnus, qui est affectio cordis secundum Aristotel. non valentis virtutem, atque calorem spirituosum communicare sensibus.

Cerebrum frigidum esse probatur

Secundò sumendum est, cerebrum sui frigiditate contemperare calorem cordis, hoc autem secundum fundamentum adhuc sano modo est intelligendum, cum enim clarissime constet spiritus generari in corde, quod in animali est calidissimum membrum, quod ex inspiratione, & respiratione est manifestum, illi spiritus, vel per arterias, vel neruos deferuntur ad cerebrum, vbi attemperantur, atque refrigerantur à cerebri frigiditate, vt calidius à minori calido patitur, tanquam à frigido, refrigerantur, itaque spiritus vitales in cerebro, & huius refrigerationis causa finalis, scopusque naturæ manifestus est.

Secundum fundamentum.

Sic enim ad cognitionem aptiores redduntur, nimius nanque calor impedimento est cognitioni, quia calor motum, & agitationem efficit, cognitio autem quietem, & stabilitatem requirit iuxta illud lib. 7. phys. tex. 10. sedendo, & quiescendo fit anima prudens.

Hoc

Hoc simile testatur Arist. libro 2. de part. animal. cap. 10. de ipso sanguine, & clarius lib. 2. eiusdem libri. Hæc idem Galen. in libro de oculis dum asserit cerebrum calidius minus esse aptum ad speculandum, spiritus ergo vitalis si aliquantulum refrigeretur aptior redditur ad sensum, & ad omnem cognitionem.

Ad hunc sensum si trahamus illa, quæ ab Arist. de cerebro libro 7. cap. 2. de par. animal. dicuntur, inanis redditur Galen. aduersus Arist. exclamans in libro 8. de vsu part. quod enim officium cerebri sit calorem cordis moderari asserere absque vlla absurditate possumus, si id sano modo intelligamus, cum enim spiritus vitales sint primum animæ instrumentum, & in corde generentur, & ab eo ad omnes partes mittantur ad eorum calorem moderandum, dedit natura animalibus cerebrum, quod suo frigore calorem spirituum, qui illuc mittuntur, imminuens, eos ad cognitionem redderet aptiores, ob id sola sanguinea animalia, vt potè calidiora cerebrum habent, & ob hanc causam inter cætera animalia homines satis magna cerebri mole fruuntur, quippe qui maximè omnium ad cognoscendum, & ad contemplandum natus sit. Ex his ergo patet, quod nam cerebri officium sit, & cur fuerit à natura constitutum, eius enim officium est, calorem spirituum cõtemperare.

Tertiũ fundamẽtum.

Tertiò sumendum est hoc aliud, spiritus generari à corde tanquam à fonte caloris, his enim vtitur anima tanquam primo instrumento, calor enim animæ est primum instrumentum, & quæcunque facit anima per calorem naturalem facit, cum quo coniuncta est substantia spirituum, qui spiritus cũ calore deferuntur per arterias, & neruos ad cunctas corporis partes. Cor igitur existens fons, & origo omnis caloris erit principium spirituum.

Quartum.

Quartò, & vltimò sumendum spiritus esse primum instrumentum sensus, & motus, non tamen negamus cerebrum esse instrumentum sensus, & motus, dicimus tamen nullam ibi sensationem, ac motum fieri, nisi beneficio spirituum, qui à corde illuc per arterias mittuntur, vt Galen. confitetur libro septimo, de vsu part. asserit enim animal ex cerebri sectione nullam in sensu, & motu læsionem recipere, nisi ad aliquem cerebri ventriculum vulnus penetrauerit, cum enim ventriculi spiritu sunt repleti, inquit ex illius spiritus ex inanitione animal remanere stupidum sine sensu, & motu, postea verò iterum restitui, cum iterum ijdem ventriculi spiritu repleantur, & hunc à corde ad cerebrum mitti Gal. non negat.

Quare dicendum omnem sentiendi vim, ac mouendi à spiritibus contribui cerebro, proinde à corde, in quo primum generantur, & à quo ad omnes corporis partes per arterias deferuntur. His vtitur immediatè anima, hi vtuntur neruo, & tandem neruus per musculos mouet cunctas corporis partes. Cerebrum igitur est instrumentum secundarium, quod vim recipit à spiritibus. Quod verò dicitur à Galen. secto, vel constricto neruo statim musculum motu priuari, nobis non officit, nam agens primarium, licet instrumentis vim agendi tribuat, tamen vicissim eget instrumentis, ac ministris ipsi à natura assignatis, ita vt sine illis operari nequeat, neque igitur spiritus, neque anima ipsa absque neruorum ministerio mouere potest, sicuti neque nerui sine anima, vel sine spiritu vitali.

Similiter etiam experimur constricto, vel compresso brachio, vel crure, ita vt spiritus refluat ad interna, manere totum brachium, vel crus stupidum sine sensu, & motu, quamuis neruos obtineant integros. Idque Galen. confitetur in libro 6. de vsu part. Est igitur neruus necessarium animæ instrumentum ad sensum, & motum, sic & spiritus, immò magis spiritus, cum immediatè inseruiant primo agenti, & per ipsum facultas neruis ab anima tribuatur, quare neque absque neruo, neque absque vitali spiritu has operationes edere anima potest. His constitutis, rationes afferamus quibus cor est principium omnium operationum, & per consequens motus, & sensus, ex quo sequatur oportet, neruos ab ipso dependere.

Rationibus multis probatur cor esse principiũ sensus, & motus.

Sit igitur prima ratio. Cor est principium motus, & caloris, vt supra fuit ostensum, ergo est principium motus voluntarij, probatur consequentia, quia illud membrum dijudicandum est principium motus, ex quo oritur primò virtus deseruiens tali motui, scilicet spiritus, sed spiritus, & caloris instrumentum primum est cor, ergo, & virtutis voluntariæ motiuæ erit adhuc primum instrumentum cor, patet, nam animalia progressiua mouentur mediante calore, & mediante calore mouetur neruus, & mediante neruo mouetur musculus.

Secundò cor est principium totius vitæ, ergo omnium operationum vitalium, sed voluntarius motus est quædam operatio vitalis, patet hoc ex libro 8. phys. in principio, nec non ex Plat. libro 10. de legibus, viuere enim illa ibi docuit Plato, quæ motionis principium intra se continent, sequitur ergo cor esse principium motus voluntarij, assumptum primum patet, nam cor secundum Aristotel. hoc tamen non negante Galen. est principium, & origo spirituum, atque caloris, qui spiritus vim motiuam, ac sensitiuam deferunt neruis, nerui verò musculis, & sic fit motus. Verum Galen. vt hoc argumentum effugeret mirabili subterfugio vsus est, & vt cordi principatum sentiendi, atque mouendi adimeret, cerebroque tribueret duos dari spiritus autumauit, vitalem alterum, qui generatur in corde, alterum verò animalem, qui generatur in cerebro, qui spiritus animalis est principium motus in cerebro, & non in corde, non negat ergo Galen. spiritum vitalem à corde ad cerebrum per arterias deferri, sed inquit, eum in arterijs esse vitalem, ac in cerebro mutari à facultate cerebri in animalem, & huius mutationis modum declarans ait, spiritum vitalem mitti primum à corde ad illum reticularem plexum, qui sub cerebro est, & ibi aliquantulum elaborari, deinde ab eo per arterias ferri à ventriculo cerebri, vbi perfectius elaboratur, & exquisitius concoquitur, & mutatur in animalem. Verùm Gal. cũ hac spirituum distinctione nihil pro sua sententia est consecutus. Primo enim quisquis intelligit quid sit concoctio cognoscet hoc Gal. dicto nil posse ineptius pronuntiari. Coctio enim fit à calore, quomodo spiritus vitales calidissimi à cerebri frigiditate nimia concoqui possunt? At elaborantur inquit à cerebro. Nos igitur sana mente philosophemur, quo nam pacto elaborantur. Certè nulla esse poterit alia cerebri elaboratio, seu actio in spiritus quàm refrigeratio, necesse enim est, vt calidius à minus calido, tanquam à frigido patiatur, atque refrigeretur, itaque refrigerantur spiritus vitales in cerebro.

Galeni subterfugium.

Cõfutatur

H 2 Causam

Causam verò huius refrigerationis diximus in secundo fundamento. Certum est igitur spiritus à corde missos aliam non pati alterationem, quam refrigerationem, ex maiori enim recessu à fonte caloris necesse est, vt eorum calor aliquantulum imminuatur, & adhuc à proprijs singulorum membrorum temperaturis multas recipiunt varietates, quo enim magis ad frigiditatem vergit membri temperies, eò magis remitti spirituum calorem opus est, maximè verò in cerebro, quod vt diximus admodum frigidæ temperaturæ existit. Quare si hæc spirituum alteratio sit diuersorum specie spirituum generatio appellanda, dicendum erit, spiritus concoctiuos non in corde, sed in ventriculo ex vitalibus à corde prouenientibus generari, sic sanguificatiuos ex vitalibus generari in iecore, apprehensiuos in manibus, lactificatiuos in mammis, carniuificatiuos in reliquis membris, & sic quam plurimos alios, non enim est dispar ratio ab ea, qua Gal. dicit, spiritus cognoscitiuos, seu animales non in corde, sed in cerebro ex vitalibus generari.

Quid igitur dicemus ne tot spirituum sint species, quot in diuersis partibus operationes à spiritibus fieri cernuntur? An pudebit nos ita philosophari, & huiusmodi fabellis veritati tenebras effundere. Dicamus igitur nos differentiam secundum magis, & minus, non variare speciem, vt manifestè patet de calore cælesti, & elementali, qui specie non differunt, sed alteratione quadam, ita ergo existimare debemus de spiritibus in animalis corpore esse eiusdem speciei, & vitales vocādos, & in solo corde generari, quod si à diuersis operationibus, eos varijs nominibus distinguere quippiam velit non prohibemus, dummodo ratione substantiæ spirituum accidentalem esse differentiam fateamur.

Sic enim quàm plures artifices videmus ad varia opera varios caloris gradus adhibere, prout singulorum operā conditio postulat, coquus enim in cibarijs coquendis, atque condiendis modo plus, modo minus ignis subijcere consueuit, eadem tamen est species ignis, & idem specie calor, quo ad omnia vtitur. Sic etiam de spiritibus existimandum omnino est.

Tertiò, & principaliter arguitur ad prædicta cor esse principium motus, & sensus. Quod est insensile nullius sensus potest esse principium, sed cerebrum est insensile, ergo, probatur minor, nam videmus in vulneribus, quod si recidatur ipsa cerebri substantia, aut pungatur ægri non sentiunt.

Verum Monachus libro secundo, art. med. com. 5. reflectit hanc rationem contra Arist. dicens, si enim non potest esse principium sensus, quod insensile est, non poterit pari ratione principium visus esse, quod inuisibile est, & tunc cor non erit principium visus, cum ipsum non videat, quod est contra Aristotel. volentem vniuersaliter principium omnis sensus esse cor. Sed Monachus decipitur, ratio enim Aristotel. supponit vnum verissimum in vera philosophia, scilicet omnes sensus præsupponere tactum, tanquam primam radicem sensuum exteriorum, & ita vbi non est tactus nec alij adsunt sensus, à quo enim negatur tactus negantur, & alij sensus exteriores, nullum enim animal est absque tactu ex libro 2. de anima, & ideo Aristotel. inquit, insensile nullius sensus esse causam, sed à cerebro, vt supra experientia comprobatum est, relegatus est tactus, ergo cerebrum non poterit esse principium motus, & sensus, sed cor.

Decipitur Monacho.

Argumentum verò de visu pro instantia adductum à Monacho nullo pacto militat, quoniam visus est sensus particularis, non prior origine, vt tactus, & ita potest quod non est actu visiuum esse causa visionis.

Nec valet, quod habet Argenterius ex Galen. respondens ad hanc tertiam rationem, quod scilicet cerebrum factum est à natura non vt sentiat, sed vt sentiendi facultatem tribuat. Sed contra nemo dat, quod non habet, sed cerebrum non habet sensum, ergo ab ipso sensus principium prouenire non potest.

Argēteri⁹ non est asse cutus intē- tum.

Quartò cerebrum non potest esse principium sensus, cum sanguine careat, nam omnis operatio fit à calore, & sanguine, in cerebro non est multus calor, vt supra fuit probatum. ergo.

Quintò cerebrum est quid discontinuatum à partibus sentientibus, ergo non poterit esse principium motus, & sensus, cor autem cum sit in medio animalis commodius poterit esse principium motus, & sensus, & licet continuatur cum neruis, & nerui cum carne, tamen promptius, & primò cor continuatur cum partibus sensientibus, quàm cerebrum. Dices est pulmo. Respondeo quod non, nam pulmo non habet tantam spirituum copiam, & arterias habet à corde. Adde etiam, quod pulmo est membrum fungosum.

Obiectionis solutio.

Sextò animal quandoque mouetur ad sinistram, quandoque ad destram, & omne mouens proximum debet esse simul cum moto, ergo debet esse in medio physico saltem, nisi sit in medio geometrico, nam vmbelicus est in medio geometrico potius, quàm cor, si æqua lance corpus ponderetur, cor ergo statuendum est principium totius sensationis, ac motionis cum cerebrum sit quid remotum, vt supra dictum est.

Septimò id quod primò mouet, & viuit in generatione est sensus, ac motus principium ac in embrione nondum efformato cor palpitare videtur, & sentire, ergo ipsum erit sensus, & motus principium.

Nunc autem non disputo, an primo generetur hepar, quàm cor, nam apud anatomicos constat prius vasa scilicet venas, & arterias generari, deinde membra. Nec valet quorumdam responsio, cor esse principium motus naturalis, non autem voluntarij, cum enim supra fuerit probatum, spiritus oriri à corde, eosque contribuere neruis vim motiuam, quare clarissimum, & manifestissimum est, cor esse principium motus voluntarij, cum etiam nerui ab ipso ducant originem, vt infra dicemus.

Responsio quorūdam repellitur.

Octauò vbi est appetitus, ibi est principium sensus, & motus, sed in corde est appetitus, vt patet in motu iræ, amoris, aliarumque animi affectionum motibus, quæ sunt in corde, ergo ibi est sensus, ac motus principium. Quare concludendum est ob has rationes probabiliorē videri posse Arist. sententiā, neruosque à corde propagari adhuc fatendū, & non à cerebro, nec à nucha, sed tantum à corde, si enim in corde est principiū sensus, & motus, scilicet spiritus vitalis ab ipso productus, ergo erit,

erit, & aliud inſtrumentum, quod recipiat vim illam motus, & ſenſus, hoc autem ſunt nerui, ergo nerui à corde propagantur. Confirmo etiam, nam conſtat ex anatomicis adminiſtrationibus cor habere neruum in maximo ventriculo, qui quidem neruus oritur à recurrente ſiniſtro, qui ad cerebrum contendit. Erat enim naturæ ſatis congruum, atque conueniens, vt à corde exilis oriatur neruus, deinde ad cerebrum aſcendens multiplicari, ſicuti nos oculata demonſtratione videmus, paruos, & exiguos eſſe fluuios in principio, in progreſſu verò fieri maximos. Adhuc ab ipſo corde propagatur vena aorta, quæ venalis arteria magna dicitur, quàm totam nerueam eſſe ſenſus, & experientia confirmant.

Secundum Ariſt. nerui vidētur à corde exoriri.

Addo etiam, cor primò generatur ſaltem ante cerebrum, & mouetur, & ſentit, ergo habet inſtrumenta motus, inſtrumenta motus ſunt nerui, ergo in corde ſunt nerui, & per conſequens cor eſt principium neruorum, tandem cor magis proportionatur neruis, quàm cerebrum, cum tum nerui, tum etiam cor ſint ſubſtantia quædam indurata. Cor igitur erit principium motus, & ſenſus, & per conſequens neruorum. Hinc tamen vnum diligenter notandum eſt, tripliciter neruos à corde generari intelligi poſſe, vel primo ſecundum materiam, & ſic nullum membrum generatur ab alio membro, vel ſecundum efficiens, & nec etiam hoc modo dicendum neruos ſuam trahere originem à corde, vel tertio modo, vt Ariſt. & Galen. intelligunt, non quod nerui generentur, vel ex corde ſecundum Ariſt. vel ex cerebro ſecundum Gal. tamquam ſecundum materiam, & efficiens, ſed quoniam coniunguntur illi, & continuantur, ac copulantur, & ſic ſecundum Gal. cerebro continuantur, & ſecundum Ariſt. cordi, & illi ſeruiunt, & ab illo recipiunt virtutem ſuarum operationum, & quoniam probatum ſufficienter eſt ſecundum Ariſt. principium virtutis motiuæ eſſe in corde, ideo neruos à corde manare probabiliter teneri poteſt.

Quomodo dici poteſt, neruos à corde originem ducere.

Sequitur etiam ex dictis, virtutes internas omnes, phantaſiam, ſenſum communem, ac memoriam eſſe in corde tanquam in proprio organo, fonte, & origine omnium operationum vitalium, omneſque iſtas virtutes ſecundum Ariſt. vnum eſſe re, ac ſubiecto fatendum eſt, plures autem nomine, ac ratione, vt ex multis locis Ariſt. colligi poteſt, vt enim dijudicat differentias ſenſibilium propriorum appellatur ſenſus communis, vt apprehendit in abſentia ſenſibilia appellatur phantaſia, vt vero non apprehendit præteritum, qua præteritum eſt, appellatur memoria. Sed dices ex Ariſt. in libro de inſomnijs, nam inſomnia fieri dixit ex commotione imaginum, ſeu ſpirituum, quæ imagines exiſtunt in cerebro, & à cerebro ad cor deſcendunt, ſed imagines ſunt in memoria, ergo memoria eſt in cerebro, & non in corde, vt fuit concluſum.

Secundum Ariſt. ſenſus interni ſunt in corde.

Obiectio pulchra.

Secunda læſa parte poſtica cerebri, ſcilicet cerebello læditur memoria, & illæſa manente incolumis ipſa memoria permanet, non enim alio pacto, tu probas, virtutem viſiuam eſſe in oculo, quia læſo oculo læditur virtus viſiua, & incolumi exiſtente incolumis remanet virtus viſiua.

Secunda.

Tertia de phantaſia probatur quod ſit in cerebro, & præſertim in media cerebri parte, nam inquit Galen. ſuper calefacta media parte cerebri, mania producitur, & tamen mania eſt affectio phantaſiæ, ergo phantaſia eſt in cerebro. Verum ad has tres ſubtiles inſtantias reſponderi poteſt.

Tertia.

Solutiones

Ad primam reſpondetur, memoriam eſſe in corde, & per conſequens ibi eſſe imagines. O dices in ſomnio imagines deferuntur à cerebro ſecundum Ariſt. ad cor.

Reſpondeo imagines, ſeu ſpecies eſſe in cerebro per accidens, per ſe verò in corde, ſic enim debet intelligi dictum Philoſophi, ſpiritus enim accepit à corde ipſas imagines rerum ſenſibilium, qui ſpiritus vitalis exiſtens eſt neceſſe vt attemperetur in cerebro, vt ſupra diximus, ibi verò attemperatus hoc eſt refrigeratus ingroſſatur, & condenſatur, & ob id deſcendit à cerebro ad cor deferens illas imagines, ſeu ſpecies, & ſimulachra, quæ cauſant ſomnium, vehiculum enim imaginum dicebat Ariſt. in libro de inſomnijs eſſe ſpiritus. Quare concludendum eſt, imagines eſſe in cerebro per accidens.

Pro ſolutione verò ſecundi, & tertij argumenti iam ſupra facti, ſciendum eſt, hoc eſſe certum, omnem operationem ſenſitiuam fieri ſpiritibus, hi autem ſpiritus à corde trahentes originem calidiſſimi ſunt, & parum idonei ad operationes ſenſitiuas, & ideo eſt neceſſe vt ſupra dicebamus hoſce ſpiritus contemperari à cerebri frigiditate, vt aptiores fiant ad exercendas operationes, refrigerati iſti ſpiritus dicuntur à Gal. animales, & ideo cum ſenſus communis non poſſit operari niſi mediante ſpiritu animali, qui attemperatur in anteriori parte cerebri, ideo inquam læſa parte anteriori ipſius cerebri, læditur virtus ſenſus communis, quia læditur locus, vbi alterabatur ſpiritus vitalis, ita etiam dicendum de phantaſia, phantaſia enim indiget adhuc ſpiritu attemperato, ſpiritus autem iſte phantaſiæ deſeruiens alteratur, ac temperatur in media parre cerebri, ideo illa parte læſa, læditur virtus imaginatrix, læditur enim locus, vbi alterabatur ſpiritus vitalis deſeruiens imaginatiuæ, ſeu phantaſiæ.

Idem etiam dicendum de memoria, quæ indiget ſpiritu contemperato, ſpiritus autem iſte attemperatur in cerebello, & ideo ſi illis partibus accidunt nocumenta his virtutibus accidunt, & ſi illæ partes incolumes ſunt, & virtutes adhuc incolumes erunt, & ob id non ſequitur has virtutes eſſe in cerebro tanquam in organo primo, ſed potius in corde fuit concluſum, quare non ſequitur, quod ſi vnus ſenſus læditur, alius lædatur, quia ſpiritus alterantur, & attemperantur in diuerſis partibus cerebri. Nunc quid ſit dicendum ad duas ſuperiores inſtantias manifeſtum eſt.

Ad ſecundum dicebat Auer. quod peccat per locum concomitantiæ, quia poſtrema pars cerebri deſeruit memoriæ eo modo, quo diximus, ideo læſa illa parte læditur memoria, cum enim omnis operatio ſenſitiua non poſſit fieri niſi medianre ſpiritu animali, qui fit ex ſpiritu vitali aſcendente à corde ad cerebrum, ideo cum ſenſus communis non poſſit operari niſi mediante ſpiritu animali, qui debet generari in parte anteriori cerebri, ideo læſa ea parte læditur virtus ſenſus communis exiſtens in corde. Non tamen negandum eſt, quod nocumentum poſſit accidere his virtutibus merito cordis, & ideo dicebat Archigenes his virtutibus læſis remedia applicanda eſſe cordi, ita etiam de phantaſia, quæ eget ſpiritu animali contemperato in media parte cerebri, memoria verò ſpiritu contemperato in poſteriori parte cerebri, ideo ſi illis partibus accidant nocumenta his virtutibus

accidunt, & si illæ partes incolumes sunt, & hæ virtutes, ob hoc tamen non sequitur, quod sint in cerebro, vt in organo primo.

Nec valet argumentum factum de virtute visiua, quia illa existit in oculo tanquam in suo instrumento, ideo læso instrumento læditur virtus visiua. Et hæc ad superiores istas instantias sint dicta. Quare concludamus cum Arist. curiositatis, & exercendi ingenium gratia, cor esse principium motus, & sensus, & per consequens neruorum, & in ipso corde residere sensus omnes internos tanquam in propria sede, & hæc satis.

Quæ sint aliorum dogmata.

Theorema XLVII.



ADuersus hanc determinatam sententiam tria medicinæ, & philosophiæ lumina Hip. Plat. & Gal. acriter insurgunt, & cum his tota medicorum schola, & maior pars philosophorum asserentium cerebrum esse principium motus voluntarij, & sensus, & non ob aliud nisi quia in ipso sunt nerui deferentes sensum, & motum, & ad hoc probandum multis rationibus, ac experientijs ex oculari inspectione desumptis vtuntur.

Et primò adsit Hip. authoritas libro de nat. ossium Plat. in Timæo, & alibi Galen. sexcentis in locis, vt libro 7. de plac. Hippoc. & Plat. cap. 2. 6. & 14. & libro octauo, de vsu part. cap. 3. & 4.

Secundò apoplexia, & epilepsia sunt primò cerebri affectiones, sed istæ sunt primò priuationes motus voluntarij, & secundò sensus, ergo primum principium motus erit cerebrum, & non cor, & confirmatur hoc argumentum, nam cor secundum Peripateticos est primum principium virtutis vitalis, in quo consistit vita, ergo non erit primum principium virtutis animalis, quare cor non erit principium motus voluntarij, sed cerebrum, cor enim principium erit motus naturalis systolis, & diastolis, cum natura ex lib. 2. Rhetor. non vtatur aliqua re ad duo opera.

Tertiò vbi est principium virtutis, ibi est instrumentum primum deseruiens illi virtuti, cum virtus, & instrumentum ad eandem potentiam dirigantur, & ordinentur, sed primum principium virtutis motiuæ est spiritus animalis, qui est in cerebro, à quo dependent nerui, quare moto spiritu, neruis, & musculis fit motus in animalibus. Cerebrum igitur erit principium motus.

Quartò cor non mouetur motu voluntario, sed naturali scilicet systolis, & diastolis, idest dilatationis, & compressionis, qui sunt motus naturale, & sunt in corde, ergo cor erit principium motus naturalis, cerebrum autem voluntarij.

Quintò læso capite impeditur motus, & sensus, nullam patiente læsionem corde, ergo cerebrum erit principium motus, & sensus, & non cor.

Sextò quodlibet organum sensus debet esse in quodam temperamento, cor calidissimum, & summè distemperatum, ergo nullo modo poterit esse principium sensus, & motus.

Septimò videtur, extracto corde, ipsum animal moueri, & palpitare, vt Gal. affirmat de quodam ariete, qui corde ablato per quatuor passus incessit.

Octauò illud dijudicandum principium motus, & sensus, à quo trahunt originem nerui, & in quo sunt sensus, sed hoc est cerebrum, ergo, probatur de neruis, si lædatur neruus magna læsio percipitur in cerebro, & magnus dolor, & non in corde, ergo signum est, cerebrum esse principium neruorum, & non cor.

Nonò adhuc de neruis, nã discerpto neruo pedis, vt in anatomia videre licet, si exquiramus eius finem in cerebro reperiemus, & non in corde.

Decimò omnes nerui propè substantiam cerebri sunt molliores, crassiores, & albiores, & magis substantiæ cerebri similes, ergo signum euidentissimum est cerebrum esse ipsorum principium, consequentia probatur, cum orta attestentur suo principio.

Vndecimò si medius neruus ligatur, pars versus cerebrum mouetur, & sentit, pars versus cor non sentit, ergo nerui à cerebro, & non à corde suam trahunt originem.

Duodecimò læso corde motiuæ, & sensitiuæ virtutes incolumes permanent, vt patet in febribus, & præsertim in febre hectica, in qua maximè cor est læsum, & tamen non est impedimentum in motu, nec in discursu, ergo potius cerebrum illarum virtutum principium erit existimandum, vt ob id sagax, & prouida natura tanto artificio in cerebri structura vsa fuerit, vt admirabile sit eius corpus, tot cauitatibus refertum, tot plexibus arteriarum labyrintheis.

Hæc sunt motiua rationes, & experientiæ, quæ ex Gal. & ex cæteris medicis colligi possunt. Cæterum his non obstantibus possunt supradicta non leui negotio dissolui.

Ad primum, parcant mihi illi tres philosophiæ, & medicinæ coryphæi si semel exercendi ingenium causa ab illis desciui. Sed soluamus quæso argumenta ex ratione, & experientia petita.

Ad secundum dicimus, simpliciter esse totum argumentum falsum, non enim sequitur, cerebrum esse principium motus voluntarij. Sed bene sequitur ipsum concurrere ad voluntarium motum, oportet enim spiritus attemperari à cerebro, in illis autem morbis obstruitur vehiculum spirituum, qui demandantur à corde, ideo sequitur priuatio motus, & sensus, cum enim nerui non habeant à spiritibus in hisce morbis vim motiuam, ac sensitiuam, animal remanet motu, & sensu priuatum. Ad confirmationem dicimus, cor diuerso modo esse principium motuum, nam spiritu vitali, & generato in corde est principium vitæ, spiritu verò generato in corde, & in cerebro attemperato est princi-

principium motûs voluntarij. Nec vllum putamus esse absurdum, nã re vna vti ad diuersa obeunda munera naturam lib. 2. de anima tex. 98. Arist. testatur præsertim de lingua, qua vtitur ipsa natura, & ad gustum, & ad locutionem, idem etiam Aristot. dicebat de aere, quo vtitur primo natura ad cordis refrigerationem, secundo ad edendam vocem.

Ad tertium respondetur spirituum omnem generationem esse in corde, tanqnam in principio, ac fonte caloris, nec esse in cerebro, nisi alterationem quandam, quare primum principium spirituum cor est, & ob id est motus voluntarij principium, nec à cerebro producunt principium nerui, vt supra probatum.

Ad quartum respondetur verum esse antecedens, cor enim tantum mouetur motu naturali, scilicet systolis, & diastolis, negamus tamen consequentiam, ipsum scilicet non posse esse principium motus voluntarij, quam vis hoc argumentum ita efficit nobis, vt aduersarijs, nam cerebrum, non solum motu naturali non monetur, sed nec etiam motu voluntario.

Ad quintum argumentum respondetur ob id sequi impedimentum motus, & sensus læso capite, quia fit spirituum dissolutio ob læsionem factam, aliquam etiam ipsum cor læsionem pati non est vllo pacto dubitandum.

Ad sextum respondetur hoc argumentum adhuc esse contra Gal. cerebrum enim frigidissimum est, ergo nec ipsum esse poterit principium motus, & sensus. Respondeo tamen quod licet cor sit calidissimum, contemperatur tamen ab ipso cerebro hoc est spiritus à corde manantes in cerebro contemperari.

Ad septimum respondetur, illum motum non fieri ab anima, sed à passione reseruata hoc est à calore spirituoso reseruato in partibus animalis. Auer. autem oppositum Gal. dixit, scilicet se vidisse arietem absque capite ambulare per sex passus.

Verum hoc argumentum nec pro Galen. nec pro Aristot. sententia facit, cum clarissimè constet per ipsos ambulare animal, vel corde, vel capite ablatis ratione spirituum. Quam vis hanc experientiam haud esse satis tntam non nulli tueantur. Quicquid tamen sit de hac re leuissimum putandum est hoc argumentum.

Ad octauum dicimus fieri adhuc maximam læsionem in corde tanquam in principio neruorum, in cerebro verò dicimus fieri læsionem per accidens, quo pacto dicere solemus secundum Aristotel. quod caro sit organum tactus, tamen in punctura nerui maior sentitur dolor, quàm in punctura carnis, hoc enim est per accidens, scilicet ratione alterius, nam sæpè sæpius maxima defertur spirituum copia, atque caloris ad partem affectam, ex qua maxima spirituum, calorisq; copia sequitur inflammatio, inde dolor. Idem etiam dicendum de neruis læsis in cerebro.

Ad nonum dicimus esse deceptionem, nam nerui, (diceret Peripateticus à corde tendunt ad cerebrum, & inde ad pedes) & hoc rationabiliter fecit alma, atque sagax natura, nam nerui debent deferre spiritus uitales contemperatos in cerebro. Sed dices, iste spiritus vitalis completur in cerebro, & isti nerui vna cum arterijs suut deputati ad deferendum istum spiritum vitalem, ergo primò seruiunt cerebro ipsi nerui. Dico, quod non sequitur, nam licet isti nerui cum arterijs sint deputati ad hoc, tamen quia accipiunt generationem in corde, ideo primo dicuntur cordi, cui inest radix totius virtutis sensitiuæ, & motiuæ, deseruire. *Instantia.* *Solutio.*

Ad decimũ totum negandum est argumentum, nam nerui optici sunt albiores humore gluciali, & tamen non oriuntur ab ilto. Adhuc rami in arboribus sunt molliores suis radicibus, ergo oriuntur à suis radicibus, non est vniuersaliter verum, nam à trunco ferè semper oriuntur. Ad illud, quod orta attestantur suis principijs, falsum est vniuersaliter, nam aliquod oritur ex terra humida, & tamen est durissimum, vt patet de corallo in littore maris. Sunt etiam nerui molliores propè substantiam cerebri, quia terminantur in ipsam, & euanescunt, ac desinunt, vt dicit Auic. 21. 3. can.

Ad vndecimũ respondetur, quod pars versus cor non sentiat, sentit verò, & mouetur euidentius pars versus cerebrum ob spiritus contemperatos in ipso. Nec est credendum facta nerui ligatione diu posse continuari motum illum, nam spiritus deficiunt, & ob id si diu ligatus manebit neruus, non amplius erit motus in illa parte, in qua terminatur neruus.

Ad duodecimũ dicimus, quod si virtutes illæ internæ nõ læduntur, signum est cor paruam adhuc pati læsionem, sicut à simili non amittitur visio quacunque facta læsione in oculo, sed ingenti. Ad illud de febre hectica dicimus, quod bene est impedimentum in motu, maximè quando febris est iam in tertio gradu, discursus non læditur, quia non est multum excessus calotis, sed res est hibituata, è contra in ardentibus febribus accidit, vbi ob caloris excessum solet delirium apparere.

De partibus similaribus, & dißimilaribus.

Theorema XLVIII.



SOlent quoque partes diuidi in similares, & dissimilares, sed antequam ad harum essentiam, naturamve accedamus nomina prius declaremus. Vocantur partes similares multis modis, quæ Plato vocat πρωτόγονα, ideſt primo genita, similares vocant interpretes Arist. ex Galen. libro quod animi mores corp. sequan. temper. cap. 3. Arist. namque libro 1. de histor. animal. cap. 1. & libro 1. de part. animal. cap. 1. & Gal. libro 8. de Hip. & Plat. plac. cap. 4. & libro 1. de nat. fac. cap. 6. & libro 1. de nat. human. tex. 1. libro 1. meth. med. cap. 6. libro de inæqual. intemper. cap. 3. & libro 2. de elem. cap. 1. de his clarissimam mentionem faciunt, vocantur etiam Arist. simplices, & incompositæ, quod scilicet ex alijs partibus non componantur græcè, ὁμοιομερῆ, ideſt similes, ho-

les,homogeneæ,quasi similem naturam sint adeptæ dicuntur etiam primogenia, quasi primo loco genita,solidæ à Gal.lib.1.de nat.fac.cap.6.dicuntur,nam sicut fundamentum est solidum, ita huius modi partes debent esse solidæ,idest tales,& omnino similes,dicuntur etiam minimæ,& elementa-res. Huiusmodi partes tot varijs nominibus insignitæ adhuc subdiuiduntur in duras,& molles iuxta Philosophum libro 2.de part.animal.cap.2.& libro 1.de hist.animal.c.1. molles omnino, vel quan-diu in sede manent naturali, vt sanguis,sanies,adeps,sæuum,medulla,semen genitale, fel,lac, caro, &c. Siccæ, vt nerui, cutis, vena, pilus, cartilago, os, vnguis &c. sed antequam vlterius progrediamur ad partium similarium essentiam accedamus, partis similaris variæ assignantur diffinitiones Aristot. libro 1.de hist.animal.& libro 2. de part. animal. partes similares sunt quæ in particulas sibi similes diuiduntur, vt cato in carnem, Gal.libro 1. de elem. cap.8. partes similares sunt,quarum vniuersæ particulæ eandem omnino formam,& temperiem retinēt, & libro 6.de plac.Hip.& Plat.cap.2. sunt partes similares,quæ in partes specie non differentes diuiduntur,& libro 8.de plac.Hip.& Plat.cap. 4.partes similares sunt, quæ sibi mutuo,ac toti similes sunt.Verum ex his omnibus ferè imperfectis, liceat nobis colligere hanc magis exactam diffinitionem, vt sit pars similaris,quæ sibi mutuo,ac to-ti similis est,& vniformis, & diuiditur in partem omnino similem, in cuius diffinitionem sat erit si tres, vel quatuor partes cadunt,scilicet membrana,caro,& fibra, & ossa, quæ possunt in hac diffini-tione comprehendi, reliquæ verò non item,nam libro 1. de elem.cap.8.dicebat Gal. simplices par-tes,quæ similares vocantur ex humoribus fieri,humores ex alimentis,& c.ergo non sunt verè simpli ces,& similares,& lib.1.de semine dicebat, oēs partes constare ex semine,& sāguine,& lib.4.de sim pl.med.fac.c.3. dicebat,aut impossibile est,aut per difficile vllā adinuenire substantiā,quæ adamus-sim similaris sit.Vt ob id dicendū secūdum rei naturam partes similares non esse simplices,nā ex ele mentis constant,sed dici similares, vel iudicio sensus, qui quasdam magis, quasdam minus iudicat esse similares, vel ad mentem antiquorum fuisse locutos Arist.& Gal. & certè quando Arist. & Gal. de his loquuntur inquiunt,quemadmodum antiqui,& veteres, vt locis supra citatis liquido constat. Illud etiam animaduersione dignum existit vocari similares has partes,non quod omnino simplices sint,& incompositæ,sed quod in partes diuersæ speciei secari non possint. Sed dices,quot sunt apud Gal.partes similares vtcunque.

Pars similaris quid.

Quot sunt simplices partes, & similares apud Gal.

Respondetur multas esse libro de diff.morborum enumerat arterias,venas,neruos,ossa cartilagi-nes, ligamenta, membranas, & carnem, & libro de inæquali intemper.cap.2. præter has enumerat tendinem,vnguem,cutim,adipem,quamuis venas, & arterias postea excipiat à partibus similaribus & libro 1. de elem.cap.6. addit medullas, & pilos,& libro de nat.human. addit fibras,cum his par-tibus similaribus possumus enumerare crystallinum, & reliquos humores, sanguinem præsertim, & spiritus,& præter has Arist.libro 3.de hist.animal.posuit seuum,saniem,&c. excrementa. Quare tot erunt partes similares, & fortassis aliæ vt ossa &c. quarum aliæ sunt vere similares, aliæ non item, sed vtcunque, & secundum sensum,& aliæ vere partes,& aliæ non item. Sed obijcies, cur Gal.libro de inæqual.intemp.cap.2.à partibus similaribus excipit venas,& arterias? Hic sunt multæ respon-siones,non enim me latet Argenterium,Valleriolam,Vegam,& Comitem Montanum aliter,ac ali-ter respondere. Breuiter tamen dicamus,quia minus sunt similares, nam venarum tunicam, alia est portio fibrosa, alia membranosa, & alia carnosa, arteriæ etiam multiplicem tunicam sunt ade-ptæ. Dices,quare natura fecit partes similares?

Obiectio.

Solutio.

Cur natura fecit partes similares.

Respondetur ob materiam,& subiectum organicarum, & ideo Auic.enumerans partes similares ponit ossa tanquam fundamentum,supra quod corpus fabricatur, & sunt motuum substentaculum scilicet motuum localium,nam ex Arist.libro de causis motuum animal. motus indiget fixo,& duro & hæc de similaribus. Dissimilares partes similaribus aduersantur,parum autem refert siue has dis-similares,siue compositas,siue organicas appelles. Hæ partes ex simplicibus componuntur ex lib.1. de elementis,& variæ sunt in corpore nostro,ob varias,quæ erant faciendæ operatiores in illo. Du-bitabis in quo consistit essentia partium dissimilarium. Respondetur consistere in laudabili confor-matione,idest figura conuenienti,situ,numero, magnitudine. Sed obijcies tunc pars similaris pos-set dici instrumentalis,seu dissimilaris,nam similarium quamdam habent figuram, situm,magnitu-dinem &c.vt ossa &c. Dicendum dupliciter, vel quia in dissimilaribus partibus magis elucent, & conspicua sunt hæc omnia scilicet situs,figura,magnitudo, &c. quam in similaribus, ideo videntur esse distinguendæ, vel dicendum secundum diuersas rationes partem similarem dici posse instru-mentalem, nam in vnaquaque parte conspicitur substantia partis sibi vndique conformis, conspici-tur secundò figura,magnitudo, situs, &c. ratione igitur, qua vnaquæque pars habet substantiam sibi similem vndique, & vniformem, eatenus dicitur pars similaris, vt femur, quatenus est os est similaris pars, at quatenus femur est, idest habet magnitudinem, figuram, & situm eatenus dici debet pars dissimilaris, seu instrumentalis, & hoc est quod Aristotel. dicit libro 2. de part.capitulo primo, de corde, quod secundum suam substan-tiam dici potest similare, & dissimilare propter suæ figuræ formam, quod etiam aduertit Buccaferreus libro 4. metheor. 48. & hęc de dissimilaribus, mitto nunc hinc breuitatis gratia, quid sit organum, quid sit similaris actio, & alia non nulla, quę ad ana-tomen perti-nent.

Quæ sint dissimilares partes.

Obiectio.

Solutio.



An

An actiones à similaribus, an à dissimilaribus pronueniant,

Theorema XLIX.

RECeptum est hùc vsque ab omnium medicorum turba actiones à partibus prouenire, difficultas tamen est à quibus partibus proueniant, an à similaribus, an à dissimilaribus. Vt autem præsens theorema diligenter discutiatur sciendum primo est, quod actio, siue functio, siue operatio, siue quomodolibet appelles est motus actiuus, qui à se editur ex libro 1. meth. med. cap. 6. passio vero passiuus est motus, qui ab alio extrinsecus excitatur, apprehensio itaque manus actio est, nam ex se ipsa manus apprehendit sine externo adminiculo, visio verò licet ex vna parte sit actio, tamen passio quoque est, nam oculus sine externo obiecto videre non potest. Sciendum etiam est, omnem actionem ab efficiente prouenire libro 1. de nat. fac. cap. 2. quæ causa efficiens, siue sit potentia, siue facultar, siue virtus, siue anima dicatur parum refert, nec id nunc disputo. Hęc autem causa efficiens, à qua actio prouenit perficit suum opus per instrumenta, quę partes sunt corporis, vt hęmatosis actio est, cuius causa efficiens est sanguifica facultas. Instrumentum, seu pars hepar est, causa tamen efficiens, & instrumentum sunt simul iuncta, & non separata, quo fit, vt instrumentum per se ipsum solum efficiens sit ad operandum in corpore animalis. Quando igitur dicimus à partibus actiones prodire, nil aliud significamus, nisi actiones prouenire à facultate, quę ipsi parti indita est, & per organa tota permeauit, quæ autem sit hęc facultas apud Gal. nunc non disputo, an scilicet sit partium temperamentum an aliud, vt ob id quidam voluerint, actiones à calore, & à spiritibus fieri, & non à partibus.

Verum cum nos videamus à manibus fieri apprehensionem, à cruribus incessum, ergo à partibus operationes proueniunt. Non negamus tamen medio calore, & spiritibus vegetare partes, calor enim vitalis comparatur Soli, veluti enim in magno mundo plantarum ortus, augumentum, perfectio, nutritio, Sole ad nos accedente fiunt, & vigent hę operationes, recedente verò languescunt, ita de calore vitali opinandum est, sui præsentia omnes actiones vegetare ex libro 2. de generat. & corrupt. cap. penult.

Cum igitur à partibus operationes proueniãt eo modo, quo diximus, dubitatur, an à similaribus, an à dissimilaribus producantur, in qua re varias animaduerto sententias grauissimorum virorum, præsertim tres, alij enim dicunt à similaribus actiones prouenire, alij à dissimilaribus, alij ab vtrisque scilicet quasdam actiones à similaribus, & quasdam à dissimilaribus. Quantum pertinet ad primam opinionem, quæ Curtij est, Arist. libro 2. de part. animal. cap. 1. videtur huic primæ opinioni fauere, nam inquit, sensum esse carnis, caro autem est similaris, sensus est operatio, ergo. Adhuc libro 1. de hist. cap. 4. habet, sensum, scilicet fieri à membrana, Gal. libro 1. meth. med. cap. 6. libro 1. de nat. fac. cap. 4. libro 7. meth. med. cap. 2. inquit actiones à similaribus proficisci, quamuis non desint alij, immò ijdem loci vt libro 1. meth. med. cap. 6. & libro de diff. morb. cap. 4. in quibus contrarium dixit, sed hæc infra sunt consideranda. Præter authoritates adde rationem, nam operatio fit à forma, & quoniam forma non operatur seorsum, nisi sit cum materia iuncta, sed forma viuentis primò iungitur parti similari, ergo à parte similari primo prouenit operatio, sic Gal. dicit visio fit ab humore crystallino, neruus sentit, & producit motum, & est pars similaris, sic etiam chylificatio fit à ventriculo, tanquam à parte similari.

Varia sententia circa præsens theorema. Actiones à similarib. proueniũt, & est prima sententia.

Huic est opposita secunda sententia, quæ habet à partibus dissimilaribus, seu instrumentalibus, & corporibus fieri actiones, & primo Arist. libro 2. de part. animal. cap. 1. videtur esse huius opinionis, nam inquit similares gratia instrumentalium esse genitas, tunc sic, operatio est à forma, sed partes similares respectu dissimilarium sunt veluti materia, dissimilares veluti forma, ergo ab his actio, seu operatio procedit.

Secundò omnes partes in tantum operantur, in quantum suscipiunt organizationem, & dissimilaritatem, nam gressus prouenit à crure, scilicet à parte dissimilari, apprehensio à manu, visio fit ab oculo, sic ipse exemplificat, sicuti enim calx, arena, lapides, tegulæ, quæ sunt simplicissimę partes domus, fundamentorum, parietum, cubiculorum, & domus gratia parantur, sic dicit Arist. ossa, cartilagines, &c. similares partes esse gratia dissimilarium factas, ergo si partes actionum gratia expetuntur, meritò illæ erunt actionum authores, & opifices, quæ sunt veluti aliarum finis. Quare organorum (concludit Arist.) sunt officia, vt manus, cruris, & oculi. Id quod etiam ex animæ diffinitione potest comprobari, nam hæc est actus corporis physici, organici, &c. ergo cum ipsa non reperiatur nisi in organica parte, ab hac erunt operationes.

Tertia opinio est media inter has supradictas, & videtur esse Turis. libro 2. art. med. & Argenterij eodem loco, & ex Gal. sumunt libro 2. art. med. text. 3. similarium esse quasdam actiones, & dissimilarium alias, & à virtute vtriusque generis actionis signa sumi ad optimam constitutionem dignoscendam, idem ex eodem Gal. libro de const. art. med. cap. 4. vbi Arist. impugnat, scilicet sensum non fieri à parte similari, & visionem non fieri ab humore crystallino, sed à toto oculo. Verum in tanta virorum grauissimorum dissensione, vt quid sentiamus in medium afferamus, oportet prius instrumenti naturam cognoscere, Instrumentum ex Gal. lib. 1. meth. med. cap. 6. & lib. de diff. morb. cap. 4. appello animalis partem, quæ perfectam edere actionem potest, vt oculus visionem, lingua loquelam, & crura deambulationem.

Tertia opinio est media.

Quid sentiendum.

Insu-

Insuper est & aliud sciendum ex Gal. libro 1. de oculis cap. 1. & libro de vsu part. cap. 8. libro 1. meth. med. cap. 6. & libro de opt. const. corp. cap. 2. scilicet vnum quodque instrumentum habere propriam actionem, propter quam factum fuit, quam actionem cum vna suarum partium operatur, reliquæ verò partes instrumentum componentes illi ministræ sunt, & illa pars, quæ actionis est causa procul dubio est similaris, vt verbi gratia oculus, organum, & instrumentum est visionis ex multis conflatum partibus, actio tamen, idest visio ab vna parte similari fit, scilicet humore crystallino, reliquæ verò partes sunt, vel propter melius, vel ad commoditatem, quæ vtilitates à Gal. colliguntur, libro 1. de vsu part. cap. 8. scilicet, vel propter melius, vel sine quibus actio fieri non potest, vel pro custodia.

Est & tertio sciendum, per partes similares, nos, vt prius diximus intelligere partes similares, vt cunque secundum sensum. Quibus sic explicatis dicendum, duas esse partes pro nunc aliæ enim sunt propriæ, seu priuatæ, aliæ communes, & publicæ ex Gal. libro 5. de loc. affec. cap. 6. propriæ ex eodem Gal. libro de part. art. med. cap. 3. sunt quæ toti animali, aut necessariæ sunt, aut apprimè sunt vtiles, vt visio, locutio, incessio, & c. communes, vt attractio, retentio, expulsio, alteratio, nam nulla est pars corporis quæ sit expers harum actionum, nam omnis pars beneficio harum se conseruat, & tunc dicendum cum Gal. omnes actiones, tam proprias, quam communes fieri à similaribus, nam sua natura, & per se trahit, retinet, concoquit, & expellit, non alia fortassis ratione, quam Gal. dicebat libro 1. de elem. cap. 6. & libro 2. de loc. affec. cap. 7. quam quemadmodum magnes attrahit ferrum, quare partes similares has communes edunt operationes ex proprio ipsarum temperamento, & hæ communes actiones perfectè fiunt à similaribus, nam os perfectè trahit, retinet, & c. De proprijs actionibus sciendum has proprias actiones imperfectè fieri à similaribus, perfectè tamen à dissimilaribus, seu organis, ita vt visio imperfectè fiat à crystallino, tanquam à similari, perfectè verò absoluatur à toto oculo, scilicet ab omnibus oculi partibus, quarum aliæ concurrunt tanquam sine his actio fieri non possit, vt neruus, & vtraque tunica à neruo genita, retina, scilicet, & aranea, aliæ concurrunt propter melius, vt musculi, vuea, albugineus, aliæ pro custodia, vt cornea, cilia, palpebræ, &c.

Quare omnes actiones à similaribus proueniunt ex Galen. sententia, sed communes perfectè à similaribus fiunt, propriæ verò imperfectè à similaribus, perfectè à dissimilaribus, seu ab organis, & instrumentis, & in his omnibus, vt monstrauimus Gal. habemus authorem, atque fautorem, vt nunc etiam melius demonstrabimus, nam dum libro 1. meth. med. cap. 6. dicit, instrumentum appello animalis partem, quæ perfectam edere actionem potest, procul dubio innuit, ac nobis significat partem similarem in organo, quæ eandem actionem efficit, imperfectè ipsam efficere, sicuti enim crystallinus visionem facit, ita, & oculus, quod si oculus, & crystallinus, vt instrumentum, perfectè visionem facit, sequitur crystallinum omnino imperfectè eandem actionem obire, aliter cæteræ oculi partes essent inutiliter à natura fabricatæ, si vterque scilicet oculus, & crystallinus perfectè operationem facerent, & hoc est, quod dixit libro de diff. morb. cap. 4. scilicet dissimilare corpus perfectam facere actionem.

Clarius decidiтur theorema. Vt tamen clarius, quod dicimus intelligatur dicendum inchoatiuè, seu initiatiuè, seu radicaliter cum Conciliatore diff. 63. & vt principium quo operationes prouenire à similaribus, completiuè verò, & attributiuè, & adæquatè, & perfectiuè, & vt principium quod à partibus dissimilaribus, seu ab organis, & instrumentis, nam re vera actiones in instrumentalibus partibus magis manifestantur, quàm in similaribus, sed dices, quid intelligit Gal. libro de curan. rat. per sang. miss. cap. 4. dum dicebat primarias actiones à corporibus similaribus, secundarias verò ab instrumentalibus absolui? *Obiectio subtilis.* Hic locus certè difficilis est, & rarus, multisque occasionem exhibuit errandi, vt scilicet asserant.

Responsio quorũdam cõfutatur. Gal. per primarias actiones intelligere actiones communes, scilicet attractionem, retentionem &c. quæ à similaribus fiunt. Sed hoc non est verum, nam hæ communes actiones, scilicet attractio, & c. fiunt etiam ab instrumentis, nam ventriculus, & iecur, vt instrumenta attrahunt, retinent. Neque etiam per primarias actiones naturales actiones, nec per secundarias animales intelligere debemus, non naturales, vt patet, nam hæ à dissimilaribus fiunt, nec per secundarias actiones intelligendæ sunt animales actiones, nam hæ iuxta Galen. sententiam loco citato fierent ab instrumentis, cum tamen imaginatio, cogitatio, memoria fiant à cerebro, vt à re similari. Quare Gal. authoritas multis facessiuit negotium.

Responsio vera. Nos autem sic Gal. intelligimus, ita vt pro primarias, & secundarias actiones, non duas actiones realiter distinctas intelligamus, sed tantum vnam in organo, quæ in parte similari dicatur prima, in toto verò organo dicatur secunda. Vna igitur est actio oculi, ventriculi, & iecoris, & sic de alijs, quæ est visio, sanguificatio, & chylosis, quæ vna actio in crystallino, in carne iecoris, & in ventriculi substantia prima dicitur actio, siue primaria, & primo, & primum absolui dicitur. At in toto oculo, in toto iecore, & toto ventriculo eadem actio dicitur secunda, siue secundo loco edita, & hoc est quod clarius Gal. dicebat libro de const. art. med. cap. 4. & 5. & libro, quod animi mores corporis sequant. temper. cap. 3.

Similarium corporum primò sunt actiones, instrumentalium verò secundo, & hoc est, quod Gal. loco citato dicit vnam esse actionem in cruribus, quæ est deambulatio, quæ actio in toto crure dicitur secundaria. *Dubitatio.* Pars principalis, quæ producit hanc deambulationem dicit Galen. quod est musculus, similiter in manu de apprehensione dicendum, nam pars principalis, quæ facit apprehensionem sunt musculi. *Solutio.* Sed dices, vnde est, vt idem instrumentum, & eadem pars scilicet musculus in manu faciat apprehensionem, in crure verò deambulationem?

Respondetur à musculo esse imperfectam quamdam apprehensionem, & imperfectam deambulationem, seu musculos esse principium quodam apprehensionis, & ambulationis, perfici autẽ ambulationem, & apprehensionem postmodum à toto organo, & propter varium instrumentorum apparatum, euenit, vt musculus in manu faciat apprehensionem, & in crure deambulationem, qui apparatus consistit in figura, numero, situ, & magnitudine. Sed illud etiam est sciendum, vt res

ad vsuum

ad vsuum intelligatur, quod quotiescunque aliquod organum ex puris tantum similaribus componitur, vt sunt organa primi ordinis, tunc sciendum primam, & secundam actionem ratione tantum distingui, vt musculus cuius actio est in se ipsum contractio, pars principalis musculi sit ex fibris, & carne, actio eius est contractio, hæc verò contractio tanquam à parte principali fit à fibris, à musculo tamquam à toto instrumento, vna ergo, & eadem actio, quæ in fibris prima actio dicitur, in toto verò musculo secunda, quamuis vna sit actio.

Quod si organum componatur tum ex similaribus, cùm ex organicis, vt sunt organa, secundi, tertij, & quarti ordinis, tunc dicimus primam actionem distingui à secunda nomine, & re, vt in digito, digiti actio est flexio, & extensio, pars principalis, seu similaris, quæ hanc efficit est musculus, musculi actio est in se ipsa contractio, ergo contractio in se ipsa est prima actio tanquam simplicis partis argentis, flexio verò, & extensio erit secunda actio totius organi. Similiter in manu, quæ est tertium organum, cuius actio est apprehensio, pars principalis, quæ hanc efficit sunt digiti, quorum actio non est apprehensio, sed flexio, & extensio, & digiti se habent in apprehensione tanquam partes similares, & simplices, & re vera respectu ipsius manus, seu apprehensiuæ sunt simplices ipsi digiti. Igitur in apprehensione secunda actio totius organi in manu est apprehensio, prima vero actio est flexio, & extensio digitorum, ergo sunt duæ actiones distinctæ nomine, & re, prima est digitorum flexio, secunda apprehensio, in manu prima est musculi contractio, secunda est flexio, & extensio digiti. Si verò accidat, vt composita pars habeat partem principalem, quæ actionis est auctor, similarem, tunc prima, & secunda actio, vt supra diximus non distinguuntur nomine, & re, vtcunque instrumentum sit ex secundo, tertio, aut quarto ordine compositum, v.g. oculus est instrumentum secundum, quia componitur ex musculis, tanquam ex compositis partibus, & membranis, & humoribus, quæ sunt partes similares.

Verum, quia pars illa, quæ est author actionis est similaris, scilicet crystallinus, ideo fit, vt visio, quæ est prima actio crystallini non distinguatur nomine, & re à secunda actione, quæ est totius oculi. Sic caput, quod est in quarto ordine compositum, & cuius actio est sensus, & motus, quia tamen pars principalis, quæ hanc actionem efficit est similaris, scilicet cerebrum, ideo fit, vt non sint duæ actiones distinctæ, sed sensus in cerebro fit prima actio, & quasi imperfecta, in toto autem capite dicatur esse secunda, & perfecta actio. Sic igitur sentiendo non male dixit Aristot. non male Gal. nec perperã tertia opinio, & hæc hactenus dicta sint de partibus similaribus, & dissimilaribus. Hic missa multa facimus, nam nimis in longum nostra protraheretur oratio, & præsertim illa disputatio, quæ nam sit forma similarium.

An spermaticæ partes incisæ poßint regenerari.

Theorema L.



Ic præsens theorema determinetur, posse scilicet in pueris, fæmellis, & mollioribus naturis regenerari, seu coalescere spermaticas partes omnes, etiam ossa, in adultis verò sæpe venas, rarius arterias, nunquam ossa regenerari, in senibus verò nec neruos, nec membranas, arterias, venas, cartilagines posse regenerari. Loquor autem de primo coalitu, scilicet secundum primam intentionem, seu scopum, de quo Gal. libro art. med. cap. 90. & 91. qui quidem in carne fit absque medio, in spermaticis verò partibus, de quibus est difficultas, quandoque fit medio homogeneo, quandoque cum medio etherogeneo, cum medio homogeneo in pueris, & naturis, seu amplexionibus humidis, cum medio etherogeneo in alijs naturis. Sed singula veniunt iam magis, ac magis declaranda.

Quantum pertinet ad pueros, & molliores naturas, hi cum parum absint à principijs generationis efficientem causam habent vegetam, calor natiuus in his est multus, materiæ spermaticæ adest copia, ergo possunt partes omnes spermaticæ in his regenerari, nam sic ratio demonstratiua formari commode potest, vbicunque efficiens, materialis, & finalis causæ adsunt, ibi adsit effectus oportet, at in pueris, & mollioribus supradictis naturis hæc omnia sunt, ergo spermaticæ partes coalescere possunt κατὰ πρῶτον σκοπόν, idest secundum primum coalitum, primamque intentionẽ, maior clara est, minor probatur, nam coalitus, seu regenerationis causa efficiens est virtus formatrix, quæ calido vtitur tanquam instrumento, quæ facultas singulis partibus sita est, & solidis magis, quàm carnosis.

Parcant tamen mihi in hoc, vt hoc etiam obiter, sed ad rem tangamus Turisanus lib. 3. art. med. & Conciliator diff. 37. asserentes virtutem formatiuam formato fætu non amplius in fætu esse, & remanere, sed discedere à corpore animalis, sed tantum remanere virtutem nutritiuam, & generatiuam, parcane mihi, inquam, hi grauissimi viri, nam contra Gal. loquuntur, & contra experientiam. Gal. enim libro 1. Aphor. 15. habet, neque enim aliud quicquam animal ab initio efformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præter quam iste calor innatus, & c. ergo virtus formatrix remanet. *Turisanus & Cõciliator aberrant.*

Adhuc non ne renascuntur in infantibus, & prouectis dentes? nonne generantur cornua, & vngues, quæ non nisi à formatiua? Parum tamen refert si Galen. libro de format. fætuum fuerit dubius de virtute formatrice, nam postea libro 2. de temperamen. cap. 6. eam esse diuersam à qualitatibus cum Arist. libro 2. de generat. animal. cap. 3. asseruit, quam postea libro 1. Aphor. esse ipsum calidum innatum autumauit.

Quare

Quare cum adsit causa efficiens coalitus, dicere debemus spermaticas partes in huiusmodi supradictis naturis posse regenerari. Materia partium spermaticarum semen est, non tamen intelligendum illud semen prolificum, sed huic simile, cuius vt ad nutritionem, & accretionem sufficiens copia est, ita ad nouam generationem.

Quia etiam apud Medicos, & Philosophos omne semen est excrementum alimenti vltimum, causa finalis adest adhuc, nam gaudet natura vnione, fractum enim os, arteria, venaque dissecta vnionem optant. Amplius huic rationi robur addatur ab experientia quotidiana desumptum, nam dentes renascuntur, & iuxta sapientissimum Hip. libro de carnibus triplex est generatio dentium, vna in vtero, altera à lacte, tertia à solidis nutrimentis. Nam dentium, & cæterorum ossium non est eadem ratio, nam dentes excepti renascuntur, tùm ratione finis, tùm ratione materiæ, ratione finis, quia cibos mandunt, molliunt, & præparant ventriculo, & propterea ad senectutem vsque crescunt, & mutuo attritu minuuntur, ratione materiæ, nam ea copiosa est in vtriusque maxillæ cauitatibus. His rationibus addantur plures Gal. authoritates, habet enim Gal. libro art. med. cap. 90. & 91. & libro 6. meth. med. cap. 5. posse ossa puerorum coalescere secundum primam intentionem, & clarius libro 1. de semine cap. 13. fatetur se vidisse venas magnas, & paruas in vlceribus magnis renatas, arteriam verò non videt generatam, verum hoc in adultis Galen. intelligit, & ob id libro 5. meth. med. cap. 7. dicebat, se vidisse arterias, & venas conglutinatas in mulieribus, & pueris, & libro de curandi ratione per sang. miss. propè finem dixit, postquam per insomnia monitus arteriam secuj, quæ est inter pollicem, & indicem, & sanguinem, ea secta misi, beneque successit, atque vidi etiam magistrum quendam Pergami arteria cubiti secta à lateris dolore liberatum absque vllo aneurismate, & subiungit etiam, quod & in capite, & in artobus arterias secui, & in Ægypto multi pro secreto habent sectionem arteriarum propè tempora ad diuturnas oculorum fluxiones, & capitis antiquos dolores, postquam tamen sunt sectæ arteriæ vt citius coalescant frustum æris planum rotundum, & crassum desuper est imponendum, digitis tamen arteria prius vnita. Sed præter rationes, & authoritates adest quotidiana experientia, quæ nos docet in infantia, & pueritia omnes partes spermaticas esse velut cereas, vt libro 3. art. med. cap. 28. & libro 2. de temper. cap. 2. & 3. Aphor. 24. & velut caseum recentem, ergo possunt regenerari, contra in senibus, medio tamen modo in adultis.

Triplex est generatio dentium.

In adultis tamen venæ possunt agglutinari, tum quia molles, tum quia quiescunt, arteriæ verò, vel nunquam, vel difficillimè, tum propter earũ continuum motum, cuius causa non coalescunt, & ob id libro 5. meth. med. dicebat vlcera pulmonis esse incurabilia, quamuis ibi plures alias causas afferebat, sic etiam cordis caro non coalescit ob eius perennem motum, nam quibus vita consistit in motu, ijs quies mors est dicebat libro de trem. palp. conuulſ. & rig. cap. 6. tum etiam ob crassitiem arteriarum, arteriæ enim, vt Herophilus dicebat sextuplum venis sunt crassiores, & ideo Gal. libro 1. de sem. cap. 13. dicebat nunquam arteriam regenerari. In senibus verò ob caloris defectum, & materiæ inopiam partes spermaticæ regenerari non possunt secundum primam intentionem, ergo quod primum coalitum sic præsens theorema venit determinandum. Sed antequam vlterius procedamus, statim obijcies ex Hip. libro 6. Aphor. 19. & libro 7. Aphor. 28. cum os præcisum fuerit, aut cartilago, aut neruus, aut buccæ tenuis particula, vel præputium neque augetur, neque coalescit.

Obiectio.

Solutio.

Respondetur Hip. locutum fuisse in prouectioribus, & senibus, non autem in pueris, infantibus, vt supra diximus. Quantum verò pertinet ad secundum coalitum, cum medio etherogeneo sciendum, omnes partes spermaticas posse hoc modo coalescere in omni ætate, sessu, etiam in senibus, non secundum coalitum primæ intentionis, sed secundæ cum medio diuersi generis, nam in osse fit callus, in vena porus sarcoides, cum enim natura ex possibilibus semper faciat quod melius est libro 3. de anima tex. 45. libro 1. cæli tex. 3. libro 2. cæli tex. 50. libro 1. de part. cap. 1. libro 2. cæli tex. 59. & libro 3. art. med. tex. 51. non potens natura, vel à materia, vel ab efficiente impedita generare similes partes, quantum potest pro viribus nititur ad illarum similitudinem accedere, volebat enim ruptum os regenerare, sed non potest, & ideo facit porum callosum. Sed dices vnde oritur tanta difficultas ipse naturæ in regeneratione partium spermaticarum, & è contra in carnosarum? Dicendum partes spermaticas difficillime coalescere secundum primum scopum ob agentis imbecillitatem, materiæ indispositionem, & partium sanitatem. Ratione primi, nam calor naturalis magis incumbit nutritioni, & conseruationi partium, cum non sufficiat illarum solidarum restaurationi. Ratione secundi, nam etsi fortassis aderit materiæ copia, tamen tota simul non affluit, quia sanguinis in ossa mutatio non nisi interiectis multis medijs fit, medullæ quippe, glutinis, & seminis perficitur, debet ex rubro albescere, & humido exiccari, ex liquido incrassari, & denique temperamentum, & qualitates omnes immutare, quare cum non nisi paulatim, & sensim ad nutrimentum ossis, & partium spermaticarum accedat alimentum resultans ex nutrimento, excrementum prius se se inter disiunctas partes interponit, hinc callus. His adde carnosarum partium vicinitatem, quæ coalitum anteuertunt, & vacuum implent, nam cum hæ partes carnosæ sint ad regenerationem aptiores, sunt certè impedimentum spermaticis partibus. Ratione tertij, scilicet quia partes seminariæ, seu spermaticæ sunt siccæ, & duræ, quare difficillimè vniuntur. Ad hæc tria potissimè concurrit temporis diuturnitas, quæ sequitur ex efficientis imbecillitate, & materiæ paucitate, hæc enim erat causa potissima ex lib. 1. de sem. c. 13. nam antequam regenerentur partes spermaticæ, in locis, in quibus defectus adest generatur caro, quæ cum interponatur inter solutas partes, partium illarum regeneratio remanet impossibilis. E contra in carnosis partibus, nam non intercedit multus motus, sed leuis, & exigua alteratio, nam ruber, & calidus est sanguis, ita, & caro, materia ergo est disposita, agẽs dispositissimum, quia validum, quare statim coalescunt, quandoque cum medio, & quandoque sine medio, medium autem semper est eiusdem generis, & ideo importune quandoque caro crescit, vt ad eius imminutionem medici transeant, cum medicamentis cathæreticis.

Cur in spermaticis partibus regenerãdis est tanta difficultas.

De

De oculis problemata 54. satis curiosa, vbi multa de oculorum natura, proprietate, et præstantia disputantur.

Theorema LI.



QVoniam sermo nobis est factus de partibus, inter quas principem locũ habent oculi, ideo de oculis curiosè multa quæremus, & primò.

1 Cur Physiognomici maximè oculis confidunt in eorum præsagijs? An quia in ipsis maximè vigent animi nostri accidentia, cum ipsi secundqm Albertũ Magnum sint animæ nostræ porta, atque fenestra, & in ipsis odij, & amoris maxima intueamur inditia.

2 Cur sunt in eminenti loco positi? An vt eorum præstantia nobilitasque dignoscatur, vt veluti prudentes custodes vndique, & à longe possint, vel proficua, vel obnoxia animantibus intueri, & ob eandem rationem arbitror dicebat Galen. libro 8. de vsu part. cap. 2. caput ob oculos fuisse à natura constructum, licet oppositum dixerit Arist. lib. 4. de part. animal. cap. 9. scilicet caput factum fuisse ob cerebrum.

3 Cur oculorum visum maximè optamus? An vt Arist. inquit libro 1. metaph. in principio, quia per ipsum rerum plures dignoscimus differentias, magisque est à materia abstractus, quàm cæteri sensus, & amoris præcipua vis in ipsos est posita, & ob id Musæus, amor omnis ab oculo, & alter Poeta, oculi sunt in amore duces, & Plato in Timæo in tract. de ocul. confitebatur, quod si oculi non fuissent, nunquam hæc, quæ in hoc mundi theatro disputantur cognita fuissent, si nec astra, nec cælum inspicere potuissemus.

4 Cur luminaria, diuinum organũ, & animalis Solem oculos vocauit Gal. lib. 3. de vsu part. cap. 13. & libro de introductorio? An ob eorumdem præstantiam, excellentiamque, cum eundem effectum, quem facit Sol in megacosmo, faciant oculi in microcosmo.

5 Cur cæci non possunt ad officia ascendere? An ex hoc oculorum nobilitas dignoscitur, & rectè à Iureconsultis lege sancitum est, cæcos non posse ad dignitates promoueri per l. primam §. casum. ff. de postulando. Verificatur tamen præsens lex de cæcis à natiuitate, & non de cæcis ex accidenti, qui per aliam l. cæcus de iuditijs, possunt admitti.

6 Cur oculi rotundam figuram sunt adepti, non tamen exquisite rotundam? An quia hæc figura maxime motui apta est, minusque externis iniurijs est obnoxia, vnde rectè Auer. libro 2. collig. cap. 15. dicebat, Castellanos facere turres rotundas, ne machina possit eis nocere. Deinde addo, quia si rotundi non fuissent non possent magnas moles percipere, nisi enim pupillæ foramen circulare esset in corpore rotundo, si essent in plano, tunc non possent opponi rectè nisi paruis corporibus, cum ergo hoc foramen sit in corpore rotundo, tunc multum ambit, & complectitur moles, ex quibus lineæ rectæ facilè trahuntur, & ideo Mathematici dicunt, & est eorum propositio, oculus quantitati percipiendæ non sufficeret, si rotundus non esset, nam montes, & cæteræ magnitudines non recipiuntur formaliter quanti, sed indiuisibiliter, nam in omni re datur basis, & conus, & tunc dico, bases terminari in conos, qui terminantur in punctos, qui sunt indiuisibiles, & sic multas magnitudines videre possunt.

7 Cur oculos possumus claudere quando volumus, non autem naribus, & auribus hoc contingit? An ob oculorum præstantiam, & nobilitatem, natura enim voluit oculos multis musculis munire.

8 Cur duo facti sunt oculi à natura? Respondeo cum Gal. libro 10. de vsu part. cap. 1. vt si alter deficeret, remaneret alter?

9 Cur duo inseruntur nerui oculorum substantiæ? An vt alter visui, alter motui conducat, & ambo à cerebro ducunt originem à secunda coniugatione neruorum. Qui visui conducit dicitur neruus opticus, idest visiuus deferens visum, spiritumque animalem substantiæ oculorum, & præsertim humori crystallino, hic neruus est duabus membranis indutus, dura, & pia matre, in medio eius habens cerebri substantiam, mollior tamen est neruo motorio ex libro 9. de vsu part. capitulo 8. nec distributus est per totum oculum, sed vsque ad humorem crystallinum ex Gal. libro de instrumen. adorato cap. 3.

Qui verò motui conducit dicitur neruus motorius, dans oculis motum medijs musculis, mouentur enim oculi septem motibus destrorsum, sinistsorsum, sursum, deorsum, & in girum dupliciter, qui verè sunt sex motus manifesti, vt ob id dixerit Galen. libro primo, de motu musc. capitul. 3. sex motus habere oculos. Est tamen alius motus à medicis dictus motus tonicus, qui duplex est, alter secundum naturam, & alter præter naturam, secundum naturam, dum æqualiter musculorum omnium fibræ intenduntur, præter naturam, dum fixi omnino manent, vt in catalepsi inuitis nobis, & accidit ex imbecilla, extincta, & resoluta facultate musculorum. Quare septem erunt musculi ab osse sphenoidæ dimanantes. *Oculi septẽ motibus mouentur.*

10 Cur nerui optici quandoque dicuntur concaui? An concaui dicuntur, quia habent vias latiores, apertiores, & maiores, sic Galen. & Auicen. sunt intelligendi, non autem dicuntur concaui, vt arundo, & pinna, nam Vesalius libro 4. capitul. 4. de re anatomica dixit, se nunquam vidisse neruos opticos perforatos, & si in animalibus viuis id pluries perquisierit, & in homine recenter decolla-

to, & si valenti aqua sedulo illos fouisset. Idem Fallopius in obseruat.anatom.Gabriel Cuneus,& Realdus columbus non solum in hominibus hoc non inuenit, sed nec etiam in bobus, & cæteris grandioribus animalibus.

11 Cur si non sunt perforati, & concaui nerui optici oritur ille morbus, scilicet gucta serena, idest obstructio opticorum? An cum polleant molli substantia, & transeat per illos spiritus visiuus, hic transitus potest impediri, magis scilicet incrassatis ipsis, vnde suffusio. Nec ea in re est audiendus Argenterius, qui ratus fuit spiritus visiuos non per neruos, sed per arterias deferri, cum multis experientijs Vesalius oppositum confirmet lib.5. Ego tamen mihi persuaderem in viuentibus adesse maiores vias, & apertiores in neruis opticis, quod non est in mortuis, vbi ob refrigerationem fit maior conclusio, & congelatio, id etiam attestante Gal.lib.3.de uir.nat.cap.14.

Argenterij error.

12 Cur nerui optici bifurcati à cerebro oriuntur, & cum ab ipso aliquantisper elongantur, statim coniunguntur? An triplex est ratio istius vnionis, primo, vt quando spiritus ab vna pupilla prohibetur, vadat ad aliam, & ideo clauso vno oculo alia pupilla fit maior. Secundo, ne vna res duæ appareant, & hinc est, quod quando aufertur ista vnio, tunc vna res duæ apparent. Tertio, quia melius vis visiua sic vnita substentaretur. Hæc tamen vnio neruorum non ita est fabrefacta, vt veluti crux quædam fiat, nam non ita res se habet, quare non rectè cum Alberto Magno libro de sensu.& sens. loqui possumus, hos neruos incruciari, nam verè non incruciantur.

Nerui optici non verè incruciantur.

13 Cur si in humore crystallino fit visio, vna res non apparent duæ cum duo sint humores crystallini? Respondet Turisanus libro tertio, art. med.tex.8. ex Auicen. sumens, quod visio non fit in oculis, sed in illo puncto, in quo nerui optici coniunguntur. Sed contra, nam verè visio fit in oculis. Adhuc non ne aures duæ sunt, & tamen vnum sonum audiunt?

An dicendum visionem non fieri in oculis terminatiuè, sed in cerebro, in oculis tamen inchoatiuè. An & clarius dicimus specierum receptionem fieri in crystallino, qui est primarium visionis organum, in medio oculorum positus, complementum, atque perfectio visionis in copula neruorum opticorum, iudicium tandem in cerebro? An quia virtus visiua est vna, quæ venit ad vtrunque oculum, & ideò vna res non apparent duæ, idem de auribus dicendum. An quia axes amborum oculorum in vnum punctum visum terminant, ita vt ab illo in oculi vtriusque centrum possis lineas demandare rectas. & ob id vnum non apparent duo, sed cum separantur axes, vel compressione oculi, vel alia causa fiunt axes non vniformes, & sic visa multiplicantur, & secũdum Gal.lib.1.de sympt. caus. cap.2. quando crystallinus declinat, vel ad internam, vel supernam partem, tunc vna res duæ apparent, & si hic humor ad alterum angulorum, vel maiorem, vel minorem conuertatur, non ita notatu digna noxa sequetur.

14 Cur oculis multus est adeps, seu pinguedo circumposita? An vt fieret tanquam in lubrico melior, & expeditior oculorum motus, & vt esset constantior, & diuturnior, quibus alioquin ex perenni motu marasmi periculum immineret, & ob eandem rationem sagax natura quibusdam partibus glandulas apposuit humore quodam diffluentes.

15 Cur non rigent oculi? An ob supra tactam rationem, magna enim est pinguedo in tunica ad nata, quæ calefacit, hoc etiam testante Arist.31.part.probl.probl.22.

16 Cur ebrij non nulli gemina vident? An vt inquit Aristotel.3. part. problem. & Auicen. libro tertio de anima, quia oculorum musculi plus, minusve repleti alterum sursum, alterum deorsum torquent, vnde fit, vt oculorum radij eodem pariter non tendant, sed in diuersa loca, vnde res geminæ videntur.

17 Cur maximam delectationem sentientes sursum attollunt oculos, præsertim in actu venereo? An vt inquit Petrus de Apono 4.part.probl.probl.1.quia calor, & spiritus completo actu venereo à testibus reuerberati sursum ascendunt, cum leuia suapte natura ad superum locum ferantur.

18 Cur confricatis oculis cessat sternutamentum? An hoc fit ratione reuulsionis, reuellitur enim materia à cerebro, & naribus ad oculos, vt innuere videtur Arist.31.part.probl.1.

19 Cur fumus maximè oculos infestat? An cum Arist.31.p.probl.probl.21. quia oculi sunt maximè sensibiles, & tenues, & inter corporis parte imbecillissimi, fumus autem res est mordacissima.

20 Cur ab oculis sæpe emicat splendor? Respondeo hic esse maximam difficultatem de temperamento oculorum, nam verè cuius nã temperamenti sint oculi adhuc sub iudice lis est, & videtur esse potius quæstio problematica. Dicere tamen possumus oculos ratione spirituum esse calidos, ratione verò componentium esse frigidos. Ratione primi dixit Arist.3.part.problem.30. oculos esse naturæ igneæ, & Gal.lib.7.de plac. Hip.& Plat. cap.5. magnificat Empedoclem hoc affirmantem, & in c. 6.laudat Plat. in Timæo, & hoc videtur etiam attestari sensus, & experientia, nam si fricantur oculi videntur exire scintillæ, & Galen. loco supra citato dicebat, maiorem copiam spirituum animalium esse in oculis, quam in ventriculis cerebri, vbi enim est maior copia spirituum, ibi est maior caliditas; Deinde quam celerrimè mouentur, motus autem celeritas non nisi caliditatem arguit. Ad secundum respexit Aristotel. libro de sensu, & sens. capitulo 2. & libro 2. de part. animal. cap. primo, vbi frigidi temperamenti esse oculos autumauit. Mitto hic quæ Conciliator, & Simon Portius habent, quod scilicet Aristotel. exotericè locutus fuit, quando dixit, oculos esse naturæ igneæ, nam veritas semper est vna. Ex dictis facilis est responsio ad problema propositum. Si verò oculos esse naturæ frigidæ insectari volueris, quod omni ex parte non laudo, dicere poteris, illum splendorem non esse ratione ignis, sed ob pelluciditatem, planitiem, & leuitatem crystallini, & tunicarum, quæcunque enim leuia sunt polita, & tersa, micant eadem in tenebris, vt cornu, & c.

De temperamẽto oculorum quid sentiendũ.

21 Cur in oculis maximè salutis, aut mortis inditia obseruantur? Vt ob id rectè dixerit Hippoc. libro 6. epid.com.4. vt oculi sic totum corpus? An in ipsis lucet tum facultatis robur, tum eiusdem imbecillitas, nam vegeta, & firma, & constans oculorum vis, eorumque oculorum lucidus splendor bonam de se spem auguratur, è contra, vt nos sæpe sæpius in febribus pestilentialibus obseruamus.

22 An oculus dexter in cunctis ferè hominibus est debilior sinistro, vt inquit Manardus libro 14. epist. epist. 4. ex Arist. in problem. sed Hip. libro 3. de morbis dicit oppositum, nam omnia dextra sunt robustiora sinistris, quanto enim inquit dextræ partes fortiores sinistris, tanto morbi, qui in ipsis fiunt sunt fortiores, vt ob id Amatus cent. 4. cap. 100. magis Hipp. quàm Arist. crediderit. Ego tamen, dictum hoc de oculo sinistro in Arist. non reperio, quare malè Manardus colligit ex Arist. oculum dextrum esse debiliorem sinistro, cum oppositum colligamus, ex dextrarum partium præstantia, & nobilitate.

23 Cur qui pupillæ dilatationem patiuntur, Græci μιδρίασιν vocant res minores quam sint conspiciunt, & è contra, qui tabe laborant pupillæ res maiores vident? An illa putanda causa est, quia in maiori pupilla spiritus visiuus disperditur, è contra in tabe coadunatur spiritus, & multiplicatur, quo fit, vt species etiam in tabe pupillæ maiores appareant.

24 Cur ambulantes per niuem offensam sentiunt in oculis? Respondet Gal. lib. 10. de vsu part. c. 3. quia album est disgregatiuum visus.

25 Cur pueri habent magnos oculos, præsertim pupillam magnam, ingrauescente ætate gracilior redditur? An propter cerebri humiditatem? quæ plurimum in pueritia abundat.

26 Cur sagittarij vt acutius videant claudunt vnum oculum? An quia virtus vnita fortior se ipsa dispersa.

27 Cur viridis color maxime oblectat oculos? An vt in tractatu de coloribus diximus, quia est in mediocritate, & symmetria maxima, iuxta illud,

Fons, speculum, gramen oculis sunt releuamen.

Quamuis ceruleus sit secundum Gal. lib. 10. de vsu part. c. 3. & lib. 1. de sympt. caus. cap. 6.

28 Cur montes à longe, & turres, & vrbes à longinquo totæ videntur, propè verò non nisi ex parte. Respondeo, quod dum à longe sunt opponuntur per rectam lineam pupillæ, & videntur secundum omnes partes, & cum prope, non opponuntur rectè, nisi secundum aliquas partes.

29 Cur feles, & noctuæ habent oculos valde lucentes nocturno tempore? An propter earum cerebri caliditatem.

30 Cur vtuntur quidam spicillis? An quia lumen in medio crasso multiplicatur, & fit maius, in specillis multiplicatur lumen, quia specilla sunt crassa ratione vitri, & sic lumine multiplicato melius possunt senes videre, nam potentia visiua senis multo indiget lumine, multiplicato autem lumine species maior euadit.

31 Cur si exiguum animal in oculos inuolat, statim altero clauso oculo foras extruditur? An quia spiritus visiuus per oculum clausum exire non valens, magna vi, atque violentia, & copia fertur in oculum apertum, quem extendit, tum e facitque, & quasi extrinsecus promit, & ita pellitur, ac foras extruditur animalculum illud, vel quid vis aliud.

32 Cur verentes, & verecundantes oculos humi deijciunt, clauduntque? An vt supra diximus quia oculi sunt animæ fenestra, & porta, & speculum, cum animi affectiones per ipsos cernimus, quoniam verò non substinet animus contra id, quod est honore dignum intueri, conscientia quadam, ideo aliquandiu oculorum musculos demitti contingit, idque velut se se operiens efficit.

33 Cur si fortiter comprimimus oculos, aut si colaphis cedimur ignem videmus emicare ab oculis? An quia spiritus visiui attenuantur ob ictum, & ideo ignescunt, & emicant in aere, veluti contingit cum duos simul lapides, aut ferrum ferro atterimus, interceptus enim aer magnopere attenuatur, atque ignescit.

34 Cur dum ambulamus videntur res moueri? An quia spiritus vi caloris agitantur, & hinc inde mouentur, & sic res omnes moueri videmus, quod etiam accidit ebrijs ex tertia particula problemat. nonò.

35 Cur in puteis profundis stellas videmus? An quia lumen venit totum vnitum, & non disgregatur visus, nec lumen solis impedimento est.

36 Cur aliqui manentes in loco obscuro, & tenebricoso vident à longe res in loco lucido, & alij manentes in loco lucido non vident res manentes in loco obscuro? Ratio primi est, quia in tantum videmus in quantum medium est illuminatum, lumen enim est necessarium propter medium, & propter oculos, ergo iure meritò existentes in loco obscuro vident res in loco lucido. Ratio secundi est, quia medium ibi non est sufficienter illuminatum, & ob id existétes in loco lucido non videmus res existentes in loco opaco, & obscuro.

37 Cur denarius in aqua, vel pomum maiora videntur, quàm sint? An eadem est ratio de specillis, medium enim acquirit maiorem crassitudinem vnde etiam Solem, & Lunam exorientes, & occidentes maiores videmus, quàm in die.

38 Cur obtuse videntes paruas litteras conscribere consueuerunt? An cum Arist. 31. part. proble. quia clausis aliquantulum palpebris scribunt ob oculorum imbecillitatem, nam si laxatis, & apertis oculis scribant visus distrahitur.

39 Cur qui diu in tenebris versati sunt, si repentè maximo splendori occurrant obcæcantur? An ob subitaneas, & improuisas mutationes, quas natura exhorret, quæ semper medicorum consensu morbos pariunt.

40 Cur nauigantibus terra, & quæ quiescunt mobilia videntur? An quia visionis sensorium mota naui per accidens mouetur, quo fit, vt sensibilium similitudines recipiuntur cum motu.

41 Cur aliqui res perforatas, dissectas, & dimidiatas vident? Respondetur, quod humo, siue vapor congelatus si occupat dimidium pupillæ ab vna periheria ad alteram per medium tunc res, & obiecta dimidiata, & dissecta videntur, & ratio est, nam humor, vel vapor crassus occupat mediam partem pupillæ nempè centrum, reliquis partibus illæsis permanentibus, & ideo res perforatæ, & fenestratæ videntur, sic respondet Mundinus libro de anatomia oculorum.

Hoc idem colligere licet ex Gal. libro 1. de sympt. cauſ. & hinc eſt, quod ſi tota pupilla occupatur nil vident homines.

42 Cur non nulli noctu quidem melius vident, ſed interdiu deterius, etſi Luna noctu appareat nil cernunt, cum oppoſitum debeat eſſe, vt ſunt affecti illi, qui νυκταλωπίαν patiuntur? An ideo noctu qui melius vident, habent viſiuos ſpiritus tenues, & ſic in nocturno tempore craſſefieri, ac colligi poſſunt ſpiritus, & ſenſum mouere poſſunt, à lucido nanque maxime diſgregatur viſus ex Gal. libro 10. de vſu part. cap. 4. vbi tribus exemplis hoc monſtrat de militibus Xenophontis, de Dionyſio Tyranno, & exemplo Solis, qui verò de die deterius vident habent ſpiritus tenues, & paucos, & à Solis radijs diſgregantur, ac diſſipantur, & ideo deterius vident. E contra aliqui de die melius vident, occidente Sole deterius, in nocte nihil, nam habent ſpiritus craſſos, tunicas, & humores craſſiores, quæ omnia propter lumen attenuantur, & ſic de die melius vident, occidente verò Sole, quia hæc omnia craſſa magis fiunt, ideo parum vident, de nocte vident, quia craſſiſſima hæc omnia fiunt.

43 Cur aliqui de longinquo vident, de propinquo nequaquam, alij è contra? Reſpondetur hoc prouenire ex multitudine, & craſſitie ſpirituum, vel ex paucitate, & tenuitate eorumdem, Qui de longinquo vident, de propinquo non, habent multos ſpiritus viſiuos craſſos, qui per longius ſpatium luminoſum delati ſunt in cauſa, vt de longinquo melius videant, nam illuminantur, attenuantur, & ſic de longinquo vident, & hanc ob cauſam crediderim cum Solino quemdam virum, Strabonem nuncupatum, dum manebat in quodam Siciliæ promontorio vidiſſe armatam portus Carthaginis, quæ 135. milliarijs diſtabat, quamuis Varro hunc Lynceum fuiſſe confiteatur, de propinquo non vident nam illi ſpiritus viſiui, craſſi, & multi non poſſunt ita bene illuminari, & attenuari, & ſic non vident. Si verò ſpiritus ſunt pauci, & tenues, tunc de longinquo non vident, nam diſperduntur, quia tenues & pauci de propinquo vident propter oppoſitum.

44 Cur qui vulnus patiuntur in occipitio vt plurimum cæci euadunt? An vt inquit Aetius libro 7. cap. 48. ex forti plaga, & ictu neruos opticos à cerebri nexu diſiunctos, & ruptos fuiſſe. An & melius ex capitis ob vulnus concuſſione, & ictu humorem quempiam in cerebri ſubſtantia redundantem, vel ſanguinem rapto aliquo vaſe tenuiori ad opticos confluxiſſe dicendum, atque nos obſtruxiſſe, vt videndi facultas omnino dempta fuerit.

45 Cur aliqui in tempore dextro percuſſi amiſerunt viſum oculi ſiniſtri, & è contra, vt inquit Albertus cognomento Magnus libro de ſenſ. & ſenſ. de quodam milite afferente exemplum, qui in vno tempore percuſſus nocumentum habuit in altero oculo. Dicendum non vt dicit Albertus, nec vt Haly libro 4. ſuæ theoriæ cap. 11. neruos opticos eſſe in cruciatos, ſed eſſe ob aliud, & præſertim, primo, quia materia à loco percuſſionis potuit tranſire ad oculum oppoſitum, quamuis propinquior ſit alter oculus, nec de hoc eſt admirandum, nanque quandoque videmus naturam educere materiam ſplenis per locum vrinæ, cum ei propinquior ſit via, ſcilicet via inteſtinorum amplior, adhùc pulmonis vomicam per eaſdem vias eſſe expurgatas liquido conſtat libro ſeptimo, Aphoriſ. 54.

46 Cur oculi albi melius vident in obſcuro, quàm in lucido aere, è contra oculi nigri. An quia albo additum album magis fit diſgregatio, album eſt enim viſus diſgregantium, è contra nigrum.

47 Cur Aquila ſi vera ſint quæ ex hiſtorijs habentur, intuetur diu Solis radios, quod non contingit hominibus? An ob multam ſpirituum copiam, an ob ſingularem ideo ſympathiam?

48 Cur melius, & acutius vt intueamur conſtringimus palpebras? An ne ab extrinſeco lumine, eiuſque maiori copia viſiui ſpiritus diſſoluantur?

49 Cur Antiphonti, vt lib. 3. metheor. narrat Ariſt. ſemper imago ſui ante oculos obuerſabatur? An nullus erat oculorum defectus, ſed in cerebro erat affectio, quemadmodum apud medicos eſt in confeſſo de melancholicis, qui naſum habere maximum, nũc ſuper caput dolium gerere imaginantur, nunc alia inania excogitant?

50 Cur viſio confertim, & repente fit? An hoc arguit maximam oculorum præſtantiam, vt ſcilicet fiat ſimul receptio ſpecierum, quæ quidem receptio fit in inſtanti, cum cælum, aſtraque ſimul, & in inſtanti intueamur, nam lux educens viſibiles ſpecies ipſa ſe ſe tota ſimul diffundit, eaſque ſimul per aerem tranſportatas oculis ſe ſe ſimul illico patent.

51 Cur ſi ſpecies in oculis recipiuntur non tamen materialiter, oculi in videndo fatiſcunt? An non fatiſcunt oculi ex ſpecierum receptione, ſed ex vi, & conatu, quem facultas adhibet ad videndum, ad firmandum oculum, & ad continendos ſpiritus, deinde à continuatione caloris in humidum, & à rebus externis defatigantur.

52 Cur oculi carnachiæ, ſeu cornicis appenſi collo conſeruant viſum, & ſi fuerint infirmi eos ſanant, vt de Pyrrho Rege Epirotarum legitur, qui ſupra dictos oculos collo geſtabat, quia ſatis debilem viſum habebat. An à tota ſpecie, & à natura occulta hoc prouenit, veluti magnes attrahit ferrum?

53 Cur alia, cæpæ, braſſica, res ſalitæ, lentes, præcipuè fabæ, ventus, motus, poſt cibum, & nimia venus maxime oculis nocent? iuxta verſus Scholæ Salerni de viſus nocumentis cap. 78.

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, alia, fumus,
Porrum cum cæpis, faba, lens, fletuſque, ſinapi,
Sol, coituſque, ignis, labor, ictus, acumina, puluis
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

An quia ciborum hi aliqui groſſum generãt nutrimentum, groſſoſque vapores, venus autem nimia ſpiritus exhaurit, Ventus præcipuè Auſtrinus capitis grauitatem efficit, auditum hebetat, & caliginem inducit ex Hippocrat. libro 3. Aphoriſ. 5. fumus alioquin mordaciſſimus, oculos exiccat, & ob id Diogines in epiſtol. dixerit καπνὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς δάκνει, fletus verò præſertim immodicus, reten-

retentricem oculorum facultatem debilem reddit, reliqua verò, vel ob eorum acrimoniam, vel ob eorum excessus, vel ob aliud, ne singula prosequi velim oculis nocere possunt, singula verò legantur apud scholæ Salerni interpretem.

54 Cur si visio extra mittendo fit, vt Peripateticorum fert opinio, & rei veritas est, vetulæ infantes fascinant deturpantes ipsos. An non quia fit visio extramittendo. Sed quia vndique, & ex omni corporis parte praui exeunt vapores, atque virulenti non tantum ex oculis, & ideo infantes inficiunt, vt copiosè dicemus eo dante lib. 3. theoremate 43.

De facultatibus, et primo de nomine facultatis.

Theorema LII.



ETsi curanti medico de facultatibus, & animæ essentia contemplatio parum videtur esse proficua, teste Galen. libro de substant. fac. natural. tamen nos, qui mistam profitemur doctrinam harum tractationem minimè contemnēdam esse duximus. Facultatum igitur inuestigatio satis dubia fuit apud antiquos teste Galen. libro primo, de caus. puls. cap. 2. vbi quærebar causas pulsuum ex facultate, nam alij existimarunt facultatem esse calorem innatum, alij temperamenti proprietatem, alij vniuersam corporum structuram. Quidam etiam facultatem quamdam nullo præditam corpore introduxerunt, quæ peculiaribus instrumentis motus, quæ retulimus, vtatur, vel omnibus, vel pluribus, alij ex libro de subst. fac. natural. quasdam in corporeas substantias in sensibilibus corporibus habitantes esse dixerunt. Nonnulli etiam opinati sunt fore quasdam substantias compositas ex primis corporibus, quæ secundum Democritum atomi vocantur. *Facultatũ inuestigatio dubia fuit apud Antiquos.*

Verum, vt huius per arduæ difficultatis veritas elucescat, primo è nomine fiat exordium, quare sciendum est, quod idem est facultas, potentia, aut vis, & cum Auicen. libro primo, doc. 6. fen. 1. sum. vnic. capitulo primo virtus, seu potestas animæ. Quid autem sit hæc facultas iam declaretur est facultas aptitudo, seu conditio quædam animæ ad agendum, seu patiendum, non tamen, vt hęc facultas sit agens medium inter animam, & operationem, vt D. Thomas, & Ægidius existimarunt sed solummodo conditio quædam, & aptitudo animæ ad operandum. Sed vt res clarius intelligatur tria sunt non negligenda. *Idem est facultas, potentia, vis, virtus, & animæ potestas. Facultas quid.*

Primum est facultatem, seu operandi potentiam esse accidens quoddam præsertim de secunda specie qualitatis, quod medium videtur esse inter priuatiuum, & positiuum, non est tamen mera priuatio, sed reale quid est, & absolutum, est enim procliuitas, propensio, & aptitudo ex Aristotel. ad talem actum, vt ex hoc colligatur facultatem, seu potentiam operandi esse ens diminutum, & tenuis entitatis.

Secundò sciendum est, facultatem hanc, seu potentiam naturalem semper præsupponere in eadem re aliam naturam priorem positiuam, quam insequatur, nam omnis operatio fit ab actu, quare aptitudo, seu facultas operandi supponit aliam priorem naturam, à qua prouenit, sic ex Aristot. in prædicamen. qualitatis cursor dicitur, qui naturalem habet potenriam bene currendi, sed hæc necesse est vt ab aliqua causa priori proueniat, vt ab optima partium corporis proportione, vel à congruo temperamento qualitatum, seu à bona totius corporis habitudine, vel ab alia causa, quæ specie differt necessario ab ipsa potentia, & quandoque genere, nam si dicantur esse temperamentum hoc, vel est in prima, vel in tertia specie qualitatis, non in secunda, si verò partium figura ea est in quarta specie, si verò situs toto genere distinguitur ipsa potentia, cum sit in prædicamento situs.

Hanc veritatem vidit Doctissimus Galen. libro primo, de præsag. ex puls. capitulo quarto, qui essentiam, seu perfectionem qualitatis consistere dixit in commodo singularum partium temperamento, tunc enim res vna quæque suum quodque munus obit strenuè cum temperatissima est, contra male fungitur suo munere, si intemperata est, & libro primo, de caus. puls. dicebat, facultatem nominari à facultate faciendi, cuius habet facultatem, alicuius enim est facultas, vt eius notio sit relationi subiecta, quod libro primo, de natural. potent. capitulo quarto confirmabat, facultas inquit est nomen relatiuum ad actionem, & quemadmodum relatio non est illa, quæ aliquid causat, sed id, in quo relatio fundatur, ita non est facultas, quæ immediatè operatur, sed id, in quo fundatur facultas, veluti non est paternitas, vt est relatio causa, vt procreetur filius, sed homo, in quo fundatur ista relatio, quod vt diximus siue sit temperamentum, siue anima, siue instrumentum, seu bona corporis habitudo, siue aliud, nunc non disputo.

Et clarius hanc veritatem manifestauit Galen. noster libro de plenit. cap. 3. vbi circumscripsit facultatem, quod sit proprietas temperamenti, adeo vt inanimatis, & alijs mistis omnibus, effectus, seu actiones, & operationes proueniant à facultatibus, ratione temperamenti, & huiusmodi descriptione vsus fuit Fernelius definiens facultatē, lib. 5. de animæ funct. c. 2. vnde Gal. lib. 6. de plac. c. 8. dicebat, si aliqua alia pars haberet simile temperamentum cum cerebro, etiam haberet cum illo similem actionem, habent enim partes peculiares actiones, quia habent peculiare temperamentum quod etiam testatur lib. 7. meth. med. c. 3. quare ex his patet facultatem, seu potentiam operandi præ supponere aliquid aliud in actu. Verum hic notandum diligēter est facultatē hanc pendere à causa priori non per effectricē propriè dictam, sed per emanationem quandā, sine vlla patientis resistentia, & sine vllo efficientis conatu. Tertio, & vlt. sciendum est, facultatē hanc non esse causam immediatā operationis, sed causam illā priorem esse immediatā vt si quis actu currat non dicimus faculta-

te, seu potentiam currendi esse illius cursus proximam causam, animam verò seu instrumenta, seu temperiem, seu quodlibet aliud, à quo illa facultas emanare dicatur esse causam remotam, sed potius proximam, & immediatam, etenim potentia, seu facultas non est causa operationis, sed solum est aptitudo causæ ad operandum, nam operatio fit ab actu, non à potentia, seu facultate, nisi prout potentia præsupponit aliam quandam actualem naturam, cui tribuenda est actio, non potentiæ, patet hoc de potentia passiua materiæ, est enim conditio materiæ ad recipiendum, non est tamen recipiens medium, non enim potentia recipit, sed materia immediate recipit, hoc idem in qualitatibus elementorum motricibus patet, grauitas, & leuitas sunt aptitudines naturales elementorum ad propria loca, & ob id qualitates secundæ speciei, & ex doctrina præstantissimorum philosophorum distinctæ à formis elementorum, nemo tamen dixit elementa moueri à grauitate, & leuitate, tanquam motoribus à forma distinctis, sed vt acceptis loco formarum latentium, latent enim vltimæ rerum differentiæ.

Facultas quid. Patet ergo ex his quid sit facultas, seu potentia, & est conditio, seu aptitudo quædam animæ ad operandum, non tamen causa primaria, & immediata, & proxima, & in hunc sensum est trahendus Galen. libro primo, de natur. fac. capitulo secundo, vbi dicit facultatem esse actionis causam non primariam, & proximam, eodem etiam modo venit intelligendus libro primo, de simpl. cap. primo, vbi facultatem causam esse effectricem dixit. *Toleti error.* Vt hinc pateat errasse Toletum libro secundo, de anima quæst. 9. dicentem facultatem esse proximum, & immediatum principium operandi, siue patiendi. Non enim est proximum, & immediatum principium, vt sufficienter est probatum. *Salui Sclani error.* Hinc etiam patet valde esse hallucinatum Saluum Sclanum libro secundo, art. med. tex. 12. qui nullam esse differentiam inter temperamentum, & facultatem asseruit, illa Galen. authoritate persuasum, seu potius deceptum libro 1. de præsag. expul. cap. 4. vbi dixit, essentiam facultatis esse in commodo partium temperamentum.

Verum præter quod secundum rei veritatem, vt ex superioribus patet, facultas specie distinguitur à temperamento, quod etiam Argenterius confirmauit, tamen etiam in Galen. doctrina distinguitur, nam libro 9. de simpl. med. fac. cap. 1. dicit absurdum esse asserere eandem esse ignis, & aeris qualitatem, tum facultatem, ecce quomodo distinguit qualitatem à facultate. Quemadmodum etiam falluntur, qui non distinguunt animam à temperamento. *Obiectio.* Sed obijcies ex supradictis videtur esse manifestum facultatem esse de genere relatiuorum, & de genere qualitatis, quomodo hoc potest esse cum prædicamenta sint impermista? *Solutio.* Breuiter dicatur secundum diuersos respectus vnum posse poni in diuersis prædicamentis, nam si facultas, seu potentia consideratur, vt respicit actum, tunc est de genere relatiuorum, si verò est vt naturalis potentia, tunc est de genere qualitatis, nec est inconueniens, vt vnum, & idem secundum diuersos respectus, diuersamque considerationem in diuersis reponatur prædicamentis.

An facultates Animæ sint accidentia, an substantiæ.

Theorema. LIII.



Voniam in ante facto theoremate quoquo modo suppositum à nobis est animæ facultates esse accidentia de secunda specie qualitatis, ideo in præsentiarum hoc idem in dubium reuocatur, nam multis præstantissimis in Theologia, & Philosophia viris oppositum visum est. Breuibus autem res agatur. Cum Aristotel. igitur in prædicam. cap. de qualitate tenemus animæ potentias, seu facultates esse accidentia cum ab ipsomet Arist. in secunda specie qualitatis reponantur, idem sentit D. Thomas prima part. sum. quæst. 76. articul. 1. & quæst. 54. art. 3. & libro 1. sent. doc. 3. q. 4. art. 2. Capreolus in prima dist. 3. q. 44. Caetanus ibidem, Ægidius, col. 3. q. & Io. Gandauensis lib. 2. de anima. Et præter has doctissimorum virorum authoritates adsunt non nullæ rationes idem astruentes.

Prima, si potentia, seu facultas animæ est substantia, tunc ex sufficiente diuisione ex lib. 2. de animastica contemplatione omnis substantia, aut est materia, aut forma, aut compositum, modo potentia non est materia, vt de se patet, non forma, nam proculdubio si forma esset compositum efficeret, & sic esset multiplex compositum, non est compositum, ergo animæ potentia dicenda erit qualitas, & per consequens accidens. Secunda potentia naturalis, seu facultas ex supradictis nihil aliud est nisi aptitudo quædam ad operandum, sed animæ potentiæ, seu facultates sunt aptitudines naturales ad operandum, ergo sunt in secunda specie qualitatis. *Non est tuta responsio Scotistarũ.* Neque valet quorumdam scotistarum responsio, quod scilicet Arist. in secunda specie qualitatis tantum ponat potentias ad bene, seu facilè operandum, vel ad facile resistendum, nam ibi vniuersaliter est Arist. locutus, & de omni potentia operandi locutus est, deinde in philosophia tritum est axioma magis, & minus non variare speciem, & multo minus genus, cum igitur actus pugillandi non differat genere ab actu bene pugillandi, ita neque potentia pugillandi differt genere à potentia bene pugillandi, quare nihil dicunt. Tertia actus, & potentia sunt in eodem genere ex Arist. libro 9. metaphys. in principio, & in tex. 13. & libro 12. metaphys. tex. 26. sed actus scilicet operatio est accidens, ergo, & potentia debet esse accidens. Non me latet hanc propositionem varios habere sensus, quos explicant Paulus Soncinas libro 12. metaphys. q. 29. Caetanus prima part. q. 26. art. 3. & Auer. libro 12. metaph. & libro 3. phys. 9.

Verum quoniam non sunt ad rem,nec omnino veri derelinquantur,sat est ea ratione, qua operatio realiter distinguitur à potentia,ea ratione esse in vno,eodemque prædicamento accidentis vtrūque. Sed obijcies primò ex Scotistis, præsertim ex Scoto libro 2. sent. dist.16. de quo dicitur diffinitio,dicitur & nomen diffiniti,sed de forma prædicatur diffinitio potentiæ actiuæ,ergo forma,seu anima est suæ potentię,quare potentia,seu facultas non est accidens,sed substantia,minor probatur ex Arist. libro 9. metaph. vbi potentiam actiuam definit esse principium transmutandi aliud in quantum aliud. *Obiectiones variæ Scotistarū.*

Secundo si facultates essent accidentia, vt supra fuit conclusum, tunc inhærerent quatenus sunt accidentia,nam accidentis esse est inesse ex libro 7. metaph. & non possunt separari.

Tertio sicut potentia passiua in materia non est accidens materiæ, ergo pari ratione, nec actiua potentia debet esse accidens in anima.

Sed breuiter literis satisfacimus,ad primam respondetur ibi,vel Arist.diffinire rationem agendi, vel totum coniunctum, idest potentiam coniunctam cum forma, & sic non sequitur, quod potentia sit substantia. *Solutiones.*

Ad secundam respondetur, accidentia formaliter distincta habere inhærentiam, sicut habent existentiam.

Ad tertiam respondetur si de potentia passiua substentatiua loquamur, tunc falsum est, non esse accidens in materia,sic quoque falsum est de potentijs animæ,si verò de potentia vnitiua cum actu substantiali loquamur,ista est de essentia,quia est actus substantialis,ergo & potentia substantialis. Hic missa facio multa theoremata de natura facultatum, præsertim an differant ab anima, an sint vnum,& idem, quæ videtur esse celebris controuersia, inter Thomistas, & Scotistas, an facultates per obiecta distinguuntur, an generare sibi simile sit naturalius opus viuentium, an anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte totius, an animæ intellectiuæ sint inter se æquales, an sit assistens, an forma informans,& quædam alia,nam nimis in longum nostra excresceret oratio. *Quæ varia theoremata relinquat auctor.*

Quot sint animæ in corpore animalis.

Theorema LIIII.



HAud equidem satis commodè contemplatio de numero facultatum expleri poterit, nisi nouerimus quot in corpore animalis animæ reperiantur, ea propter ab hoc prius exordiemur.

Primum igitur nos determinabimus, dari plures animas in viuente, deinde quot sint facultates declarabimus. Et quamuis in homine tres animas defendere videatur esse contra Concilium Lateranense, quod expresè dicit, non dari tres animas in homine, & contra D.Augustinum libro de Ecclesiast. dogmatibus cap.15. contra Albertum cognomento Magnum tract.2.cap.1. & libro de orig. animæ cap. 4. contra Auic. libro 6.nat.part.1.cap.3.contra D.Thomam libro 2.contra gentes cap.58.& prima parte Sum.q.76. art. 4. tamen respondere possumus, nos hoc theorema discutere ad aures,mentemque Peripateticorum,aliorumque priscorum. Quare ad aures Arist. plures esse animas in homine præsertim defendimus, nam vt Christi asseclæ aliam habemus opinionem, quæ à sacris Concilijs non discrepat. Confirmatur igitur huius theorematis veritas authoritate sapientum, deinde rationibus, & primo Plato libro 4.de Repub.Arist.libro 2.de generat.animal.cap.3.Gal.libro 6.de plac.Hip.& Plat.cap. 2.& libro quod animi mores corp.sequan.temper.cap.3.Philoponus libro 1.de anima tex.91.Auer. in epitom.logicalibus tract.1.Achillinus,Iandunus libro 7.phys.8.& libro 2.metaph.9.10.Ochan. q.2.Mirandulanus libro de euers.sing.certaminis,& alij quamplures,vt Zabarella libro de fac.animæ asserunt in homine tres esse animas, vegetatiuam,sensitiuam,& rationalem, in bruto vegetatiuam,& sensitiuam, præter elementorum formas, cum vnumquoque elementum vnam habeat formam,& præter formas partium,sed missis formis elementorum, & formis partium,tanquam quid clarissimum (nam cum supra tenuimus elementa manere formaliter in mistis,& cum clarum sit esse in corpore diuersas partes, clarum quoque erit dari plures formas scilicet quatuor formas elementorum,& formas diuersarum partium.) Nunc igitur præter supradictorum grauissimorum virorum authoritates,in homine esse tres animas distinctas pluribus rationibus probabimus, & primo, quæcunque diuersis temporibus exoriuntur, & terminant diuersas transmutationes non possunt esse vnum,& idem in substantia,sed anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis diuersis temporibus exoriuntur,diuersasq; terminant mutationes,ergo non sunt eędem,maior clara, minor probatur, nam vegetatiua, & sensitiua, vel eodem tempore, vel diuersis educuntur, si diuersis, habeo intentum, non eodem,nam formæ nobiliores indigent maiori apparatu, & maioribus dispositionibus, requiritur enim debita quantitas,& iusta qualitas. Si dixeris quod educta sensitiua corrumpitur vegetatiua,& adueniens rationalis corrumpitur sensitiua, contra, vbi nullum est corrumpens ibi non potest esse corruptio, probatur antecedens,nam vna forma non est contraria alteri formæ,ergo si non aderit contrarietas,non aderit corruptio, deinde non potest corrumpi,& destrui à generante, nam hoc vel est vniuersale, vel particulare, non vniuersale, vt Sol,Cœlum,Lumen,nam cœlum,& astra libro 2.cœli, tex.42.tantum motu,& lumine agunt,modò lumen potius conseruat, non particulare, vt patet, ergo. *Quomodo intelligatur discussio præsentis theorematis.* *Responsio impugnatur.*

Secundum principaliter, & fortius ratione probatur ex Arist. libro 2.de generat.animal. cap. 3. prius conceptus habet animam vegetatiuam,secundo sensitiuam,& tandem rationalem, ergo plures sunt animæ in viuente. Respondent aliqui textum hunc esse intelligendum de operationibus

ita , vt

Responsio impugnatur. ita, vt prius embrio exerceat operationes vegetatiuæ deinde ſenſitiuæ &c. Sed contra, nam ibi vt clarè patet inſpicienti literam Ariſt. loquitur de animæ ſubſtantia proponens ibi quæſtionem de ſubſtantia animæ, & non de operationibus, verba enim formalia ſunt loquendo de conceptibus in vtero, quæ græcè ſic ſcribuntur, ὅτι τὴν θρεπτικὴν ἔχουσι ψυχὴν, φανερόν. διότι πρῶτον ἐστιν ἀναγκαῖον ταύτην λαβεῖν, ἐκ τῶν περὶ ψυχῆς διωρισμένων ἐν ἄλλοις, φανερὸν προϊόντα δὲ καὶ τὴν αἰσθητικὴν καθ' ἣν ζῶον ἐστι, οὐ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον, καὶ ἄνθρωπος, οὐδὲ ζῶον, καὶ ἵππος, &c. quæ verba clariſſimè ſonant de ſubſtantia animæ non de operationibus, ſi de verbo ad verbum volumus transferre Ariſt. [quod quidem habeant vegetalem animam manifeſtum eſt, ſcilicet ipſi conceptus in vtero, nam de his prius loquebatur, quare autem eſt neceſſarium, ipſam prius accipere ex ijs, quæ de anima alibi diſſeruimus, apertum eſt, ſenſualem etiam animam, qua animal eſt tempore præcedente recipi, &c. manifeſtum eſt, ea quibus verbis non de operationibus, ſed de animæ ſubſtantia loquitur. Vnde non valet reſponſio quorundam, & præſertim Patris Franciſci Toleti libro 2. de anima q. 7. in tertia reſpõſione, qui hunc locum declarans dixit, Ariſt. dicere prius conceptum viuere vitam plantæ, & non dixit eſſe plantam, & hoc colligit ex Alberto, & Philopono ſupra hunc locum, ſed certe non ſic loquitur Ariſto. ſed loquitur de]habere) & de anima, & non de vita, quare volentes fugere vim argumenti in ſexcentas ineptias dilabuntur. Nec eſt dicendum Ariſt. loqui de ordine naturæ, nam loquitur de ordine temporis, nam inquit non ſimul fieri animal, & hominem, nec ſimul animal, & equus.

Responsio Toleti non placet.

Tertium ex Plat. libro 4. de Repub. & Galen. libro 5. de plac. Hip. & Plat. pugna ſenſus continua cum ratione animarum pluralitatem indicant, quod enim ſenſus appetit ratio fugit, & è contra, ergo alia eſt animæ ſubſtantia, qua ſentimus, & alia qua intelligimus, & volumus.

Responsio quorũdam impugnatur.

Reſpondent nonnulli neoterici has diuerſas ad inuicem, & pugnantes facultates ab vna, & eadem anima prouenire, vt ſtat ſub diuerſis gradibus. Sed contra dupliciter, primo, nam quomodo poſſunt ab eadem animæ ſubſtantia prodire duæ contrariæ, & inter ſe pugnantes facultates, quarum vna alteri reſiſtere, & ei impedimento eſſe, & præualere contendunt, neque obijci poteſt nobis de facultate motrice, quæ eſt apta mouere ad contraria loca, quia hæc eſt quidem facultas libera, at dum ad hunc locum mouet, non mouet ad contrarium, ſed ſenſus, & ratio ſimul eodem tempore mouent ad contraria, & pugnant inuicem, tanquam duæ diſtinctæ facultates, quare mala eſt comparatio, nam facultas motrix, vna tantum eſt, at appetitus ſenſitiuus, & voluntas ſunt duæ diſtinctæ facultates, ergo non ab vna, & eadem animæ ſubſtantia prouenire poſſunt, ſed neceſſario à pluribus, & diuerſis animæ partibus prodeunt.

Secundo peto, quid ſunt iſti animæ gradus diuerſi, vel enim ſunt ſubſtantiæ, vel accidentia, ſi dixeris neutrum horum, nihil erunt, accidentia eſſe non poſſunt, nam hi gradus conſtituunt ſubſtantiam ex aduerſarijs, nam ſi ſumamus v. g. animam humanam, hanc aduerſarij dicunt vnam tantum eſſe, & dici rationalem, & dare homini eſſe hominem, cùm eſſe animal, tum eſſe viuens, non tamen per eundem gradum, ſed per gradum vegetabilem dare eſſe viuens, per gradum ſenſibilem dare eſſe animal, & per gradum rationalem dare eſſe hominem, quare cum hi gradus ſubſtantiam conſtituant accidentia eſſe non poſſunt, erunt ergo ſubſtantiæ, & aliæ ſubſtantiæ eſse non poſsunt, quàm formæ, & ſic incidunt in Scyllam cupientes vitare Charybdim, quare in hanc noſtram ſententiam velint nolint feruntur, vt ſcilicet admittant plures formas in compoſito naturali. Si dixeris, iſtos gradus eſſe ſubſtantiam, ſed non ſecundum lineam rectam, ſed à latere, iam contra, nam ſi quod eſt perfectius ponitur in prædicamento ſubſtantiæ ſecundum lineam rectam, ergo quod eſt imperfectius, ponuntur enim intelligentiæ in prædicamen. ſubſtant. ex D. Thoma part. 1. q. 50. ar. 2. ad primum, ex ſimplicio in ante prædicam. Themiſtio libro 3. phyſ. & Alex. referente ſimplicio in prædicamen. ſubſtant. Deinde iterum peto hæc ſubſtantia à latere, aut eſt materia, aut forma, aut compoſitum ex ſufficienti diuiſione lib. 2. de anima tex.

Tertio non materia, quia gradus non ſunt materiales, etiam aduerſarij conſentientibus, non compoſiti, ergo erunt formæ, & ſic è voto res ſuccedet.

Quarto cum formæ non ſint corpora, ſed res incorporeæ poſſunt eſſe ſimul, nam ſi corporeæ eſſent daretur corporum penetratio, & cum nil aliud ſint niſi eſſentiæ rerum, & quidditates formæ, quare ſimul eſſe in eodem compoſito plures qualitates, & formas diſtinctas quid repugnat non video, ita tamen vt ſint ſub ordinatæ ad aliam formam, plures ergo ſunt animæ in homine.

Quinto vbi eſt operatio propria alicuius formæ, ibi dicit Ariſt. eſſe talem formam, ſed in homine vltra intellectionem, ſunt operationes propriæ aliarum formarum, ergo ſunt, & aliæ animæ, at in animali eſt operatio vegetatiuæ, ergo & ipſa vegetatiua. Reſpondent aliqui, quod vbi eſt operatio alicuius formæ ibi eſt anima, aut ſecundum ſe, aut virtualiter, & eminenter virtute ipſa continens.

Responsio impugnatur.

Sed contra multipliciter arguo, primo nulla aſſignatur ratio, quare educenda ſenſitiua interit, ſeu expellitur, ſeu corrumpitur, vt cum ipſis loquar anima vegetatiua, nec quare accedente rationali corrumpitur ſenſitiua, quod nam eſt corrumpens, quæ nam contrarietas, vt ſupra diximus?

Secundo ſi anima rationalis virtute continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, tunc non eſſet ſimplex quod eſt contra ſui naturam.

Tertio omne quod virtute continet aliquod ſapit naturam ipſius, ſaltem in parte, ſed natura vegetatiuæ, & ſenſitiuæ eſt, vt educantur, & vt ſint organo affixæ, & vt ſint mortales, ergo, & anima rationalis aliquod ex his participaret, quod eſt abſurdum, & à veritate alienum, vt infra probabitur. Tandem æterna carent potentia, ex libro 9. metaphyſ. tex. 12. ſed anima rationalis eſt æterna, ergo non poteſt continere in potentia vegetatiuam, & ſenſitiuam, alia potentia hæc non poteſt eſſe quam phyſica, quam ab æternis negat Ariſt. Scio enim eſſe aliam potentiam metaphyſicam, quæ non eſt etiam ſecundum aduerſarios in anima.

Sexto principaliter abſurdum eſt dicere in homine non eſſe tres animas, ſeu formas, ſed tres facultates vnius, & eiuſdem formæ, nam apud Ariſt. harum ſingulæ plures habent facultates, vegetantis enim facultates ſunt nutritiua, attractiua, generatiua, ſentientis viſiua, auditiua &c. rationalis

facul-

facultatis sunt intellectus, & voluntas, ergo secundum hos sequeretur, quod facultas habet aliam facultatem, quod est falsum, nam sola animæ substantia habet vires, & facultates cum facultas nihil aliud sit, nisi aptitudo, seu conditio animæ ad operandum.

Septimo corruptibile, & incorruptibile specifice differunt, & etiam secundum materiam, & genus libro 10. metap. tex. 13. ergo in vnam naturam conuenire non possunt, ergo anima rationalis non est essentia, & substantia vegetatiuæ, & sensitiuæ, nam rationalis est incorruptibilis, vegetatiua, & sensitiua corruptibiles, ergo forma simplex est essentia, & dat vnum tantum esse, & non plura, quæ igitur dat esse hominem, eadem dare non potest esse animal, igitur si homo per animam rationalem est homo, non potest per eandem esse animal, & viuens.

Nono operatio facit cognoscere formas, ergo diuersæ operationes arguunt diuersas formas, nam effectuum contrariorum sunt contrariæ causæ 4. meteor. 40. & 2. de gen. 56. cum igitur videamus diuersas operationes in homine, argumentari debemus esse diuersas formas. Nec confugere debemus ad id quod quidam aiunt verum esse hoc in diuersis suppositis, nam eadem est ratio in omnibus, nec causam assignant rationabilem, quare in diuersis valet, & in vno supposito non, ista propositio.

Decimo si in homine non sunt plures animæ distinctæ tunc homo, & equus non conuenirent vniuocè in animali, quod probo, nam per aduersarios homo est animal per animam rationalem, equus verò est animal pe equi formam scilicet per hinnibilitatem, ergo animal non est eis genus vniuocum, nam illa verè conueniunt in vniuoco, quibus aliqua natura communis, qua participant, respondet, sed animal homini, & equo vniuocè prædicari est ab omnibus philosophis adeo receptum, vt hoc negare summa sit amentia, ergo fatendum est vnam esse sensibilem animam in hominibus, & brutis, ratione cuius vniuocatio sequatur oportet, nec ad gradus confugere debemus.

Vndecimo Aristo. libro de vita, & morte cap. 1. dicit, aliud esse animal, & aliud viuere, dicit enim (necesse est vnam, & eadem animæ particulam in animali, qua & animal est, & viuit, ipso autem esse plures ac diuersas,) nam esse hoc loco non potest significare, nisi essentiam, quare putauit essentialiter esse distinctas, licet ex connexione potestatis, seu subordinationis, vt melius loquar, & actus vna ex eis anima fiat.

Duodecimo Gal. locis supra citatis collegit tres animas esse in homine, verum subiunxit, & aliud, à quo nos discordamus scilicet esse loco disiunctas, quod collegit ex diuersis lesionibus rationalis in cerebro, quod collegit ex læsione cerebri, nam statim læduntur memoria, & intellectus, sensitiua in corde, quam irascibilem vocat, vegetatiua, quam appetitiuam nuncupat in hepate, & licet non sint in omni parte corporis hæ tres animæ, secundum Galen. tamen per facultates in alias corporis partes immittuntur, sic cerebrum per neruos, cor per arterias, hepar per venas vniuerso corpori facultates animæ vniuerso corpori immittit, cuius opinionis inquit esse Hip. & Plat.

Quid alij senserint.

NOn possunt esse plures animæ in homine, nam si prius educitur anima vegetans, deinde sentiens, & vltimo accedit rationalis, vt dicit Arist. tunc forma generis existit sine nulla forma specifica, & daretur genus extra omnes species suas, siquidem erit ibi viuens; quod nec planta, nec animal, deinde erit ibi animal, quod non est aliqua species animalis, quæ omnia sunt absurdissima.

Secundo libro 1. de anima 91. Arist. reprehendit Plat. qui plures in vno posuit animas, ergo falsa est nostri theorematis veritas, testante eodem Arist.

Tertio ex Arist. libro 8. metaph. tex. 10. & libro 2. de anima tex. 31. species sunt veluti numeri, & formæ sunt velut figuræ, & quemadmodum ternarius continet binarium, & sic de alijs, trigonum in quadragono, & quadragonum in pentagono, sic anima vegetatiua in sensitiua, & sensitiua in rationali, & rationalis continet sensitiuam, & vegetatiuam, veluti pentagonum continet in potentia quadragonum, & hoc trigonum, & hoc binarium, & hoc vnitatem.

Quarto vna quæque forma dat esse, ergo si plures sunt formæ in composito tunc essent plura esse, & sic vel essent quatuor, vel quinque esse, quod est absurdum, nam vnius rei vnum est esse.

Quinto sequeretur, quod si vegetatiua non specificat, quod esset idea Plat. scilicet vniuersale in actu.

Sexto quicquid aduenit in actu est accideus ex Auer. phys. libro 1. contex. 63. Sed vegetatiua est actu in embrione, ergo sensitiua, & rationales essent accidentia.

Septimo si sunt plures formæ, tunc compositum esset aggregatum per accidens.

Octauo si est anima vegetans in viuente, tunc ipsa generaret absque rationali.

Nono tunc esset triplex vita, & triplex mors, si essent tres animæ in homine.

Decimo, & est argumentum D. Thomæ, formæ plures substantiales non se possunt compati in eodem subiecto.

Vndecimo frustra fit per plura, quod æquè absolui potest per pauciora, at in animantibus brutis vna sensitiua sufficit ad omnes edendas operationes animæ vegetantis, ergo frustra in bruto ponitur anima vegetans distincta à sensitiua, idem in homine dicendum est.

Duodecimo si esset in homine anima vegetatiua re distincta à sensitiua, & hæc re distincta à rationali, tunc homo esset planta, & esset animal, brutum, quoniam anima vegetans, vt ab alijs distincta plantam constituit, & sensitiua brutum.

Decimotertio si anima vegetans esset in homine distincta ab alijs partibus animæ non esset, nisi communis, & eadem quæ in plantis est, ergo operationes quoque essent communes, qualis enim est forma, tales sunt operationes, consequens tamen falsum est, nam non est idem nutritionis modus,

quo

quo alitur homo, & quo planta, sed modus nutritionis humanæ est proprietas hominis, & nutritio plantæ est propria plantæ, ergo & principium nutritionis humanæ est aliquid proprium hominis, proinde est anima rationalis non alia communior, quare anima rationalis habet altricem facultatem, & alias omnes.

Decimoquarto actiones in homine se inuicem impediunt ex Auic. libro 6. natural. p. 1. cap. 3. ergo signum est esse ab vna, & eadem anima, probatur antecedens, nam si quis vehementissimè imaginetur non percipit obiecta sensuum exteriorum, probatur consequentia, nam si essent plures animæ vna posset esse intenta suæ operationi, & altera alteri.

Decimoquinto melius est tenere vnam animam in homine, & non plures, nam inquit Concilium Lateranense non dari tres animas in homine. Hæc sunt momenta rationum, ad quas facilè sit responsum.

Solutiones argumentorum.

Ad primum quamuis posset dici, quod conceptus in vtero antequam anima rationalis accedat, viuit vitam matris, vt pars illius, accedente rationali viuit vt homo integer, tamen, quia hæc responsio non est vera in omnibus, nam in ouiparis non valet, cum mater sit separata, dicendum aliter, conceptum in vtero esse speciem non perfectam, sed imperfectam, & in fieri, & in via, & negandum est consequens, non enim sequitur dari animal, quod non sit aliqua species animalis, forma enim generis ibi existens absque forma speciei restringitur saltem ab accidentibus, & à dispositionibus conferentibus ad formam speciei. Illud igitur quod dici solet, formam generis non posse existere sine forma speciei intelligendum est de re perfecta, quæ iam sit in facto esse, & non de re imperfecta, & subordinata ad nobiliorem formam.

Ad secundum respondetur ibi damnari Platonem ponentem omnes animas loco distinctas, non autem impugnatur ab Arist. quod plures posuerit.

Ad tertium respondetur ex illo loco non sumi authoritatem vnicam esse animam, quamuis trigonum sit in quadragono, tamen non corrumpitur trigonum, veluti dicunt aduersarij, quod corrumpitur vegetatiua, & sensitiua ad accessum rationalis, quamuis trigonum sit in quadrigono in potentia tamen non est corruptum, ita de animabus, quamuis sensitiua sit in intellectiua, & vegetatiua in sensitiua, tamen non sunt corruptæ, seu corrumpuntur, cum vt ex supra patuit non sit corrumpens, & vt melius hic Arist. locus intelligatur sic est explicandus, vt nihil aliud significet, nisi ordinem superiorum cum suis inferioribus, veluti enim terra est sub aqua, & aqua sub aere, & aer in igne, non tamen sequitur terram non esse actu terram, & aquam non esse actu aquam, ita etiam de animabus philosophandum, sequitur tamen, quod inferius ratione superioris sit aliquantisper imperfectius, vt de animabus, & elementis patet.

Arist. locus explicatur

Ad quartum dicendum, quoniam vegetatiua, & sensitiua sunt subordinatæ ad nobiliorem animam, ideo non dant esse perfectum, & specificatissimum, & ideo ab vltima forma venit tale esse, & sic non currit argumentum.

Ad quintum dico, quod non est idea, nam embryo est aliquod viuens imperfectum, & subordinatum ad perfectius.

Ad sextum respondetur, valere propositionem de actu perfecto, non de eo, quod est in actu imperfecto.

Ad septimum dicatur, quod non esset aggregatum, nam forma prior respectu secundæ est quid imperfectum, secunda verò perfecta.

Ad octauum negatur consequentia, nam, quia sunt subordinatæ, hoc non sequitur.

Ad nonum de vita concedo quod potest esse triplex vita, de morte nego, nam vnus est interitus, & præsertim mors est destructio animæ vegetantis, & absque hac non possunt stare sensitiua, & rationalis, mors enim est defectus humidi, & nutritionis, quæ in vegetatiua consistit, hac mortua moritur sensitiua, & hac intereunte euolat rationalis ad suum locum, sic enim Gal. dicebat lib. 9 meth. med. cap. 10. si vna ex facultatibus pereat ambę cito pereunt, quanto magis de animarum substantijs quamuis rationalis semper excipiatur.

Ad decimum breuis sit responsio valere argumentum quando omnes essent specificæ.

Ad vndecimum respondetur negando minorem, nam nulla forma potest operationes edere ad aliam formam pertinentes, proinde necessariam esse in bruto animam vegetatiuam à sensitiua distinctam, sic in homine dicimus.

Ad duodecimum respōdetur quod anima vegetans in homine non constituit plantam, sed viuens quod est commune genus animalis, & plantæ, & sensitiua non constituit brutum, sed animal genus commune bruti, & hominis, nil ergo hoc argumento ostenditur, nisi quod si in homine sint hæ tres distinctæ formæ homo est simul viuens, & animal, & homo, quod non est negandum. Sed contra dices, nam vegetatiua, quæ est in bruto, seu in homine est hæc, & potest demonstrari digito, & non est hæc per animam rationalem, sed est entitas quædam separabilis ab anima rationali, non potest esse hæc nisi sit in determinata specie. Nisi esset, quod falsum est quod sit hæc, nam est imperfecta. Ex his tamen colligendum est tot esse formas in homine, rationali dempta, quot sunt in brutis, si enim solum sensibilem haberet, tunc non differret specie equus à formica, sed solis accidentibus. Sic etiam in planta duæ sunt animæ, præter enim vegetatiuam est alia forma, qua distinguitur specie ab alijs plantis, nam si per vegetantem solam constituentur omnes plantæ non differret speciē lactuca à cicorio. Sed hæ vltimæ differentiæ rerum sunt nobis ignotæ.

Obiectio.

Solutio.

Ad tertiumdecimum respondetur quod quemadmodum non datur viuens, quod neque sit planta, neque animal, ita neque nutritio communis datur, sed omnis nutritio, vel est hominis, vel equi, vel illius plantæ propria, dicimus ergo neque animam vegetantem, quæ in homine est, neque eius operationem esse communem, quoniam anima humana tùm generales formas coarctat, tùm earum operationes.

Ad quartumdecimum respondetur prouenire hoc ex defectu spirituum concurrentium ad imaginationem, & non ad sensum exteriorem.

Ad vlti-

Ad vltimum respondetur, nos ad aures Arist. & cæterorum priscorum philosophorum, & medicorum hoc tenere.

Ad concilium respondetur aliqui intelligi de animabus rationalibus, scilicet in homine non sunt tres animæ rationales, quicquid tamen sit de hac responsione, certè fatemur secundum nostram catholicam fidem, aliam esse habendam opinionem ab hac, quam in præsenti theoremate defendimus.

Quot sint facultates.

Theorema LV.



QVoniam satis, superque satis fuit à nobis in superiori theoremate demonstratum tres esse in homine distinctas animas, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, & cum ab harum singula propriæ facultates emanent, ideo de his breuiter historica doctrina erit assignanda, si prius illud dixerimus hoc vnum esse ex publicè tum medicis omnibus, tum philosophis concessum quam plures esse in nobis facultates, quibus vniuersum nostrum corpus regatur. Experimur enim nutritionem, vitam, & sensationem in animantium corporibus, quæ quidem omnia ab aliqua causa pendeant oportet, & primò de vegetatiuæ animæ facultatibus.

Illæ igitur tres sunt ex Arist. libro 2. de anima tex. 37. generatrix, auctrix, & nutritiua, quamuis tex. citato videtur duas Arist. tangere facultates animæ vegetatiuæ, scilicet generare, & alimento vti, tamen per ly alimento vti intelligit, auctricem, & nutriticem facultatem, has facultates insequuntur quatuor aliæ ex Gal. libro 1. de nat. fac. cap. 4. & 5. & libro de diff. morborum cap. 6. quas libeat secundarias appellare, scilicet attractricem, retentricem, expultricem, & concoctricem, sine his quatuor anima vegetatiua neque auget, neque nutrit, neque generat, ijs autem tribus sublatis cæteræ corruunt, nam hæ quatuor per se sine illis tribus præcipuis viuenti non prosunt, at illæ tres, licet ordinem inter se habeant, & vna ad aliam tanquam ad principaliorem dirigatur, singulæ tamen possunt appellari præcipuæ. *Vegetatiuæ facultates.*

Illud tamen hic est adnotandum omnes has facultates ab anima vegetatiua emanare, verum hic ordo in his operationibus seruatur, nam generatrix non potest operari, seu anima ipsa non potest per hanc facultatem generare aliud simile nisi præsupposita prius operatione, tum nutritiuæ, tum augumentatiuæ facultatis. Hic breuitatis gratia mittimus quid sit nutritio, quid augumentatio, quid generatio, quid attractio, &c. nam si cuncta prosequi voluerimus nimis in longum nostra abiret oratio. Illud etiam subiungimus, illas tres supradictas esse proprias facultates animæ vegetantis, & si ignis nutriri videtur combustibili, & augeri, hæc est impropria nutritio, & augumentatio, nam tantum animata nutriuntur, & augumentantur, propria enim augumentatio ex Arist. lib. 1. de generat. & corrupt. tria includit vnum, vt ex materia extrinsecus accedente res augeatur, secundum, vt idem numero seruetur, tertium, vt non solum toti fiat additio, magnitudinis, sed etiam singulis partibus, igni tamen vna prima est conditio, non habet reliquas duas, nam non est idem numero ignis, sed alius, & alius, nec omnibus eius particulis. Ommitto hic difficultatem, quæ fieri solet de facultate generandi, de mulis, de animalibus ex putri materia genitis, nam de his aliàs, si Deo placuerit. Sed statim hic oritur difficultas de illis quatuor facultatibus ministris, an scilicet sint tantum quatuor, nam videntur esse plures, quàm quatuor, nam libro 3. de sympt. caus. cap. vlt. datur facultas segregatiua, & appetitiua, & distributiua. Breuiter satis fiat huic dubitationi, has tres esse reducendas ad illas quatuor, segregatrix reducitur ad expultricẽ, distributiua reducitur ad attractricem, appetitrix reducitur ad tracticem, quando enim appetimus trahimus. Animæ sensitiuæ facultates duplices, sunt internæ, & externæ, internæ tres erunt memoria, sensus communis, & phantasia, seu imaginatiua, an verò memoria sit cognoscitiua nunc non disputo, an detur æstimatiua iam supra disputauimus, nec non quod sit sensus communis, & imaginatiua. Externæ sunt quinque sensus, vt visus, auditus, & olfactus, gustus, & tactus. Animæ verò rationalis alij duas, alij tres facultates faciunt, scilicet memoriam, intellectum, & voluntatem, quid horum singula sint, mitto breuitatis gratia. Hæc secundum Arist. de facultatibus dicta sint, sed secundum Gal. tres sunt facultates nostrorum regentes corpus, animalis in cerebro, vitalis in corde, & naturalis in hepate. Dices Arist. libro 2. de anima tex. 27. quinque posuit vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuum. Dicendum hos viros non discordare ad indicem, Nam Galen. de facultatibus considerauit habita ratione conseruandæ sanitatis, & curandi morbi, & ideo non distinxi inter virtutes sensitiuas internas, nam hæ non læduntur, neque ægrotant, nisi læsis sensitiuis in suis organis, quare sensitiua, appetitiua, & intellectiua, & motiua, secundum Galen. ponuntur sub eodem genere, scilicet sub virtute animali. Vegetatiua verò diuiditur à Gal. in facultatem naturalem, & vitalem, Quare nec Aristot. nec Galen. male fecerunt. Quot igitur sint facultates dictum est.

Ignis non propriè nutritur.

Argumentatio tria includit.

Difficultas de quatuor facultatibus, an fiat quatuor.

Decisio.

Sensitiuæ animæ facultates.

Animæ rationalis facultates.

Obiectio.

Solutio.

Sit ne anima humana rationalis immortalis, nec ne, & primo quid secundum antiquos, & præsertim Platonem, deinde secundum Arist. et tertio, quid secundum Gal. et tandem quid secundum naturæ lumen.

Theorema LVI.



Ercurius Trismegistus in Pimandro, & in Asclepio, nec non Pherecydes Syrus philosophorum primi, animos nostros esse immortales nobis posteris memoriæ mandarunt. Post hos diuinus Plato ab illis commutuando diuinissimè hoc argumentum pluribus in locis suorum monumentorum absoluit, animam rationalem immutalem pluribus argumentis ostendens, in Critone, seu de agendo, in Phędone, in Phileto, in Phædro, in Menone, in Timæo, in Apologia, & libris de Repub. & in epist. Sed præsertim in tribus, vel quatuor locis ex professo de argumento disputat in Phædro, Phædone, Timæo, & Critone, quibus omnibus in locis immortalitatem animorum aureis verbis concludit, & primò ex Phædone, anima intellectiua in munijs obeundis non dependet à corpore, ergo immortalis tenenda est, consequentia quidem certa est, antecedens probatur, nam si in proprijs obeundis munijs anima penderet à corpore, ergo quò magis corpori inhæret, tanto magis perficeretur, cum vnumquodque perfectionem sumat ab eo, à quo dependet, sed in anima nostra oppositum experimur, de intellectu, & voluntate, nam cum intellectus circa corporalia detineatur, aut nihil cernit, aut male, idem etiam de voluntate fatendum. Hinc est inquit Plato in Critone cum aliqui sunt moribundi futura prædicunt, quasi illa tunc videant in supernis numinibus descripta. Hinc Socrates falsò accusatus moribundus iudicibus pęnitentiam, accusatoribus ruinam, & Ciuitati tandem seditionem prædixit, quinimo quod maius est, diem suæ mortis in carcere præsagiuit.

Socrates moribūdus multa prædixit.

Secundo, & clarius quanto magis animus in hoc corpore demergitur, tanto magis à sua intellectuali deficit perfectione, & quanto longius discedit, tanto magis perficitur, ergo tunc perfectissima erit anima nostra cum à corpore euolauerit, quod non nisi immortalitatem re dolet.

Tertio non debet virtus alicui obesse, nec vitium alicui prodesse, obesset autem laboriosa vita bonis, & prodesset vita voluptuosa, ac mille illecebris plena malis, & improbis, nisi anima nostra immortalis extitisset.

Quarto naturæ omnes, quæ eiusdem principij participes sunt inter se similes sunt, omnes rationales substantiæ sunt Dei participes, quoniam Dei intelligentiam habere possunt, & ad ipsum, tanquam ad summum, & perenne bonum naturali cupiditate feruntur, ergo & sibi inuicem, & Deo sunt similes, igitur sicut Deus immortalis, & æternus est, ita & anima, quæ illis similis est, quæ quidē ratio à Genesis cap. 1. robur assumit.

Quinto quod semper mouetur immortale est ex Phædro, quod verò aliud mouet, ab alioque mouetur, cum terminum habeat motus, terminum quoque vitæ habebit. Solum ergo quod se ipsum mouet, quia tanquam se deserit nunquam cessat moueri, immò verò, & alijs quęcunque mouentur est fons, & principiū mouēdi, immortale igitur hoc est, quare animus noster ęternus erit, quamuis hæc ratio de motu ex Marsilio Ficino communis magis est, est enim communis humanis, cœlestibus, dęmonicis, & mundi animabus, hoc tamen parum refert, & hæc ratio Platonis ex Alberto libro de origine animæ videtur esse similis illi, quam conscripsit Aristot. libro 2. de generat. animal. cap. 3.

Sexto quod potæst operari sine corpore potest existere sine illo, sed anima intellectiua potest operari sine corpore, ergo, modus enim operandi consequitur modum essendi, si ergo operatur sine corpore, ergo potest sine corpore existere, quare maior est vera, probo minorem ex doctrina Plat. nam anima vegetatiua corpus vegetat nutritione, augumento, & generatione, & producens simile in specie per corpus operatur, sunt enim organa perscripta, atque determinata harum operationum, sic etiam quando imaginatur, aut cogitat, aut memorat per corpus operatur, sunt enim hæc locis distinctis in capite, quando verò per intellectum operatur sine corpore operatur, uam intellectus se ipsum intelligit.

Septimo anima imperat, & dominatur corpori, vt clarum est in viris iustis, & sapientibus, ergo non dependet à corpore, nec est cum eo mista, vt rectè dixerit Anasagoras, solum intellectum esse immistum, vt alijs dominetur.

Octauo vnumquodque corrumpitur à suo proprio vitio, & malo, sed animæ peculiare vitium, & malum est ignorantia, & improbitas, à quibus tamen ipsa non corrumpitur secundum substantiam, ergo simpliciter est immortalis.

Nono anima nostra habet eundem finem vltimum, quem habet intelligentia, scilicet cognitionem, & amorem, ergo in immortalitate similes sunt.

Decimo scire nostrum ex ipso Plat. reminiscentia quædam est ex Menone, scilicet eorum, quæ anima nostra prius sciuit, ergo immortalis, verum hęc ratio parum videtur esse efficax propter duo, quia probat à parte ante animæ immortalitatem, quod non est ita secundum rei veritatem, Secundò ad-

dò admittit reminiſcentiam, quæ dubia eſt, quicquid tamen de hac ſit alias pro Plat. diſputabitur.

Vndecimò ſi anima non eſt immortalis, Dei prouidentia tolleretur à medio, quod falſum, impiũ, & hæreticum eſt in omni ſecta. Duodecimò vnum contrariorum non recipit aliud, ſed animus noſter per ſe viuit, & affert vitam corpori, ergo non eſt mortis capax, quamuis hæc ratio de omni anima probet immortalitatem ſecundum Plat. tamen falſum eſſe infra probabitur ex Platone. Decimotertio perirent vaticinia, oracula, diuinationes, reſponſiones optimorum, & ſapientiſſimorum virorum, ſi anima mortalis eſt, quod non debet dici, nam dicit in Timæo, priſcis viris ſcilicet vatibus, & Sacerdotibus hac in re credendum eſſe, vidit enim ex D. Thoma Plato libros Sacræ Geneſis, ex D. Auguſtino fuit Plato in Ægypto ex lib. 8. de Ciuit. Dei, vidit Mercurij Triſmegiſti monumenta, qui illam immortalem, vt ſupra facit, legit tandem Moſaicam legem. Decimoquarto nulla res principio, & cauſæ, a quibus pendet, repugnat, & aduerſatur, ſed anima intellectiua quãtum poteſt corpori pugnat, & aduerſatur, ergo a corpore non pendet, ergo immortalis, maior eſt certa, nam ſi res aduerſatur principio, a quo dependet, ſui conſeruationem non deſiderat, inſitum enim eſt a natura vnicuique ſe conſeruare quantum fieri poteſt, minor probatur, intellectus duo præcipue exercet munia, ſpeculatur, & conſultat in ſpeculatione, nam ſi quæ a ſenſibus offeruntur Deo, primæque cauſæ tribueremus, tunc hæc corporea eſſe concluderemus. Nam ſimilia pariunt, ſunt præterea impedimenta, quæ corpus animæ præbet, ergo ſi altiora, & ſecretiora ſpeculandi eſt appetitus, quo magis a corpore abſtrahimur, & magis intentum aſſequemur. Idem patet in conſultatione. Decimoquinto in Menone, Pindari, & aliorum monumentis confirmat animum eſſe immortalem, & ob id vitam, quam ſanctiſſime agere monent. Mitto rationem de Ideis in Phædone. Quid verò ſenſerit Plato de ſtatu animę poſt mortem, nunc breuitatis cauſa omitto. Patet ergo ex his ſecundum Platonem, Anaxagoram, Pherecydem, Mercurium animam eſſe immortalem. Harum tamen rationum aliæ ſunt probabiles, animæ demonſtrationem attingunt, ob id rectè dixerit Gal. lib. 9. de plac. Hipp. & Plat. cap. 9. ea, quæ a Platone de animæ ſubſtantia dicuntur, probabilitatem, & veriſimilitudinem non excedere, quod etiam Gal. loco citato ipſis Plat. verbis in Timæo confirmat, atque luculenter declarat, & hæc ſatis.

Plato vidit noſtra legis libros.

Anima Rationalis ſecundum Ariſt. immortalis.

Theorema LVII.



QVamuis de anima humana Ariſt. dubium extitiſſe cõfiteatur Scotus lib. 4. ſent. d. 43. q. 2. Geruęus q. p. q. 11. & Illuſtriſſimus Cardinalis Caietanus potius Ariſt. admortalitatem declinaſſe autumauerit, Alij vero mortalem omnino, vt infra patebit, tamen quoniam via philoſophandi nobis non eſt præcluſa, tentabimus demonſtrare ex vniuerſis Ariſt. libris animam noſtram eſſe immortalem, vt exacta huius theorematis, atque huius totius tractationis notitia habeatur. Primo igitur Ariſt. libr. 1. de anima 65. & 66. intellectus autem videtur innaſci, ἐγγίνεσθαι græcè, cum ſubſtantia quædam ſit, & non corrumpi, maximè autem corrumpitur ab hebetudine, quæ in ſenectute eſt, ex quibus colligitur intellectum eſſe quid diuinius, & impaſſibile, quam certè rationem ſumpſit Ariſt. à Platone ſuo præceptore lib. 10. de Repub. quo loco oſtendens immortalitatem animæ dixit, quod ſi anima periret, aut proprio, aut alieno malo periret, non proprio, nam malum proprium, id eſt quod ei aduerſatur, ac officit, veluti ſi quidem contrarium eſſet, vt ignorantia, & vitia, his non interit, non quidem contrario, nil enim ei contrarium, non ignorantia, & vitio, nam animas conſpicimus viuere omni ſcientia deſtitutas, vitijs fędatas, non alieno, nam ſi proprio non interit malo, minus alieno peribit, puta ſenio. Sed qui contrarium ſentiunt, inquiunt Ariſt. ſolum probare intellectum eo interitu non perire, qui a contrario fit, quomodo etiam ſenſus perirent, cum exemplo ſenſuum vtatur; Addunt ẽt eo loci Ariſt. in confuſo loqui de intellectu, quare de intellectu agente intellexit, ſermo autem abſolute prolatus de nobiliori intelligitur. Sed contra, nam hæc explicatio à vero, & ab Ariſt. diſcrepat, ſcilicet aſſerere eum loqui de interitu a contrario facto, falſum eſt, quoniam ſtatim in primis verbis veluti notum aſſumpſit, cum minimè conuenerit intellectui, & inquit, an per quandam conſequutionem ad alterius interitum aboleatur, inquiens, maxime corrumperetur ab hebetudine, quæ eſt in ſenio, præterea ſi de interitu ſolum loqueretur a contrario pendente, & opinaretur ſenſuum inſtar ex corporis diſſolutione interire, non ſtatim intuliſſet intellectum diuinius quid, & impaſſibile eſſe. Ad illos autem, qui dicunt ibi Aſiſt. de agente intellectu mentionem facere, quam falſiſſimum eſt, tum quia hunc cenſent eſſe Deum, ſed quis eſt tam ſtupiduſrac mente captus, vt ambigeret, nũ ad noſtri corporis interitum diſſolueretur, tum etiam quia Ariſt. de eo intellectu verba facit, cuius intellectio perit, alio quodã interius corrupto, vt ibi affirmat Ariſt. ea verò eſt intellectio poſſibilis intellectus, non autem agentis. Secundo principaliter oſtendo animam eſſe immortalem per totũ progreſſum Ariſt. in libris de anima, namq; ſtatim in principio dixit animæ cognitionem conferre ad oẽm veritatem, cum conferat ad primã philoſophiam, & præterea ad eam conducit, quam inquiunt oẽs ferè expoſitores Græci pręſertim per quandam analogiam eleuamur ad cognitionẽ abſtractorũ, & inde accipimus intelligentias, menteſq; illas abſtractas intelligere, qđ quidẽ nequaquã contingeret, niſi æterna extitiſſet anima noſtra, & ob id in tex. 92. lib. 1. de anima dixit intellectũ à corpore non pẽdere. Tertio ex lib. 2. de anima 11. dixit, quaſdã verò animę partes nil prohibet ſeparari à corpore, propterea quod nullius corporis ſunt actus, & in tex. 21. addit, de intellectu autẽ, & ſpeculatiua potẽtia nil adhuc manifeſtũ, ſed videtur aliud genus animæ, & hoc ſolũ contingere ſeparari, ſicut perpetuũ a corruptibili. Quarto lib. 3. de anima veluti in loco magis oportuno luculenta ſatis oratione æternitatẽ animæ monſtrat, nã tex. 4. Anaxagoræ ſententiã laudat, in tex. 6. inquit minime corpori intellectum eſſe admiſtũ, neq; organicũ, quare ſpecierum, ſeu vniuerſalium locus eſt, & in tex. 7. oſtendit,

Reſponſio quorundã.

Cõfutatio.

quod intellectus eſt vario modo impaſſibilis,ac ſenſus,ideo ſeparabilē eum appellant;hinc in tex.9.
manifeſtare incipit intellectui rerū quidditates rñdere,& in tex.14.& 15.dicit, qđ intellectus vere,
proprie eſt intelligibilis,deinde cū de agente intellectu loqui iā incipit,eandē veritatē cōfirmat, nā
in tex.19.ſeparabilē,impatibilē,nō admiſtā ſubſtantiā exiſtimat,& tandē in tex.20.tanquā ex aurea
tripode poſtremā ſententiā exprimens,& difinitiuam publicauit χωρισθεὶς δὲ ἐςι μόνον τῦ θ' ὅπέρ ἐςι, ϗ
τῦ το μόνον ἀθάνατον,ϗ ἀΐδιον,ῦ μνημονεύ ομεν δὲ,i.ſeparatus eſt ſolū hoc,qđ quidē eſt, & hoc ſolū im

Ariſt.text. dilucidatur.

mortale eſt,& perpetuū;Non reminiſcimur autē &c.quorū verborū hæc eſt ſententia,cū Ariſt.vani
intellectus opera manifeſtaſſet,& illuſtrationē,& receptionē cōſiderans hos oēs reſpectus incipere,
& detinere in particularibus,meritò dixit qđ ſeparatus eſt ſolus id qđ eſt, quaſi dicat reſpectus hos
non eſſe de eſſentia eius,& modo aliquo tunc declinare,& recedere a ſe,ſed ſeparatus eſt id qđ eſt,
& id ſolū,non agens,non poſſibilis,ſed id ſolū qđ vere eſt,immortale, & æternū eſt, & qm̄ veritati
oīa conſonant,ob id iure per ea,quæ dicta,& expoſita ſunt dubitatio ſoluitur,Cur non recordamur
eorū, quæ in ante acta vita experti ſumus, neq; habituū præſentis vitæ, qm̄ id ſolū qđ eſt ſeparatus
paſſiuus,ſine quo nil intelligit,corrūpitur, & ſic pro paſſiua imaginatiuā intelligimus nulla eſt diffi-
cultas,ſi intelligimus intellectū poſſibilē, vt cenſet Simplicius,tunc poſſibilis interit ea ratione,qua
poſſibilis erat,ſed eius interitus non eſt tranſitus ad non eſſe ſimpliciter,ſed regreſſus in ſe,& perfe-
ctio quædā.Hęc ſunt quę in libris de aīa protulit Ariſt.ex quibus luce meridiana clarius patet;aīam
noſtrā eſſe immortalē.Quinto ex Ariſt.in li.1. de part.animal.c.1.dubitat.Ariſt.an oīs aīa ſit natura
lis conſiderationis,vbi inquit,quia intellectus natura nō eſt,verū ſit abſtractus,nō eſt naturalis cō-
ſiderationis,& addit,qđ ſi naturalis conſideraret intellectū,alia philoſophia nō remaneret,& qđ in-
tellectus ad intelligibilia refertur,quę oīa huic veritati conſonant,nā ad intelligibile refertur,id eſt
ad id,qđ propriè dicitur intelligibile,id aūt eſt abſtractū, & ſic nō remaneret alia philoſophia,qua
re ſi naturalis conſideraret intellectū,tunc conſideraret intelligibilia,& ſic cōſideraret abſtracta, &
ita nō daretur alia philoſophia,& ob id lib.2.generat.animal.c.3.dixit, mentē ſolā extrinſecus acce
dere,eāq; ſolā diuinā,nil aūt cū eius actione cōmunicat actio corporalis,& ad hunc ſenſum li.2.de
gen.animal.c.4.mentē nūcupat aduenā,& li.2.de generat.& corrupt.tex.45.inquit abſurdū eſſe ani
mā eſſe ortā elementis cū eius actiones non ſint corporeæ, & ob id aſſerit li.4.de par.c.10. quod ho
mo ſolus animaliū erectus eſt,qm̄ eius natura,& ſubſtantia diuina eſt.Sexto ex libris diuinæ ſapien
tiæ,nā lib.9.metaph.concedit intellectui intellectionē abſtractorū,& lib.12.metaph.tex.17.ſi quid
manet poſterius conſiderandū,in aliquibus.n.nil prohibet,vt ſi eſt anima talis,non omnis autē,ſed
intellectus,omnis nanq; forſitan eſt impoſſibile,ſi igitur nil prohibet, ergo neceſſario erit æternus,
qm̄ in æternis non differt eſſe à poſſe lib.3.phyſ.& li.12.metaph.tex.39.nobis concedit diſpoſitionē
optimā,quæ conuenit ab abſtractis,quare immortalis eſt.Septimo ex libris eth.3.& in politicis,in q
bus exotericè ſcripſit,quæ cum prioribus iuncta hanc opinionē confirmant, aſſerit.n.Philoſophus,
hominē ſemper ſuarū operationū dominū, & eorū principiū intellectū,qui corpori non ſubijcitur,
nec à materia pendet,& lib.10. de moribus contemplatiuā extollens felicitatē homini conuenientē
dicit,ea vita profectò melior eſt,quàm vt attribuere homo,ſibi debeat,eam.n.homo agit, non qua
homo eſt, quia in eo diuinū quoddā incluſū eſt,qđ quantitate præſtat ei, qđ concretū eſt,tanto eius
actio alterius virtutis actionibus antecellit,& libro περὶ ἑρμηνείας aſtruit liberū arbitriū,qđ non con
ceſſiſſet,ſi animā ſentiret ipſe mortalē. Et tandē pro coronide adde dilucidiſſime Themiſtij authori
tatē in paraphraſi lib.3.de anima,dicentis,Ariſt. ſcripſiſſe dialogū ad Eudemū Cypriū ſuū familia-

Aduerſariorum non nulla reſpōſiones.

rē, in quo congregauit multas rationes animæ immortalitatē cōcludentes. Sed quid oppoſitā hēnt
ſententiā his rationibus, & authoritatibus ſatisfacere conātur, & ad tria, vel quatuor capita confu-
giunt,quorū primū eſt,qd intellectus agens nō ſit pars animæ,ſed ſit Deus,& ob id multa aiūt,quæ
Ariſt.conſcripſit de hoc intellectu eſſe intelligenda.Secūdo eſt ēt cū Alex. quod.ſ.intellectus accipi
tur dupliciter,primo pro præparatione,quæ intellectus poteſtas dicitur, & pro intellectu actu p in-
telligibile conſtitutū rōne ſui obiecti,primo modo ſumptus intellectus fit,& inſerit,altero verò mo
do ſumptus deforis aduenit,& abſtractus,& immaterialis eſt. Tertio quod multa ſunt vera cōpara
tione,falſa aūt abſolutè,ita noſter intellectus,& ſi materialis eſt,attñ inter materiales res magis ab
ſtracta forma eſt,& magis conuenit cū abſtractis, & ob id mediæ naturæ eſſe dicitur, qm̄ relata ad
æternū gerit vicē alterius.Quarto eſt,qđ addit Petrus Pōponaſius, qđ intellectus non eſt abſtractus
rōne propria,ſed rōne ſuæ generationis,non quia humanus,ſed rōne qua intellectus eſt, qm̄ dicun

Confutationes.

tur intellectus abſtracti intelligentiæ.Plura addunt,quæ infra declarabuntur.Sed primū quod aſſu
munt falſum eſt,nā agentē intellectū ait Ariſt.eſſe differentiā animæ,vt apparet ex Ariſ. progreſſu,
verū de hoc alias plenius:Secūdū fundamentū adhuc nō pōt ſtare,nā abſurdū eſt,qđ protulit Ariſt.
de intellectu poſſibili ſolū protulerit de præparatione,tùm quia illa pręparatio nō pōt dici pars ani
mæ,tùm quia præparatio omnis aliquo innititur fundamēto rōne diuerſitatis,cuius cā quoq; diuer-
ſa dicitur,ſi igitur Ariſ.præparationē in cōi oſtendiſſet nil explicaſſet, qđ poſſibili intellectui ꝓpriū
fuiſſet,ſi declaraſſet præparationē propriā, id fieri non pōt niſi aperiendo fundamenta illius præpa
rationis.Adde,nā abſurdū valde eſt,vt præparatio illa dicatur intellectus.Abſurdum etiā eſt alterū
membrū,quod rōne operis,& obiecti intellectus dicatur abſtractus,& deforis venire,nā ex Ariſ.li.
2.de generat.animal.c.3.mentio fit de eius eſſentia,qñ dixit,quod intellectus deforis accidit,nō de
animæ intellectione,vt rectè literā intuenti patet.Amplius non eſt rationi conſentaneū, vt quæ con
ueniunt intelligibili,intellectioniq; dicantur de intellectu,quare ſi obiectū,& intellectio abſtracta
ſunt,tanto magis ſubſtantia,quæ operationis eſt principiū,ergo erit ipſa animę ſubſtantia immorta
lis. Tertiū fundamentū nullius roboris eſt,verū quidē eſt animā noſtrā medio modo ſe habere, non
tamen eſt media,vt ipſi cenſent,qm̄ ea partim ſit materialis,& partim immaterialis,id enim eſſe nō
pōt,vt oſtēſum eſt,nec dicere poſſumus ſingula eſſe vera de intellectu non abſolutè,ſed per habitu
dinē ad cæteras facultates,primo,quia ſi à materia pēdet ęquè ac alię partes mortalis erit,Secundò
quia ſingula tribuebat Ariſt.intellectui abſolutè nō in habitudine,abſolutè nuncupabatur ęternus,
immortalis,nō admiſtus,extrinſecus aduenieſ, & ſi ſolū cōparatione ea eſſet vera,cur ambigeret,nā

poſt

post obitũ non recordamur,& si ambigit,cur soluẽdo nõ dicit,nõ recordari,qã intellectus nõ obijt mortẽ.Præterea rationes,quas Arist.adducit id ipsum indicant,qm̃ absolutè æternus, & immortalis est ipse intellectus,quas nunc breuitatis gratia mittantur. Quod vltimo loco afferebatur à Pomponatio,quod idem est verum ratione generis,videtur nullius momenti,nam tunc,quod traderet Philosophus non scientia,sed potius ignorantia esset,quoniam tribueret nostro intellectui,quod nõ ei, sed alijs conuenit,immò sui oppositum conueniret.Accedit,quod tunc nec generi id cõueniret,quoniam noster intellectus non esset eiusdem generis cum alijs intellectibus. Sed inferius in theoremate quodam separato rationes tàm Pomponatij,quàm aliorum dissoluentur.Sit igitur probatum,animam humanam ex doctrina Philosophi esse immortalem.An igitur secundum Philosophum fuerit ante, nec ne nunc non disputo, sufficiat pro nunc de nouo produci à sapientissimo conditore Deo Opt.Max.ad Gal.placida accedamus.

Quid Gal. senserit de animæ humanæ substantia, sitne immortalis, an mortalis.

Theorema LVIII.



HAud ab re fore duximus,si quæ Gal.fuerit ea in re sententia in præsentiarum discutietur, eòque magis hanc prouinciam suscepimus, quoniam nonnullos neotericos animaduerto,qui ex professo affirmant Gal. animam nostram mortalem pronuntiasse. Res quidem satis aliena à sua mente. Neq; mirum, nam Gal.superficiem,nõ medullã intelligũt. Ea propter nos pro viribus conabimur in hoc theoremate Gal. sententiam aperire,à nemine quod sciam,ac legerim animaduersam, rectèque intellectam.Mens igitur Gal.in animæ essentia dubia,& anceps fuit,semperq; dubiosè,& hypotheticè locutus fuit,& hoc quidem pluribus in locis,quos infra afferemus.Si verò exactius, & paulò diligentius ea de re eius iuditium pronunciare libeat, dixerim potius ipsum ad immortalitatem animæ declinasse,quam in oppositam sententiam,vt infra patebit.Vnde vnum hic obiter tacitus prçterire non possum aduersus Nemesium, qui libro de nat. hum. quamplurimis argumentis confutare Gal. conatus est,tanquam his animam corporis temperaturam esse censuerit,sed oscitanter Gal. lectitauit,vt iam iam manifestum fiet,& Conciliator diff.17.obiter,& currenti calamo innuit Gal. distinxisse,animam à crasi,seu temperamento.Sed ad eius formalia verba quæso calamum conuertamus. *Redarguitur Nemesius.* Primò igitur libro quod animi mor.corp.sequan.temper.c.5.hypotheticè loquẽs de anima hæc verba protulit,Profectò si corporis similaris species anima est,ab eius substantia firmissimum argumentum sumemus,sed si ipsam immortalem esse,propriaque,vt Plato volebat,natura præditã pro certo habuerimus,aut saltem eam corpori subijci,at obtemperare,&c. ex quo loco dum hypotheticè loquitur neutram partem possumus de Gal.pronuntiare; Idẽmet Gal. eodem libro, quod animi mor. corp.sequan.tẽper.c.3.post quã cũ Arist.discurrit,oĩa corpora cõstare ex duobus principijs materia, & forma,seu specie,& cũ his ex qualitatibus,quæ tẽperiẽ faciunt oĩno fatendũ esse cõcludit ad aures Arist. animę substantiã ex his constare,& quodãmodo tẽperiẽ esse,deinde subiũgit,itaq; si ratiocinatrix pars species animæ fuerit,interibit, siquidẽ & ipsa tẽperatura quædã cerebri est,atq; ita oẽs animæ species,ac partes,vires tẽperaturã sequentes habebunt,ac huius naturæ animæ substantia fuerit. Verũ.n.verò,sicut Plat.voluit,immortalis est,rectè sanè ipse fecisset,si queãdmodũ,& alia de animę natura litteris mandauit huius quoq; rei causã retulisset,cur videlicet refrigerato cerebro,aut calefacto,siccato,aut madefacto ipsa migrat è corpore,nam secundum.Plat.per animæ à corpore separationem fit interitus,cur verò sanguinis copiosa euacuatio, & cicutæ potus, & exurens febris animã disiungat à corpore, à Plat.vtique ipso, si vitam degeret, omninò discere dignum putarem. Postea quã &c.Ex quibus verbis luce meridiana clarius patet Gal.dubitatiuè,& hypotheticè semper fuisse locutum,& in principio præsentis c.3.dilucidius se declarauit,dicens,Inter has autem totius animæ species,partesque rationalem esse immortalem Plat.sibi persuasisse visus est,ego verò sit ne, an non sit quid aduersus ipsum obijciam nõ aperio.Quare dubius fuit Gal. & si de ipso iudicium fiat potius ad immortalitatem declinauit,nanque confitetur,animam à corpore disiungi,& separari, ergo immortalis. Motiuum autem Gal.contra immortalitatem satis est infirmum,nam principia illa duo, *Gal. dubitatio soluitur* quę sumit Gal.ex mente Arist.scilicet materiam,& formam,seu speciem non possunt coaptari omni animæ,sed tantum vegetatiuæ, & sensitiuæ, quæ sunt materiales, & corporeæ, & diuisibiles, modò animæ rationali,quæ incorporea est, vt supra ex Arist.& Plat.& infra ex natura rei demõstrabitur, non conueniunt illa duo principia.Hic tamen non possum non magnopere admirari, & reprehẽdere simul Brauasolum,qui in indice autumauit in hoc capite Gal. ex professo pronũciasse animę mortalitatem,cum assertiuè hoc Gal.non dixerit,sed vt verba sonant semper dubitatiuè,& hypotheticè loquitur. *Brasauolus notatur.* Quare oscitanter Brasauolus lectitauit Gal.& hic benedictus iudex, ne maledictum appellem,quam plures traxit Neotericos ad hunc errorem concipiendũ de Gal. & præsertim traxit Toletum lib.3.de anima,& alios ante ipsum non tamen ex indice,vt Nemesium,& alios,neque mirum, nam dato vno inconuenienti plura sequuntur. Scio enim quamplures ex hoc indice multum errasse. Argumenta verò, & dubitationes Galen.supra adductæ facilè dissoluuntur, nec sunt adeo firmæ,vt mortalitatem animæ asserant, nam ob illas qualitates in excessu vitiatur instrumentum, & temperamentum ipsius cerebri, quo fit vt, illis vitiatis, & intemperatis non possit manere anima, cum enim anima non operetur, nisi mediantibus spiritibus, & temperamentis, ideo ipsa migret oportet,dicebat enim ipsemet Gal.libro 1.Aphor.20. omnis excessus deijcit actum propriæ virtutis, nam quemadmodum faber quiuis vitiato instrumento non amplius potest opera absoluere,ita,& anima. *Alia Gal. motiua soluuntur.* Sic euacuato sanguine migrat ipsa,quia sanguis est animæ instrumentum, idest pars spirituosa, quæ manet in sanguine, & assumpto cicutæ succo euolat anima, nam in tanta

frigiditate non potest anima manere, idem de febre exurente dici potest. Non ergo quia Galeⁿ dubitat, & præceptorem cupit ea in re colligere debemus in eius doctrina animam esse mortalem. De hac eadem materia Galen. pluribus in locis dubitat, scilicet libro 7. de vsu part. cap. 8. fatetur se ignorare animæ substantiam, & idem libro de vtilitat. respirat. in principio, & libro 9. de Hippoc. & Platon. cap. 9. idem fatetur, nec de animæ substantia quicquam audet pronunciare, idem etiam libro quod animi mor. corp. sequan. temper. cap. 3. & libro de format. fœtus in fine sic inquit, cæterum quemadmodum dixi cum nullam inueniam opinionem scientiam efficientem demonstratione aliqua confirmatam, fateor, me de substantia animæ dubitare, nec vel probabile quicquam habere quod asseram, sicuti etiam ambigo de fœtuum formatrice causa.

Idem fatetur libro quinto, de simplic. med. fac. cap. 9. nunquam scilicet Galen. audere pronunciare de animæ substautia, & idem etiam libro 6. epid. com. 5. text. 5. & libro 7. de Hippoc. & Platon. plac. cap. 7. duorum alterum de animi substantia fateri inquit, oportet, vel ipsam esse fulgidum, & æthereum corpus, ad quod asserendum velint nolint consecutione, eos cogente, descēdant, & Stoici, & Arist. vel ipsam incorpoream esse substantiam, vti tamen hoc corpore, tamquam principali vehiculo, quo vtique medio aliorum corporum postea commercium habet, & libro de motibus manifestis, & obscuris, si modò Galen. est hic liber, quasi dubitatiuè de anima loquens, ait, in capitulo quarto, inquirere autem de anima, an eius substantia sit corporea, neque cesset quando corpus accidit alicuius rei animalis descendere in ea, aut sit aliquid corpori continuum quod cum corpore accidit, aut spermatis sit virtus, aut potentia aliqua, cui conueniant quidem cum creatione corporis accidentia animæ, relinquo hoc illis, qui de se existimant, quod hoc sciunt veraciter, quare vbique locorum Galen. dubius extitit, quinimmo potius si volumus Galen. ad alterutram partem trahere, debemus asserere ipsum animam immortalem sensisse, præsertim in duobus locis, libro de substant. fac. natural. ipsam de foris in corpora immigrare, & corporeis naturis ancillari, vnde admittit ipsam de foris aduenire, & non esse corpoream, quæ sunt duo potissima, & optima argumenta eius immortalitatem adstruentia, & clarius, & aureis, & notandis verbis libro an animal sit quod in vtero est, hanc veritatem aperuit, postquam superius partem animæ irrationalis, scilicet quæ sine ratione est, esse terrestrem, & natura mortalem, & intelligentiæ expertem scilicet vegetalem, & sensitiuam dixit, confessus est postea animam scilicet rationalem à cælesti choro esse dimissam, sic dicens, anima autem, ab vniuersis animis, & cælesti choro delapsa scientiam accipit, semper verò viam, quæ ad simile ducit, sequens, terram quidem superat, ab erroribus aquæ se auertit, transcendit aerem, fit igne superior, & cælestem diuinitatem attingit, sæpeque trans cælestem locum intuetur, rerum omnium domino assistit, super has res circum labitur, sæpe occurrit ijs, quibus cum omne genus habet, nouit vnde sit, quam vis in corpore sit, ipsumque rerum omnium patrem vniuersis rebus inesse, his, in quibus ab illo locata est, vtens oculis & c. Sed quid clarius, quid dilucidius, & apertius de animæ immortalitate potuit vnquam pronunciari, quare forsitā à veritate compulsus Gal. tandem verissimam sententiam promulgauit. Sed dices antequam finem dicendi faciamus, Gal. libro de rig. trem. & palp. cap. 6. dixit, animam nostram esse ipsum calidum. *Obiectio.*

Solutio. Respondetur, vel per animam ibi non intelligere rationalem, sed vegetatiuam, & sensitiuam, sic enim ibi loquitur (at natura sanè, & anima nihil aliud, quàm calor existit) vel ad mentem Stoicorum fuisse locutum pro inuestiganda rigoris generatione. *Obiectio.* Objicies ex Gal. libro 3. de loc. affec. cap. 7. aut anima est temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento alteratur. Respondetur adhuc dubiose locutum fuisse, respondetur tamen, quod anima non est temperamentum, per accidens tamen alteratur à qualitatibus. Sed quid dices de Hip. Dicendum breuiter nullibi aperuisse, quænam sit animę essentia, vel fortassis, quia ignorabat, vel quod melius, quia ad medicum, corporumque curationem parum, vel nihil hæc tractatio conduceret, & hæc hactenus. *Hip. quid de anima sensit.*

Anima rationalis immortalis secundum naturæ lumen.

Theorema LIX.

IAm supra secundum priscos illos philosophos, & præsertim secundum Plat. nec non secundum Arist. & Gal. sufficienter arbitror visum est, animam rationalem esse immortalē, nūc quoq; discutiendum restat quid secundum naturalem rationem, seu secundum ipsum naturale lumen sit sentiendum, hoc enim opus, hic labor, vt ob id maxime in eius comprobatione laborare debeamus, præclarum nanq; est præsens theorema de animæ immortalitate, cum ex hoc tota pendeat humanæ vitæ ratio, seu institutio, neq; vlla tàm sublimis, seu tàm infima humani generis sors est, ad quam maximum nō afferat emolumentum huius veritatis exacta cognitio. Et si enim non ignoramus hanc tractationem fuisse ab alijs tentatam, & ferè completam, tamen, quoniam alij non rectè explicarunt, vel Arist. vel Plat. alij multa omiserunt ad animæ immortalitatem conducentia, ea propter cuncta, quæ pro hac materia colligi, ac dici de eadem possunt complecti non ab re putauimus clarius Plat. Arist. Gal. & Hipp. quoque mentem explicantes. De anima igitur non omni, sed de rationali, seu intellectiua supra dicta, & infra dicenda theoremata sunt intelligenda, clarum nanque est vegetatiuam, & sensitiuam tanquam è materia eductas mortales existere. Nō me latet hic quosdam tanti fecisse animam, vt absolutè omnem animam esse immortalē fassi sint, vt Pythagorici, & ex Platonicis non nulli, vt Xenocrates, Speusippus, Numenius, & Plotinus libro de immortalitate animæ c. 9. qui ex mente Plat. autumant vegetatiuam, & sensitiuam esse immortales, nec ita eos dixisse immortales, vt Boetho tribuit Simpliciu s, quia mortis non essent susceptiuæ, ita vt superuenientem mortem non expectarent, sed semper superstites, & æternas esse asserunt, quod multis rationibus probarunt: nos autem, ne quicquam prætermittamus potiores eligemus. *Nonnulli oēm aīam immortalē fecerunt.*

Rōnes pro- Primo ex authoritate Plat. in Phędro, quia anima est mouens se ipsam, & principium motus aliorum,

rum, & ob id est immortalis inquit Plato, sed hi sic colligunt suum intentum, vt anima hominis, ita aliorum brutorum animæ sunt initia motus ex se ipsis, ergo cęterę animantiũ animę immortales. *bantes oẽm animã esse immortalẽ.*

Secundo ex Phędone Plat. nam quando aliquid alicui est proprium, & per se ei conuenit, oppositum eius nunquam, neque per se, neque per accidens, at quoniam anima ideo anima dicitur, quia animat; & vita est, & per animam vita impartitur alijs, vitæ autem opponitur mors, nunquam anima mortem habebit, sed longe a morte semper seruabitur, & hæc ratio vt hominis animam, ita brutorum etiam immortalem ostendit.

Tertio anima & corporis, & qualitatis omnis, scilicet figuræ, & cuiuscunque contrarietatis est expers, quæ rebus conueniunt obnoxijs variationi, quare immortalis animus noster est, nam quemadmodum cęlum ob id est æternum, quia nulli contrarietati subijcitur, ex Arist. sententia lib. 1. Cœli, ita, immo magis de anima iudicandum est, præsertim quoniam animæ conuenit omni, vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte totius, & ob id minimè diuisibilis, quæ omnia immortalem indicat naturam, quia igitur animæ, nec alteratio conuenit, cum sit expers qualitatis, nec diuisio, cum sit expers molis, nec dissolutio cum sit simplex, iure anima omnis censenda est immortalis, hinc colligit cap. 14. Plotinus animam omnem, & brutorum, & plantarum æternam esse, & immortalem, hinc nobis suadere conabatur Porphyrius, quod maximè abstineamus ab esu carnium. Quarto ex Arist. confirmatur, nam lib. 1. de anima tex. 65. inquit, intellectus autẽ videtur adesse cum substantia quædam sit, & non corrumpatur, maxime enim corrumpetur ab hebetudine, quæ in senectute est, nunc autem quemadmodum in sensorijs euenit, si enim acciperet senes oculũ iuuenis videret vt iuuenis, quare senectus non in eo, quod anima passa sit aliquid, sed id, in quo, veluti in embrietatibus, & ęgritudinibus, ex quibus non secus sensus, ac intellectus eicimus immortalitatem, & eam applicare possumus simili modo brutorum animabus, nam si leo sexes reciperet oculũ leonis iuuenis, tantũ videret vt iuuenis. His igitur rationibus patet sensitiuam, & vegetatiuam esse immortales. Sed certè hæc opinio nec est ad mentem Arist. nec etiam Platonis, nec secundum rei veritatem, & sacrosanctã anchoram Theologiæ manere potest, quare ab humanis mentibus arcenda, & tanquam pestis explodenda. Secundum Arist. hoc patet, nam lib. 2. de gen. animal. c. 3. dicit in homine vegetatiuã, & sensitiuam educi de potentia materiæ, vt ex semine, & solam mentem deforis accedere inquit. Secũdo ratione probo, nam materia semper debet informari forma educta de potentia materiæ, quia interitus, & generatio huius sunt conditionis, quod terminus vnius est principium alterius, & semper post interitum formæ materialis educitur alia, & ideo constitui debet per aliquam formam materialem eductam de potentia materiæ. Nec etiam hæc sententia supra allata est ad mentem Platonis, nã hic in Timæo ex professo agens de hoc argumento dixit, animã Dei nati mortali corpore clauserũt, totumq; corpus, quasi vehiculũ subdidere, atq; in eo aliã animæ speciem mortalem fabricauerunt, quę grauibus, necessarijsq; perturbationibus afficeretur, per quæ ostendit Plato, clarissimè vegetalem, & sensitiuã animã morti esse subiectas. Verũ ne multũ in Platonicis dogmatis immoremur, restat nũc, vt rationes supra adductas soluamus. Ad primã dicimus, illã rõnem esse de anima rationali tãtum, non de oĩbus, primò pp rõnem supra tactam, Secũdo, nã verè intellectus est ille, qui proprie est motus initiũ, & ideo solus est dominus harũ operationũ, non ita de alijs res habet, quę dominæ minimę sunt, & potius naturę instinctu efficiunt opera sua, & sensus oẽs appetitu quodã feruntur, nõ sunt igitur principia propria motus; Tertio aĩæ rõnali conuenit ille motus, qui in se ipsum est, & circularis est, qui solus potest esse æternus, nã sensus mouet secundũ rectitudinẽ quandã, & ad anteriora dicebat Arist. li. 2. Cęli, vegetatio secundũ longitudinẽ, sola ratio in se vertitur, & circularẽ imitatur motũ, vel contra, motus Cœli circularis rõnalẽ circũuolutionẽ imitatur. Ad 2. concedatur vtrãuis vitã includi sensus, & intellectus, dico tamen, qđ differt vita sensus, & vita intellectus, nã vita sensus cõsistit in coniunctione aĩæ cũ corpore, & ideo seorsũ a corpore non saluatur, nã vita eius tũc euanescerет, vita igitur aĩæ vegetatiuæ, & sensitiuæ cũ sit iuncta corpori, est capax contrariorum, at de intellectu, non ita se habet, quandoquidẽ vita est ei propria, & ideo in eo nõ potest recipi mors, cũ ei essentialiter conueniat vita, & hoc est qđ innuebat Simplicius lib. 3. de aĩa 20. Ad 3. rñdetur aĩæ vegetatiuæ, & sensitiuæ conuenire illud contrariũ, qđ est satis pro rerũ interitu, id nãq; est habitus, & priuatio in materia, quia conuenit solũ formis illis, quæ è potentia materiæ educi possunt, ita nõ est de intellectu. Ad confirmationẽ dicimus, aĩam rõnalẽ esse indiuisibilẽ, cæteras vero duas nequaquam. Ad 4. dicimus ex illa Arist. auctoritate non esse eliciendũ aĩam vegetatiuam, & sensitiuam esse immortales, nã de leonis anima, & de cæteris animalibus iuuenibus in cõparatione senũ cõcedimus etiam animam sensitiuam nil pati dum est in corpore, nam est ratione organi defectus, non tamen inde sequitur, ergo immortalis, cuius oppositũ in aĩa rõnali obseruatur. Patet igitur ex his vegetatiuã, & sensitiuã esse mortales, tã in homine, quã in brutis, & plantis. Sed quid de aĩa rõnali, hanc immortalem esse, ac interitui nunquam obnoxiam secundum naturæ lumen, id est rationibus naturalibus quamplurimis ostendere pro viribus conabor, licet Scotus lib. 4. sent. d. 43. & 92. in examine secũdæ propositionis, & Caietanus in expositione super Ecclesiast. ca. 3. hoc theorema rationibus naturalibus, & conuincentibus probari posse neget, & certè crediderim, hos viros in hanc deuenisse sententiam, nam Scotus in Arist. doctrina loquens dubiũ facit Arist. in animæ natura, & Caietanus potius ad mortalitatem vergentem figurat Arist. cum quibus Hernæus consentire videtur quol. 1. q. 115. & cum his neotericus quidem acutus Hispanus Ioannes Huartes in examine ingenij. Quidquid tamẽ sit, credo supposita de hac veritate fides per Concilia, & per Patres pluribus in locis, quos lubẽs breuitatis ergo omitto, asserendum animam esse immortalem etiã per multas physicas rationes, quæ & probabilitatem, & demonstrationem redolebant. Primo igitur solum homo cognoscit æternitatẽ, & appetit illam, cognoscit autem illam per intellectum, ergo necessariũ est, vt illam per intellectũ adipiscatur, ad quid enim homini data est cognitio æternitatis, nisi vt appetat illam, & tunc nisi animus hominis immortalis foret, frustratorius esset hic naturalis appetitus, & vana cognitio illa, quã habuit æternitatis. Secundo solus intellectus, seu mẽs reflectitur in se ipsam intelligens, suarũ actionũ arbitra, iudex, & domina, qđ nõ pt cõueniri virtuti e naturæ gremio eductę, & extẽsę in materia.

Cõfutatur supra dicta opinio.

Solutiones argumentorum.

Quõ secundum naturæ lumen probatur animam rationalẽ esse immortalẽ

Tertiò ad quid Deum religiose colimus, arasque, & sacra ei facimus in dies, & olim posteritas fecit, est enim religio communi omnium sapientum iudicio propria soli, & omni hominum generi semper conueniens. Quod vero de Elephantum religione proditum est, scilicet ipsos Deos colere, Solem adorare, & Lunam, &c. hoc populariter potius venit intelligendum, quam verè, vt potius homines magis ad Dei cultum cohortemur, nam quod noctu ad Lunæ radios, de mane ad Solem se obuertunt, vel pro dignitate magnificum aliquod, & diuinum de Sole corripiunt, vel quod ita, & melius, poscente, & ducente natura corpora sua tanto lumine, atque cælesti calore gestire, & viscera, humoresque exultare sentiant. Solus ergo homo in hoc mundi theatro intellectu viget, quo substantias incorporeas attingit, quare cum semper fuerit sit, & erit religio, existimandum erit hanc inuenisse legum conditores ad coercendos populos, nam antequam fierent Ciuitates, quando huc illuc sparsæ vndique erant gentes vigebat ipsa religio, & Dei cultus, quare naturaliter insita videtur hæc religio solis hominibus. Vt ex his veniat irridendus Plinius libro 8. de nat. hist. asserens elephãtes intellectum habere, quia maxime in his religio viget. Sed hoc, quidnam sit intelligendum supra patuit. Ad rem igitur, veluti enim in primis principijs statim, ac intelligimus, illa eis assentimur, sunt enim ex Arist. naturę ianuę, in quibus non fit error ex libro 2. metaphys. contex. 1. τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι, ita sunt hæc præcepta diiudicanda scilicet venerari Deum, & parentes &c. nec obstat esse diuersos religionis ritus. Quare qui Deum vere colunt, ideo colunt, quoniam inspecta naturæ humanæ excellentia super oĩa eũ lumine cognoscunt. Deus autem secundum omnes est immortalis, æternus, non sensibilis, intelligibilis, vniformis, indissolubilis, quare cum non sit corporeus, nos ipsi secũdum animam assimilamur. Homo namque dicitur Dei numisma, mundi Rex, & Imperator, mundanorum finis, paruus mundus, infinito, & inexhausto cognitionis genere flagrans, non eo modo, quę ad vitæ cultum, ornatumque spectant, scire appetit, sed etiam sublatis in cęlum oculis, atque mentis luminibus diuina dixit, & intelligit, quæ sunt maxima argumenta cælestis animæ nostræ originis, ergo anima nostra dubio procul erit immortalis, simplex, &c. & si anima nostra immortalis non esset, omnia vana, & frustratoria essent, & sic omnia ruerent, quod neutiquam est dicendum, non solum imaginandum, & mente capiendum.

Quid de Elephãtũ religione sentiendum.

Plinius irridendus.

Quartò si anima nostra rationalis, est mortalis, ergo non est Dei prouidentia, circa res humanas, sed Diui habet prouidentiam circa res humanas, ergo anima nostra non est mortalis, maior syllogismi probatur, nam in hac vita non tractantur homines secundum merita, quinimo videmus improbos magis prospere viuere, e contra bonos, & longiori oratione probat Iauellus in quadrupli trac. de humanæ animæ indeficientia, quare nisi spes aliqua esset, vt alibi boni melius degant iuxta eorum merita, Deus certè prouidens non esset, quod autem Deus sit prouidens, luce meridiana clarius est, ita vt probatione non indigeat, nam si res naturales, quæ ratione carent, & dignitate, & naturæ præstantia sunt inferiores homine, & tanta ratione reguntur, & administrantur, vt raro a proposito sibi fine, debitaque perfectione deficiant, cuius certè amentiæ, & insaniæ erit arbitrari res humanas casu, & fortuito cõtingere, nec eas aliqua diuini numinis ratione, rei, & prouidẽtia cõtineri.

Quinto anima rationalis repugnat corpori, corpus autem contra ipsam instigat, & inclinat, sæpe ipsa operatur, bona eius negligens, & motus, & propensiones compescens, quod virtus materialis facere nequit circa suum subiectum.

Sextò sicut naturale desiderium generandi sibi simile arguit speciei æternitatem, ita cum quilibet homo naturaliter velit gloriam, & famam suam in perpetuum propagere, vt etiam post mortem eius nomen cum laude, & gloria perpetuo vigeat, ac floreat, hoc sanè immortalitatẽ animę indicat.

Septimò homo certe ob aliquem finem est factus a conditore Deo, sed hic finis neutiquam comparari potest in hac vita, in qua mentem nostram, ac voluntatem nil implet, ac satiat, ergo relinquitur in alio loco huius finem hominem esse assecuturum, vnde rectè aureis illis verbis Seneca in suasorio pronuntiauit, Animus vero diuina origine haustus, cui nec senectus vlla, nec mors onerosi corporis vinculis exolutus ad sedes suas, & cognata sydera recurret, animus ergo noster immortalis. Vt inde veniat deridendus ille philosophus, qui finem animæ nostræ dixit esse positum in adeptione omnium sciẽtiarum, nam vt plurimum, & quasi semper hic finis frustratorius esset, nam maior pars hominum est in deceptione, quàm in scientia ex libro 2. de anima tex. 191. & lucidissimus Thæmistius exclamabat hunc Aristo. locum paraphrastice vertens maximam partem eorum, quæ scimus esse minimam eorum, quæ ignoramus.

Aurea Senecæ sentẽtia.

Octauò nisi animus noster immortalis esset, ad quid nos vitijs resistimus, ad quid iustitiam conseruamus, ad quid legibus obtemperant homines?

Nonò mens nostra habet infinitam potentiam ad cognoscendas res omnes etiam immaterialiter, ergo immortalis.

Decimò actiones mentis quo magis abstrahuntur à corpore, & materia eò puriores, & præstantiores euadunt, mentemque nostram nobiliorem, & perfectiorem reddunt, ita vt melius sit animæ esse extra corpus, quàm in corpore, vt innuit Arist. libro 1. de anima tex. 94.

Vndecimò operatio intellectus, & voluntatis non circumscribitur tempore, sed vsque ad æternitatem aspirat, nec conquiescit, nisi in obiecto sempiterno, nam anima nostra cognoscit res æternas, & illas amat, & colit.

Duodecimò nihil, quod est limitatum, & non æternum implet animum hominis non tempus, non locus, non imperium, non voluptas, non honor, non vita, nullum denique bonum, sed ad aliud summum bonum aspirat semper homo, quod erit animæ immortalitas, quæ anima suo conditore fruatur, & oblectetur.

Decimotertio conscientia scelerum, quæ nemine accusante hominem accusat, torquet, & cruciat, naturalis amor honesti, naturalis quædam admiratio, laus, honor, obseruantia in eos, qui corpus negligunt, vitam paruipendunt, ac mortem appetunt, non ne hæc omnia clarissimè immortalitatem testantur?

Decimoquarto eo solo homine est Dei cognitio, obseruantia, cultus religio, vt diximus, desiderium

rium imitandi eum,& notitia æternitatis,& diuinitatis,ad quid ergo fiunt hæc omnia, si mens nostra mortalis extitisset?

Decimoquintò si materia prima, quia est in potentia ad omnes formas materiales est ingenerabilis, & incorruptibilis, quanto magis anima nostra debet esse immortalis à parte post, cum sit in potentia ad omnes formas immateriales,& intelligibiles.

Decimosextò omnes homines naturaliter scire desiderant libro 1. metaph. tex. 1. scire autem est rem per causam cognoscere, ex li. 1. post. tex. 7. & causam causæ vsq; ad primam causam, ad hęc prima causa non commodè sciri potest in hoc statu, cum primæ causæ essentia per solam visionem innotescit iuxta illud D.Pauli, Nunc aũt videmus per speculum in ænigmate, tunc autem de facie ad faciem, ergo relinquitur, vt anima separata à corpore hoc cognoscat, ergo erit ipsa immortalis.

Decimoseptimò voluntas hominis infinita est, nam potest desiderare, velle, & amare bonum infinitum, quod est Deus, ergo, vt aliquando hæc voluntas satietur necesse est, vt anima sit immortalis, ac remaneat post corpus. Hoc idem licet colligere ex libertate eiusdem voluntatis, & ex obiecto ipsius voluntatis.

Decimooctauo quemadmodum de parte sensitiua, & vegetatiua dicitur, quod accedente senio languent, & marcescunt, vt robur, forma, pulchritudo, & sensus, & ideo hæ sunt mortales, ita à contrario sensu licet philosophari animam rationalem esse immortalem, nam accedente senio perficitur, vnde est in prouerbio, Curæ seniores sunt sapientiores. *Curæ seniores sunt sapientiores.*

Decimonono intellectus infinita cognoscere potest, nam quo plura cognoscit, plura discere potest, ergo si infinita cognoscere valet, aliquando necesse est, vt hæc intellectus capacitas adimpleatur, quod, si anima immortalis statuatur, continget.

Vigesimo si infinita cognoscit, ergo perpetuò durabit, nam talis est rei essentia, quale est proprium rei.

Vigesimoprimo obiectum intellectus est ens in communi, ergo intellectus quiescere non potest quousque peruenit ad aliquid, in quo est omne ens, & omnis veritas, quod est Deus benedictus.

Vigesimosecundo omnis facultas, seu potentia percipit distinctè omnia ea, quæ sub obiecto continentur, sed intellectus obiectum est ens comprehendens materialia, & immaterialia, ergo distinctè percipit totum hoc, sed dum est in corpore non potest distinctè immaterialia comprehendere, ergo dandus est alius status, quare anima necesse est, vt sit immortalis.

Vigesimotertio voluntas, quæ est animæ rationalis facultas habet pro obiecto bonum in communi, ergo vult intellectus illud, in quo est ratio boni, sed fieri quidem nequit, vt voluntas quiescat, quousque habeat omne bonum, quod erit Deus, quod in hac vita non erit, ergo in alia, anima ergo erit immortalis.

Vigesimoquarto omnes homines volunt esse beati, ergo vt sint, necesse est vt summo bono fruantur, quod non erit nisi Deus Opt. Max. ergo ex hoc concludo animam esse immortalem.

Decimoquinto eorum, quæ mouentur quædam mouentur, vt quiescant, & hæc omnia interitui sunt obnoxia, alia mouentur, & mouent, non vt quiescant, quoniam essentialiter dicuntur moueri, veluti de corporibus loquendo dicimus cœlum moueri non vt quiescat, sed vt moueatur, & ideo semper mouetur, anima inter formas hoc modo se habet, quę mouetur non dico locali, vel accidentali motu, sed spirituali, & essentiali, vt moueatur, & hoc est verum de intellectu, qui est omnia fieri, & qui semper intelligit, hoc motu spirituali mouetur non, vt quiescat, sed vt semper moueatur, ergo immortalis.

Vigesimosexto nulla res corrumpitur ab eo in quo consistit sua perfectio, sed perfectio animæ rationalis consistit in abstractione quadam à corpore, perficitur autem anima scientia, & virtute, secundum scientiam tanto magis perficitur, quanto magis immaterialia considerat, & magis abstrahet à corpore, virtutis perfectio consistit in hoc, quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationes temperet, & refręnet, non ergo corruptio animæ est, quando à corpore separatur. Mittimus alias rationes breuitatis gratia, nam hæ sunt principaliores. Possemus, si volemus ad numerum quinquenarium ascendere, si argumenta sumamus ex conuenientia animæ cum Angelis, Deo, ex pręmio, pęnis, repugnantia sensus cum ratione, & ex alijs. Verum hæ superius allatæ sufficiant. Videndus Franciscus Mirandul. lib. 4. exam. cap. 9. Illud tandem pro coronide addatur, nam verba famosa, vt plurimum esse vera quotidianus rerum euentus edocuit, quod Auer. in paruis natural. cap. de insomnijs affirmat, sed omnes tàm vulgares, quàm alij, hanc animam immortalem fatentur, ergo omni dubitatione postposita velimus, nolimus immortalis est animus noster, secundum naturæ lumen, & secundum veram philosophiam, sed tot dixisse sat sit.

De animæ mortalitate aliorum dogmata.

Theorema LX.



QVoniam non sufficit veritatem indagasse, sed oportet illam ab aduersariorum columnijs vindicare, ea propter in hoc theoremate satis proficuum esse duximus, si aduersariorum rationes, motiua, & argumenta proponantur, & dissoluantur. Vt igitur ea in re methodo aliqua procedamus, prius argumẽta ex authoritate ducta in medium afferemus. Secundo rationes ex Arist. depromptas, tertio ex naturalis philosophiæ lumine selectas. *Orde proced. in hoc theoremate.*

Quantum igitur pertinet ad primum caput, à Philosophis, dein de à Theologis incipiam. Aristoxenus, *Argumen-*

ta ab authoritate mortalitatem probātia. xenus, & Dicearcus ex Mirandulano lib. 4.exam.doc.gen.cap.8. qui Arist. discipuli fuere animam mortalem faciunt,& hanc fuisse inquiunt Arist. mentem. Idem existimauit Diagoras, idem Pharo in Ægypto Exodi cap.5. Nabuchodonosor apud Caldæas in Daniele cap.3. Alex. Aphrodis. Epicurus Philosophus, inter quos primus fuit Lucretius libro 3. Plutarchus libro 5. de plac.cap.1.tenet ex Arist.animam mortalem, Plinius libro 7.cap.55. idem tenet. Ad Theologos accedo Theodoretus libro de aff.græc. Gregorius Nis. Scotus libro 4. sent.d.43.q.2. Heruæus quol.1.q.11. dubium Aristotel.faciunt Caietanus ad mortalitatem Arist. declinasse potius fatetur. Nouissimè omnium Petrus Pomponatius, & cum eo Simon Portius, qui voluere sapere plusquam oportuit sapere mortalem esse dixerunt.

Cum his omnibus possumus conuacare Arist. pluribus in locis fatentem animam esse mortalem, nam libro 1.phys.dicit se tractaturum de formis physicis generabilibus,& corruptibilibus, sed inter has est anima rationalis, nam est forma physica,ergo mortalis.

Secundo ex libro 2.phys. text.12. forma non separatur à materia nisi ratione, non autem re, sed anima rationalis est forma hominis, ergo non re, idem libro secundo, physic. text.26. quia sunt relatiua.

Tertio, ex libro 4.phys.tex.17.vbi probat Arist.formam non esse locum,quia locus separatur à re, non autem forma,ergo anima rationalis non separatur à corpore,& per consequens mortalis.

Quarto in libro 8.phys.tex.52.habet Arist. quod principia, quæ se mouent per accidens sunt corruptibilia,anima est sic, ergo.

Quinto libro 1.cæli,tex.126. omne genitum est corruptibile,& è contra, sed anima humana ante corpus esse non potuit ex lib.12.metaph.tex.16. vbi habet, forma non potest esse ante corpus scilicet subiectum,ergo necessario est genita,ergò corruptibilis.

Sexto,& vltimo ex libro 12.metaph.tex.39. inquit Deo in esse perpetuo felicitatem,nobis autem pauco tempore,ergo anima non est immortalis,nam si esset immortalis veluti Deus, tunc felicitas perpetuò nobis inesset.

Argumēta seu rationes ab Arist. desumpta. Secundum caput argumentorum erat ex rationibus naturalibus ex Arist. desumptis, quæ quamplures sunt,& præsertim quindecim,& prima ratio sumitur ex Scoto libro supra citato,vbi habet ex Arist.libro 7. metaph. tex.vlt. quod omnes partes, quæ possunt remanere destructo toto compositο sunt elementa, idest partes materiales,ex quibus totum componitur, & præter has partes necesse est ponere in toto aliquando formam, quæ resultat ex compositione partium materialium, vt exordinata compositione lignorum resultat forma nauis, quæ forma non potest remanere separata à parte materiali,ergo stante hac doctrina Arist. si posuit animam intellectiuā informare, vt propria forma materiam,quę est corpus humanum,non posuit eam remanere separatam à materia,non remanente toto homine.

Secundo Arist.libro 1.de anima tex.13. ponit hoc fundamentū, si anima habet operationes proprias,quæ scilicet non sint communes animæ,& corpori, est separabilis,idest potest remanere separata à corpore,si non,non. Sed Arist.non inuenit propriam operationem, quoniam in omni sua operatione admiscetur corpori,& in ipso intelligere,nam intelligere,aut est phantasia, aut non fit sine hac ex tex.citato,phantasia autem est potētia organica,& in parte capitis sita, ergo anima non erit immortalis.

Tertio si anima est immortalis, ergo non potest multiplicari, & sic incidemus in errorem Auer. de vnitate intellectus,probo consequentiam, nam ex libro 12.metaph. multiplicatio numeralis est per materiam,sed per te est incorruptibilis,ergo immaterialis, ergo non poterit multiplicari.

Quarto si anima intellectiua est incorruptibilis,ergo non est forma corporis humani, consequēs est contra Arist. libro 2.de anima dantem communem diffinitionem, consequentia probatur, si est incorruptibilis,est hoc aliquid, & per se subsistens est, sed hoc aliquid, & per se subsistens non potest esse actus corporis, nam actus est quo aliquid est, & non quod est, ergo si est incorruptibilis, non potest esse forma corporis.

Quinto ex Arist.libro 3. de anima tex.20. Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, scilicet intellectus agens, passiuus verò intellectus corruptibilis est, ergo si passiuus intellectus est corruptibilis, anima quoque corruptibilis erit, nam hic intellectus passiuus est intrinsecus animæ.

Sexto anima in omni suo opere dependet ab organo,ergo est mortalis, & inseparabilis à corpore,& per consequens mortalis, consequentiæ sunt notæ,antecedens probo,nam anima vniuersaliter est actus corporis physici, organici ex Arist.ergo in omni opere suo dependet ab organo,si dixeris, quod anima quantum ad intellectum non est actus corporis ex libro 3.de anima tex.5.& libro 2.de anima tex.11.tunc contra,ergo anima intellectiua non esset anima, quia per te intellectiua non est actus corporis,sed hoc est contra Arist.nam lib.2. de anima definit omnem animam, & secundum maiorem partem interpretum diffinitio est vniuoca.

Responsio cōfutatur.

Septimo denominatio fit à superabundanti ex libro 6. phys. sed sunt plures operationes, quæ demonstrant ipsam esse mortalem, vt vegetatiuam, & sensitiuam,quàm quæ immortalem, vt tantum intelligere,ergo potius dijudicanda mortalis,quam immortalis.

octauo si anima intellectiua est separata non potest intelligere sicut nunc intelligit cum phantasmate, ergo necesse est, vt habeat duos modos intelligendi dependentem,& independentem,sed contra ex Arist. nam modi operandi sequuntur modos essendi, ergo sequeretur,quod non esset eadem numero anima coniuncta, & separata, quod est inconueniens, nam vnius rei sicut est vna essentia,sic est vnus modus essendi.

Nono si anima est post corpus,ergo intelligit absque phantasmate, hoc autem est impossibile,ergo non remanet post corpus, probatur impossibilitas scilicet quod anima non possit intelligere sine phantasmate secundum Arist.

Primò, nam intelligentia non potest habere modum intelligendi intellectus humani, ergo nec intelle-

intellectus humanus potest habere motum intelligendi, qui competit intelligentijs scilicet sine phantasmate.

Secundò cum operationes transmutantur, ergo natura debet transmutari, & sic anima fieret intelligentia.

Tertio operatio essentialis nunquam separatur à re stante natura rei, sed intelligere cum phantasmate est de essentia animæ nostræ, quoniam acquirit naturaliter perfectionem ex sensu, ergo non potest hic modus pro quocunque statu separari ab anima.

Quarto Arist. non posuit aliquam intelligentiam sine corpore, cui applicatur, vt motor, cum in libro 12. metaph. indaget numerum earum ex numero motuum, ergo multo minus concederet, animam esse sine corpore cum sit minus abstracta.

Decimo principaliter ex libro 3. de anima text. 20. post mortem non reminiscimur propter intellectus passiui corruptionem, ergo quid clarius, si ergo memoria, intellectus, & voluntas ex libro 3. de anima sunt potentiæ animæ rationalis, ergo, si Aristot. dicit libro tertio de anima quod non reminiscimur post mortem, ergo nec intelligimus, nam non est maior ratio de vna potentia, quàm de alijs.

Decimoprimo si anima Socratis per infinitum tempus non fuit, & postea incepit esse, & nunquam deficiet, postquam incepit esse, ergo & mundus per infinitum tempus potuisset non fuisse, & postea incipere, & nunquam desinere, quod tamen repugnat Arist. libro 8. phys. & libro 1. cæli, & libro 2. de generat. & corrupt. & lib. 12. metaph. & si partes non fiunt, totum non fit, constat autem animam non esse partem entium mundi, ergo si anima Socratis non semper fuit, potuit, & mundus non semper fuisse.

Decimosecundo si anima manet post corpus, aut stabit in æternum extra corpus, aut dabitur resurrectio naturaliter, neutrum concedit Arist. ergo anima non manet, non primum, quoniam daretur violentum perpetuum, quod est contra Arist. lib. 1. cæli tex. 18. non secundum, nam à priuatione ad habitum non datur regressus, ergo &c.

Decimotertio si anima est forma corporis, ergo creatur de nouo, sed hoc contrarium est Arist. lib. 8 phys. à text. 6. vsque ad 13. vbi habet, quod ab agente æterno, & à voluntate antiqua non possit prouenire effectus nouus sine mutatione ipsius agentis æterni, consequentia probatur, nam si non creatur, ergo educitur de potentia materiæ, ergo materialis, & si non creatur de nouo non erit forma, quia ex lib. 12. metaph. tex. 16. forma non præcedit id, cuius est forma.

Decimoquarto si anima manet post corpus, ergo alicubi manet, ergo est in loco, sed dum tendit ad illum locum, aut tendit per motum, aut per subitam mutationem, non per motum, quoniam ex libro 6. phys. indiuisibile non mouetur per se, sed anima est huiusmodi, ergo, non per subitam mutationem, quoniam aut per se illuc transmutata est, aut per accidens, non per se, quoniam sicut Arist. reputat impossibile, indiuisibile moueri per se, sic etiam, & mutari, non per accidens, quoniam cum sit separata à corpore non transmutatur ad transmutationem corporis, sicut prius.

Decimoquinto si anima est æterna, ergo animæ humanæ separatæ erunt infinitę, quia cum mundus ex Arist. sit æternus, infiniti homines decesserunt, & decedent etiam, sed Arist. negat infinitum ergo, & c.

Tertium caput erat ex rationibus ex lumine naturali, & ex philosophia desumptis, quæ vt decem sunt.

Primò homines minus sunt intellectuales, quàm sensitiui, nam operationem intellectualem pauci habent, & qui habent etiam valde debilem, & obscuram habent, ergo non est immortalis, nam vt in pluribus habent homines operationes perfectas, scilicet vegetatiuam, & sensitiuam, & confirmo, nam sunt quidam homines, in quibus ferè non est intellectus, adeo sunt fatui, & stolidi. *Argumēta ex naturali lumine deprompta*

Secundo si ad hominis interitum non interit anima, ergo ad generationem hominis non generatur anima, quo dato, generatio non esset vera generatio, nec corruptio vera corruptio, & termini mutationis non essent vniuersaliter habitus, & priuatio, quod est contra naturalem philosophiam.

Tertio si anima esset immortalis, tunc in omni opere non dependeret à corpore, sed pendet, ergo, probatur consequentia, nam magis intelligunt senes, quàm pueri, & tunc si esset immortalis, & immaterialis non deberemus magis in senio, quàm in pueritia intelligere, ergo signum est, intelligere variari secundum variationem materiæ.

Quarto inter appetitum naturalem, & sensitiuum est magna lucta, & vicissitudinaria victoria, hoc autem contingere non posset, si anima esset immortalis, nam quæ immortalia perpetua pace, & concordia mutua fruuntur, ergo.

Quintò si anima est æterna, & habet potentias materiales, scilicet vegetatiuam, & sensitiuam, & immortales, scilicet intellectiuam, & volitiuam, cum secundum Arist. non detur resurrectio, ergo darentur potentiæ perpetuò priuatæ actionibus suis, quoniam non exercerentur sine organo, quod non datur in anima separata, sed hoc est irrationabile, ergo & anima est mortalis secundum naturam.

Sexto si anima est forma naturalis, ergo solo miraculo potest stare absque subiecto, immò hoc esset maius miraculum, quàm quod accidens sit absque subiecto cum ex anima, & corpore fit magis vnum per se, quam ex accidenti, & substantia, sed indissolubilius est id quod est per se, quàm quod est per accidens, sed miracula non sunt in naturali lumine admittenda, ergo.

Septimo diffinitio non potest separari à diffinito, sed esse actum corporis & c. est diffinitio animæ, & per consequens animæ humanæ, ergo non potest fieri per aliquam potentiam quin sit actus corporis, ergo est inseparabilis à corpore.

Octauo verè immortale non potest esse principium formale nutritionis augumenti, & sensationis sed anima hominis est principium nutritionis, augumenti, & sensationis, cum eadem sit nutritiua, sensitiua, & intellectiua, ergo non est verè immortalis. Nono principium respondet fini, & è contra, sed cuncta ex nihilo fiunt, & in nihilum redibunt, ergo, vnde Poeta.

Cuncta

Cuncta suos ortus repetunt, finemque requirunt,
Et vadit ad nihilum, quod fuit ante nihil.

Decimo si est immortalis, ergo extrinsecus aduenit, sed hoc est falsum, & probo, nam si extrinsecus aduenit, tunc prius existit, quàm informet, & probo, nam non est intelligibile aliquod ab extrinseco aduenire alicui, nisi prius existat, secundò si extrinsecus aduenit, tunc anima præcedit corpus, & hoc est contra Arist. lib. 12. metaph.

Tandem si anima venit ab extrinseco, ergo est completa in se, nam si venit ab extrinseco habet esse per se, & operationem per se, ergo cum corpore non faciet vnum per se, nam ex libro 8. metaph. hæc est conditio eorum, ex quibus fit vnum per se, vt vtrumque sit in potentia. Tandem, & vndecimo principaliter ad has rationes potest pro coronide quorumdam Achilles addi, nulla potentia est abstractior à materia, quàm substantia, cuius est potentia, ergo intellectus non est abstractior, quàm anima, sed anima est actus corporis, ergo & intellectus est actus corporis, ergo corruptibilis, vt patet de alijs potentijs, quæ actus corporis sunt, ergo & anima erit corruptibilis, alioquin remaneret in perpetuum sine potentijs otiosa, maior vera, nam quanto aliquid est abstractius tanto nobilius, constat autem, quod potentia non sit dignior substantia. Hæ sunt authoritates, hæ sunt Arist. rationes, & hæc sunt argumenta, ex naturali philosophia desumpta, his tribus capitibus digesta, ad quæ iam respondere oportet eo, quo proposita sunt, ordine, & breuissime respondetur.

Solutiones auctoritatum. Ad argumenta ex authoritate illorum virorum dicimus, male omnes sensisse, qui mortalem animam faciunt, etiam qui ita sentiunt in Arist. doctrina, nam ex Arist. superiori theoremate oppositum patuit. De Alex. Aphrodisæo si per otia liceret ipsum immortalitatem sensisse demonstrarem, verum videndus interim D. Augustinus ad Eugubinum libro 9. cap. 21. & 22. vbi nititur probare Alex. Aphrodisæum sensisse animæ immortalitatem. De alijs idem sentientibus parum curamus. Ad illud D. Thomæ respondetur, quod respectu substantiarum separatarum ibi dicit animam non esse verè intelligentem, sicut noctua non potest dici verè videns Solem, corporea verò obiecta, cum sint ei magis proportionata, verè intelligit.

Ad authoritates Arist. ad primam respondetur Arist. esse intelligendum de formis generabilibus, & corruptibilibus existentibus in corpore genito, & corruptibili, vt est homo, vel aliter dicere possumus, quod anima dicitur corruptibilis, quia cessat informare.

Ad secundã dico, loqui Arist. de forma, quæ purè natura est, modo anima rationalis non est huiusmodi, nam habet intellectum.

Ad tertiã respondetur, quod sic est Arist. intelligendus, scilicet quod forma non separatur à re, manente re, sed locus separatur à corpore, manente corpore.

Ad quartã respondeo, sensum Arist. hunc esse, scilicet principia, quæ per accidens se mouent incorruptibilibus sunt.

Ad quintã respondetur, quod Arist. intelligitur de genito ex contrarijs elementaribus, vel loquitur de genito per motum, qualis non est anima.

Ad vltimum loquitur Arist. de felicitate, quæ homini inest, & coniuncto, non autem animæ solum, illa autem parum durat, quia homo corrumpitur.

Solutiones rationum Arist. Ad argumenta ex Arist. deprompta respondeamus, ad primum respondetur, quod materia, & forma ratione compositi sunt, & possunt dici elementa, idest principia, tamen si vna respectu alterius comparetur altera est forma, & altera est materia, ergo destructo toto, remanent partes materiales, idest elementales, sed non omnes, nam remanet anima, quæ est forma, & sic Arist. non dicit, quod destructo toto, omnes partes sint elementa.

Ad secundum falsum est, quod intelligere dependet à corpore, nam Arist. facta hac suppositione in libro 2. de anima tex. 152. voluit intelligere non esse phantasiam, & libro 3. de anima text. 4. 5. & 6. dixit intellectum esse immistum, quod est proprium opus animæ.

Ad tertium negatur consequentia, & ad probationem dico, quod quando dicit Arist. substantiam immaterialem non posse multiplicari intelligit substantiam immaterialem perfectam, non habentem rationem partis, nec vnibilem materiæ, cuiusmodi non est anima, nam substantia illa superior sunt Deus, & intelligentiæ.

Ad quartum falsa est consequentia, & ad probationem dico duo, primum, quod anima non est verè hoc aliquid, nam est pars corporis, cum hoc aliquid in suo proprio significato est indiuiduum perfectum, & completum in specie, dico secundum, quod anima est per se subsistens, idest non educta de potentia materiæ, & sic negatur quod non possit esse actus.

Ad quintum respondetur per passiuum intellectum intelligere Arist. phantasiam, quæ corruptibilis est, quia organica.

Ad sextum negatur antecedens, ad probationem dico, si ly vniuersaliter sumatur pro vniuersalitate suæ essentiæ, tunc concedo, si autem sumatur pro essentia animæ, & pro suis omnibus potentijs tunc nego, nam intellectus non est forma corporis.

Ad septimũ denominatio fieri debet à superabundanti proprio, vt est intelligere, & à nobiliori.

Ad octauũ dico quod si essent duo isti modi ambo naturales, tunc curreret argumentum, & quia vnus est naturalis scilicet in corpore, & alter præter naturam scilicet extra corpus, vt patet de motu ignis in libro 1. cæli.

Ad nonũ dico quod intelligentiæ est naturalis modus intelligendi, animæ autem competit præter naturam, & ad primum nego consequentiam, non quia intelligentia est penitus immaterialis, ideo non potest habere modum &c.

Ad decimum dico, quo si intelligere sine phantasmate esset naturale animę, tunc deberet rei natura transmutari.

Ad

Ad tertium idem patet.

Ad quartum falsum est antecedens, nam prima causa ponitur non esse applicata corpori, Ad probationem dico, quod non venatur numerum absolutè intelligentiarum ex numero motuum, nisi intelligentiarum, quæ applicantur orbibus.

Ad decimum principale respondetur per intellectum passiuum intelligete Arist. phantasiam, & quando dicit Arist. Non reminiscimur autem, &c. Toletus exponit, idest non intelligimus ea, quæ prius intelligebamus, verum hæc interpretatio repugnat tex. græco, vbi habet μνημονεύομεν, idest non recordamur. *Toletus notatur.*

Ad vndecimum falsa est consequentia, nam non est eadem ratio de mundo, & anima, cum ille ad sui productionem nil supponat, anima autem supponit corpus, nec idem est iudicium de toto, & partibus, nam anima non est pars princeps mundi.

Ad duodecimum respondetur, quod secundum Arist. anima in æternum stabit extra corpus, ad probationem primi dico, quod tunc sequeretur illud de violento, quando esset in opposito suæ naturæ constitutum, vt terræ sursum, modo non est sic de anima.

Ad tertiumdecimum respondetur cum Scoto, & Heruæo, quod effectus productus ab agente æterno est duplex, alter completus, & specificus, vt lapis, alter in complectus, & ad sui productionem requirit susceptiuum, modo secundum Aristotel. concedo de secundo, non autem de primo.

Ad quartumdecimum dico, quod anima est in loco, quatenus suam virtutem applicat loco, non quod sua quantitate dimensiua mensuratur loco, & continuatur in loco, sic de motu dico, quod mouetur quatenus suam virtutem applicat diuersis corporibus, & sic motus & locus sunt æquiuoci rei corporeę, & incorporeę, nec isti motus sunt contra Arist. nam libro 8. ethicorum ponit velle, & intelligere esse motus mentis, & lib. 8. phys. dicit primum motorem esse in peripheria cæli, quatenus suam virtutem applicat cæli orientali parti.

Ad quintumdecimum potest admitti infinitum rebus incorporeis. Dices hoc esse contra Aristot. libro 3. phys. 36. *Obiectio soluitur.*

Respondetur ibi loqui contra Pythagoram, vel loqui de infinito quantitatiuo in substantijs abstractis, & hæc non est in Deo, nec in animabus. Ad argumenta, seu rationes, quę erant in naturæ lumine depromptę iam respondeamus.

Ad primum respondetur, quod vera est ista propositio, quoad exercitium operationum intellectualium, & moralium secundum virtutem, non autem est vera quoad formam, nam illud est per accidens, nam ratione complexionis melioris, & perfectione organi & c. *Solutio rationum ex naturali lumine ductarum.*

Ad secundum dico quod sufficit, quod generans hominem attingat formam hominis secundum vnionem, vt ita subiectum disponat, vt sit capax formæ hominis, & sic est vera corruptio, nam desinit anima informare corpus.

Ad tertium valet argumentum de verè immateriali, & immortali, vt est intelligentia, quæ non est vnibilis materiæ, nec venatur scientiam ex sensu, secus autem est de anima.

Ad quartum dico quod iucta prouenit ex natura sua, nam anima est media inter vere intellectualia, & merè sensitiua, & argumentum valet de substantijs mere abstractis.

Ad quintum negatur consequentia quoad potentias immateriales, nam hæ sunt solius animæ, & inorganicæ, & ideo anima separata non priuatur actu intelligendi, quoad potentias materiales, sufficit, quod fuerit in exercitio pro præsenti vita.

Ad sextum nego consequentiam, nam non est miraculum, nec maius miraculum eo, quod est vnibilis, & separabilis à materia, quia esse suum non dependet à materia, consequentiam autem valet de animis brutorum, quæ innituntur materiæ, & non sunt separabiles, & de hoc esset miraculum.

Ad septimum respondeo, quod sicut leue si detineatur deorsum non desinit esse leue, sic etiam stat, animam non actuare, seu informare corpus, & tamen non desinit esse actum corporis. Ad octauum valet de vere immortali, & non vnibili materiæ.

Ad nonum dico, quod verum est, verum quia anima rationalis a solo Deo habet esse immediate, & eius quoque potestate est producta, & ita eius voluntate, & potestate conseruatur. Ad decimum dico, quod ly extrinsecus, vel intelligitur, quia non educitur de potentia materiæ, vel quod ab agente extrinseco producatur, non autem quod prius extiterit. Ad vltimum respondetur, quod essentia animæ potest dici abstractior, quam potentia intellectiua, & è conuerso, quia est substantia per se subsistens, non educta, potentia autem intellectiua est abstractior, quia non est actus corporis, & hæc satis.



DE

DE ACTIONIBVS.

An Respiratio actio sit naturalis, an animalis.

Theorema LXI.



VM de Elementis, temperamentis, humoribus, corporis partibus, & facultatibus sit hùc vsque luculenta satis ni fallor oratione pertractatum doctrinæ ordo exposcit in præsentiarum, vt de actionibus non nulla breuiter absoluamus, semper ad vtiliora properantes. Quid verò sit actio, seu operatio, seu ἐνέργεια græce ex supradictis arbitror esse notum, quare ea in re non esse immorandum censeo. Illud etiã, quomodo ex Galeno primo de nat. fac. capit. 2. quædam vocentur opera, & non actiones, quædam verò vtroque modo prætermittendum puto. Nunc illud exagitatur theorema, an scilicet respiratio sit motus naturalis, an animalis. Respirationis verò essentia, & causa efficiens, & finalis nunc silentio inuoluantur. Vt autem præfati theorematis exacta cognitio habeatur, rem paulo altius ex Galeno repetamus. Galenus enim de hac materia pertractat, atque hanc quæstionem mouet lib. 2. de motu muscul. c. 1. 6. & 8. & cum ipso dicamus, illam diciactionem animalem, seu liberam, quàm & sedare possumus dum volumus, & cum non dum facta est facere, è contra naturalem actionem esse, quæ semper est necessaria. Quibus habitis sic theorema præsens decidatur, Actionum aliæ sunt puræ, & simpliciter naturales, vt coctio, distributio alimenti, aliæ animales, liberæ, & voluntariæ, vt locutio, & progressio, aliæ mistæ scilicet partim animales, & partim naturales, vt vrinæ, & fæcum deiectio, quam distinctionem docuit Gal. libro 6. de locis aff. cap. 4. inquiens vrinæ, & fæcum deiectionem, qui totam ab electione pendere putant, toto errant cælo, sicuti, qui hoc opus omnino naturale admittunt, vtriusque sanè particeps est vtraque ratio: Gal. verò libro 2. de motu musc. cap. 6. videtur determinasse theorema, scilicet tandem esse vult rationem respirationis, & minctionis, quare videtur esse mista operatio naturalis, & animalis. Verum Gal. non ita simpliciter est intelligendus, nam ad faciendam respirationem non concurrit simul facultas libera cum naturali, sicut in expulsione fæcum, & minctionis, quæ mistæ sunt actiones, sed tota libera est, & arbitraria respiratio, licet enim pulmo videatur concurrere, qui naturaliter mouetur, pulmo tamen passiuè tantum mouetur ad motum thoracis, qui liberè, & ex se mouetur. Quare licet quoad causam finalem, & naturalem respiratio videtur esse naturalis actio, tamen quoad efficientem libera est omnino, & arbitraria, & animalis.

Qua actio animalis. Naturalis.

Vt ob id sint, qui dixerint respirationem esse mistam actionem, partim naturalem, & partim animalem, naturalis ratione causæ finalis, & naturæ necessitatis, animalis ratione organorum, scilicet musculorum thoracem distendentium, & contrahentium. Hinc hystericæ quædam mulieres non respirant, quia nequeunt naturaliter; nullus enim respirationis vsus, nulla vrget necessitas, strangulati non respirant, quia nequeunt animaliter, interceptis laqueo neruis, & musculis. At obijcies aduersus supradicta, noctu fit respiratio, in qua non adest voluntas, ergo non est libera.

Respiratio qua actio sit.

Obiectio. Solutio.

Respondet. Gal. libro 2. de motu musculorum dicens esse impeditam, non ablatam actionem animalem. Hinc certè errant Auer. & Turisanus, qui volunt respirationem esse omnino naturalem, pluribus rationibus hoc sibi persuadentes, prima nam omnis actio voluntaria ab electione est, & cum apprehensione obiecti, sed dormientes nullam habent electionem, & tamen respirant, ergo respiratio non est actio animalis, sed naturalis.

Auerroes, & Turisanuè errãt.

Secunda in ijs qui caro laborant ablatæ sunt omnes facultates animales, sic enim definitur carus, scilicet priuatio omnis animalitatis, at in caro est adhuc respiratio, ergo actio naturalis est.

Tertia, respiratio vitali facultati deseruit, & ad eam refertur, solius enim nutritionis, & expurgationis gratia comparata est, & in solius pulsus subsidium instituta, vnde cor à Gal. dicitur princeps respirationis organum, sed vitalis facultas voluntaria non est, sed merè naturalis, eoque magis, quia læsa respiratione non cerebro, sed thoraci, & cordi remedia adhibentur ex Gal. in prognost.

Quarta eadem videtur esse pulsus, & respirationis efficiens causa, quia augetur, minuiturque respiratio, vt & pulsus, non pro arbitrio voluntatis, sed pro vsu aucto, vel imminuto, sic febricitantium respiratio maior est, & frequentior etiam inuitis nobis, aucto nimirum cordis æstu. His adde Gal. auctoritatem libro 3. Aph. 23. vbi dicit neminem posse anhelitum cohibere, & libro 2. de anatom. administrat. & libro de ijs, quę in medicatrina fiunt habet respirationem esse naturalem actionem. Alij contra omnino animalem putant, cohibemus spiritum dum volumus, ergo actio animalis est, nam modo rariorem, modo frequentiorem, & tardiorem facere possumus. Amplius Gal. extat historia libro 2. de motu muscul. cap. 1. & 6. de illo seruo barbaro, qui cohibita respiratione mortuus est, idem de alijs multis narrat Plutarchus.

Tertio respiratio fit animalibus instrumentis, distenditur enim thorax, & contrahitur musculorum inter costalium, diaphragmatis, & neruorum opera, ergo actio est animalis. Tandem læsis principibus facultatibus læditur respiratio illæsis corde & pulmone vt in phrenitide respiratio magna, & rara, & mens ægrotat. Errant itaque cum hi, tum illi, vt ex Gal. auctore probauimus, nec adducta argumenta nobis omni ex parte aduersantur, ea propter præsenti theoremati hic finis esto.

Generatio quid sit, an sit perfectior, et naturalior, et magis necessaria nutritione, et augumentatione.

Theorema LXII.



SVpposita generationis existentia haud de communi rerum generatione præsens discutitur theorema, de hac enim luculentissime Arist. verba fecit libris de gen. & corrupt. nec de misti, seu perfecti, seu imperfecti generatione, de hac enim in me teoris, sed tantum de generatione viuentis loquemur. Hic etiam multa ad naturam generationis in vniuersum incumbentia prætermittuntur, an scilicet generatio fiat in instanti, & quomodo fiat generatio rerum, & quot ad generationem concurrant. Hæc enim alibi discutientur, si Deo placuerit. In hoc igitur theoremate tantum de generatione viuentis sermo habebitur, quæ actio, seu operatio animæ vegetantis est, vt ex supradictis apparuit. Oportuit enim viuens tres habere operationes, seu actiones.

Viuens tres habet actiones.

Prima est nutritio, cuius gratia reficit, seu reparat, quod deperdit ex sua substantia calor naturalis consumens humidum semper, & continuè corrumpit viuentis partes, quæ reparantur per conuersionem alimenti in propriam viuentis substantiam, quæ nutritio dicitur.

Nutritio.

Secunda actio est auctio, namque viuens in principio non potuit habere suam sufficientem, atq; completam quantitatem, qua perfectè exerceret suas operationes, nam materia, ex qua fuit factum viuens, fuit pauca, quare ob id est alia secunda actio, seu operatio, qua viuens ex nutrimento externo producitur ad suum debitum terminum, quæ quidem augumentatio dicitur.

Auctio.

Tertia actio est generatio, nanque viuens corrumpatur oportet, ideo fuit opus alia actione, scilicet generatione, secundum quam facit sibi simile, & de hac quæritur primo quid sit, deinde an sit perfectior, & nobilior, & magis necessaria nutritione, & augumentatione.

Generatio.

Ad primum dico cum Arist. libro de vita, & morte capite 14. quod est prima participatio animæ nutritiuæ cum calore naturali, & clarius cum Gal. nostro libro 1. de facul. nat. cap. 5. generatio simplex quædam actio naturæ non est, sed ex alteratione, formationeque composita. Vt enim os fiat, item neruus, vena, vel reliquarum quælibet alteratam oportet esse subiectam, vnde animal fit, substantiam, vt verò congruentem figuram, & posituram, & cauitates quasdam, & vel enata, vel ad nata, aliaque id genus habeat, effingi eam oportet, qua alteratur, materiam, & c.

Generatio quid sit.

Ad secundum, an scilicet generatio sit perfectior, & c. Dicendum certè quod generatio inter vegetatiuæ animæ actiones perfectior, & naturalior actio est. Sed illud prius aduertendum, non omne quod necessarium magis est, esse valde perfectum, hinc tactus valde necessarius, non tamen est valde perfectus, nam visus magis est perfectus, minus autem necessarius animantibus, sic ad rem dicamus nutritionem esse certè summoperè necessariam, minus autem perfectam, generationem verò perfectiorem, & ob id naturaliorē, iuxta Arist. tex. 34. 2. de anima φυσικώτατον ἐςὶ γενεᾶν σὲ αὐτῶ ὅμοιον naturalissimum est generare sibi simile, & probatur ex fine, nam cum nobiliorem finem habeat generare, scilicet perpetuitatem, secundum quam Deo assimilamur, ergo nobilior, & perfectior cæteris est generatio. Quinimò addendum generationem secum trahere, & includere nntritionem, & augumentationem. Sed dubium oritur, an generatio sit propria quarto modo sumpto proprio, nec ne, ita vt omnibus viuentibus, solis, & semper competat. Dicendum breuiter neutiquam esse opus proprium, quarto modo sumptum, nam generatio non semper competit viuentibus, sed aliquando, non enim in infantia, & pueritia, nec in senectute, & licet quandoque in his ætatibus aliqui generasse visi sint, hoc parum refert, nam rarissimè cōtingit. Licet enim legatur apud Diuum Gregorium libro dialogorum 4. de quodam puero, qui nouem habens annos nutricem suam prægnantem fecit: Apud Diuum Hieronymum in Epistola ad Vitalem præsbyterum legitur, se audiuisse quemdam puerum decem annorum grauidam fecisse suam nutricem, Salamonemque in decimo anno genuisse Roboan, & Achaz in anno vndecimo Ezechiam, & Nauarrus refert libro 6. consil. consil. 2. & Ostiensis in sum. pæniten. & remiss. & Sauanarola trac. 6. cap. 21. de ægritudin. matri. rubrica 23. licet dicat, virum esse fæcundum vsque ad annum septuagesimum, & vsque ad nonagesimum, & sua tempestate Nicolaus de Palauicinis habuit filium in centesimo anno, & hodie, cum hęc scribebamus, Auetranæ mei Illustrissimi Principis oppido Notarius Donatus Pedarra nonagenarius grauidam fecit suam vxorem, quæ fœminam peperit. Hæc tamen vt diximus rarissima sunt. Generatio itaque non est proprium quarto modo sumptum, sed potius tertio.

An Generatio sit perfectior nutritione.

Dubitatio pulchra.

Solutio.

Proles in pueritia, & in decrepita ætate rarissima.

Dubitabis amplius nam non omnibus viuentibus, neque solis competere videtur ipsa generatio, quod non omnibus, patet, nam plures homines sunt infæcundi, ac steriles, sic etiam alia plura viuentia vt stirpes, quinimò etiam aliqua animalia secundum totam speciem infæcunda sunt, vt muli, & quæ ex putri materia generantur.

Dubitationes pulchra.

Secundo dubitabis, non solis competit animalibus cum à calido generetur calidum, & à frigido frigidum, ab igne ignis, ergo etiam inanimata generant sibi simile, quare non est propria vegetatiuæ, ergo naturalissimum non est, vt inquit Arist. lib. 2. de anima 34. operum, quæ in viuentibus, quæcunque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, facere aliud, quale ipsum, animal, animal, & planta plantam &c.

Tertio non videtur generatio perfectior nutritione & augumentatione, non perfectior operatio est, per quam quodq; in se conseruatur magis, quàm quod conseruatur in specie, sed per nutritionē conseruatur viuens in indiuiduo, & in se, ergo illa est nobilior.

Quarto vniuersale est magis honoratum ex Arist. primo Poster. ergo nutritio nobilior, & perfectior, nam nutritio omnibus inest viuentibus, non autem generatio.

Quinto quod est in damnum viuentis non est perfectum, sed generatio est in viuentis damnum, nam ex Arist. libro de long. & breu. vitæ cap. 5. animalia salaciora sunt breuioris vitæ, ergo.

Sexto generatio inest inanimatis vt elementis, ergo.

Septimo perfectissima operatio est intelligere, & non generare, ergo.

Solutiones argumentorum. Sed antequam has dubitationes soluamus, sciendum primo est, multiplicem animalium generationem esse, quędam enim est generatio animalium semper ex copulatione maris, & fœminæ, seu ex coitu, vt hominis, & equi, & aliorum, aliam esse ex putrefactione semper, vt anguillarum, & aliorum animalium, de quibus meminit Arist. lib. 6. de historia animaliũ c. 15. & 16. & in 10. par. probl. 13. & 66. vbi pulcherrimam, & auream affert doctrinam aliam esse tertiam generationem animalium, quæ modo ex putredine, modo ex seminibus, seu ex copulatione fit vt murium, vesparum, & aliorum, de quibus etiam fecit mentionem Arist. lib. 7. met. com. 70. *Aduersus Auic. dictum.* Notãdum tamen vnum obiter circa primum membrum huius distinctionis generationis scilicet contra Auicen. qui libro de diluuio, & lib. de animalibus mirabilem protulit sentẽtiam, quæ ante Auicennam fuit opinio Euripidis tragici, discipuli Anaxagoræ, & Empedoclis, hominem scilicet posse naturaliter sine humano semine generari, & à quibusdam hæc sententia tribuitur etiam Alberto Magno, hanc etiam sententiam innuit Arist. libr. 2. polit. cap. 6. vbi reprehendens priscos legumlatores ait eos, vel ex corrupto semine, vel ex terra natas fuisse, quæ sententia Auic. videtur occasionem sumpsisse ex Sacra Genesi. Contra quam sententiam acriter insurrexit Auer. libro 8. phys. & libro 2. met. 15. Rationes vtriusq; sententiæ multæ sunt, nos autem derelinquamus illas, hoc tantum dixerimus Auic. & aliorum opinionem fortassis posse ad bonum sensum trahi, *Auicenna potest reduci ad bonũ sensum.* quando scilicet species humana periret, tunc natura hoc faceret, vt optimè inquit Conciliator in expositione 13. problematis 10. particulæ, ne igitur humana generatio periret, atque deficeret, tunc conaretur natura generare hominem absque humano semine. Hic multa pulcherrima Conciliator refert, ille videndus, ac legendus. Sciendum secundo est quod animalium, quæ ex putredine sunt, quædam nunquam generant, vt anguillæ, & alia, vt ex libro 6. de hist. animal. cap. 16. alia generant, sed sibi dissimile in specie ex libro primo de gen. animal. cap. 1. vt ranæ ranunculos, & muscæ genus diuersum ex Plinio lib. 10. cap. 68. Sciendum tertio, animalium, quædam sunt viuipera, & quædam vermipera ex libro 1. de Arist. animal. cap. 5. An autem animalia genita ex putri materia, & ex sobole sint eiusdem speciei in aliud tempus quæsiti dilucidatio differatur. Sciendum quarto, & vltimo, differre viuentis generationem à generatione non viuentis in pluribus, primo in principio, nam non viuens secundum quamlibet sui partem generat, vt ignis, verum hæc non est propria generatio, viuens non ita, sed secundum aliquam sui corporis partem.

Secundo viuens ex se sumit naturam, quam ministrat, vt patet de ramis arborum, & plantarum cum generant fructus, & eorum semen, at viuens non ita, sed in externam producit materiam nihil ex se accioiens, vt de igne.

Tertio viuens non statim aliud simile viuens producit, sed primo materiam ministrat, ex qua postea simile viuens fit, at non viuens per qualitates simile sibi producit; Vt his stantibus respondeamus ad argumenta.

Ad primum dicimus, non posse negare nos, plura esse viuentia, quæ generare nequeunt, verum hæc impotentia, vel competit indiuiduis quibusdam, non toti speciei, vel etiam toti speciei, si quibusdam difficultatem non facit, nam res materiales impediuntur præter consilium, & intentionem naturæ, nam sicut contingit hominem sine oculis nasci, vel cum oculis, sed ad videndum ineptis, ita contingere potest, vt nascatur homo sterilis, cuius sterilitatis cum possint plures causæ ex doctrina medicorum afferri, ideo dimittantur, quare mirum non est, nec vllam difficultatem facit, possunt enim dici monstra, nam aliquid in his frustratorium concedendum esse vnicuique constat. Si verò hæc impotentia competat toti speciei, idest omnibus eius indiuiduis, id quidem, vel est aliquo tantum tempore, vel omni, vel semper, aliquo tempore vt omnibus hominibus, animalibus, nullo excepto, competit, vt tempore pueritiæ, & tempore senectutis nequeant generare, hoc autem intelligendum est, vt plurimum, & secundum maiorem partem vt supra diximus, & in his non possumus dicere organa, seu instrumenta esse frustratoria, nam in pueris sat est aliquando posse generare, neque in senibus, nam sat est aliquando generare potuisse. *Maxima difficultas de mulis.* Sed maior difficultas insurgit, nam generatio non competit toti speciei, tum muli, & animalia ex putri materia non generant, ergo sagax natura frustra molita est instrumenta.

Responsio de mulis. Sed de mulis dicendum mirum non esse, nam sunt animalia monstruosa, præter naturæ consilium facta, naturę enim intentum est coire equum cum equa, & asinum cum asino, non asinum cum equa, quare non mirum cum sint monstruosa animalia, si facultas generandi, & instrumenta frustratoria sint, sat est equum perfectum, & asinum perfectum generare sibi simile, modò muli ex Io. Grammatico libro 2. de anima com. 34. sunt animalia imperfecta, scilicet equus imperfectus, & asinus imperfectus.

Obiectio. Solutio. Dices frustra est illa facultas, seu potentia, quæ non reducitur ad actum, Respondetur, concedendo in huiusmodi imperfectis animalibus, non autem in perfectis. *Obiectio.* Obijcies etiam ex Arist. libr. 6. de hist. animal. cap. 26. in Syria esse mulos, & mulas, coheuntes & generantes; *Solutio.* Respondetur Arist. addere non esse eiusdem speciei cum nostris, sed habere tantũm similitudinem faciei, & totius corporis. Sed quid de animalibus ex putri materia genitis? *De animalibus ex putri materia genitis.* Dicendum in his esse aliquid imperfectionis, ratione cuius est impedimentum in facultate generatrice, ne generent, potest autem esse propria eorum forma, quę efficit tale impedimentum, talemque defectum, quinimo ex Arist. libro 1. de gen. animal. cap. 16. hæc animalia non carent omnino actu generandi, generat enim aliud, sed imperfectum, quod non est mas, neque fœmina, neque est eis simile, secundum speciem, quare habent aliquam generationem, sed imperfectam, quæ ad speciem construendam non prodest, est autem in his facultas generatrix, & hæc non est omnino frustratoria, quia aliquam habet operationem, sed imperfectam.

Ad

Ad secundum quid sit dicendum ex differentia inter generationem viuentis, & non viuentis supra factam, iam patet, nam ignis ignem generat agendo in aliam materiam extra se, & ex ea educendo formam ignis, at viuens non ita generat aliud viuens, vt agat in aliam materiam extra se, sed largitur quodammodo alteri aliquid de sua materia, & aliquid de sua met forma cum facultate actiua, dum exhibet semen actui generationis.

Ad tertium respondetur certè perfectiorem futuram esse nutritionem generatione, si conseruaret perpetuò indiuiduum, tamen quia non conseruat nisi ad tempus, ob id generatio nobilior est, quia saltem in specie perpetuum illud conseruat.

Ad quartum dico, quod probat tantum nutritionem esse magis necessariam, quia omnibus inest viuentibus, sed non magis perfectam.

Ad quintum respondetur naturam pati quandoque detrimentum in indiuiduo propter speciei conseruationem, quæ habetur per generationem.

Ad sextum patet quid sit dicendum ex supradictis.

Ad septimum dicimus generationem esse opus perfectius, & nobilius habito respectu ad operationes vegetatiuæ, non sensitiuæ, & rationalis animæ.

An generatio vnius sit alterius corruptio.

Theorema LXXIII.



HAud fore absurdum putauimus, si breuiter non nulla circa hanc propositionem in medium afferamus, cum plerique tum Philosophi, tum Medici haud sanum huius theorematis sensum fuerint assecuti. Breuibus igitur rem comprehendamus. Hæc propositio fuit ab Aristotel. in medium allata libro primo, de generatio. & corruptio. cont. 17. non ob aliud nisi, vt pate faciat causam æternitatis generationis, & corruptionis, & vt natura subiecti earundem exactius dignoscatur. Non tamen formaliter ista propositio est intelligenda, & de vno, & eodem, ita vt vnius generatio sit eiusdem corruptio, quia tunc non verificatur pro illo sensu, & pro illo fine, ob quem ab Aristotel. fuit adducta, de causa scilicet perpetuitatis generationis, nec generatio vnius contrariaretur corruptioni eiusdem, si sic de vno, eodemque intelligeretur propositio.

Sed sic intelligitur præsens propositio, vt generatio vnius sit alterius corruptio, nam materia dum vna forma exuitur, alteram recipit, & dum in materia vna forma nascitur, altera in eadem corrumpitur, nam ipsa ob sui diminutum esse absque forma specifica esse non potest. Sciendum, & aliud est hanc propositionem verificari in generatione, & corruptione substantiarum, non in generatione, & corruptione accidentium, vt ab ipso met Aristot. declaratur libro primo, de gen. & corrupt. context. 20. in fine, vbi in substantijs valere hanc propositionem fatetur. An autem in omnibus accidentibus veritatem habeat, nec ne nunc non disputo, nam fortassis in quibusdam valere non erit absurdum, videndus Mercenarius in suis delucidationibus, quemadmodum etiam dicere supersedeo, an valeat in generatione tantum elementorum, vt Hugo Senensis perperam in prima Fen. Auicen. tractat. de elementis, an in generatione elementorum, & mistorum, vt verè cum Arist. sentiendum. *Quis sit sẽsus istius propositionis.*

Sciendum etiam, & aliud est, duas formas substantiales specificas non posse esse simul, vt patet de se. Tandem ad verum intellectum huius propositionis sciendum, hanc propositionem veram esse de generatione compositi, non formarum, nam propriæ formæ non corrumpũtur, sed tantum composita, formæ enim, vt quo corrumpuntur, composita, vt quod. Vt his stantibus facile sit respondere non nullis difficultatibus, quæ aduersus hanc propositionem fieri solent.

Quid alij senserint.

SExcenta ferè sunt argumeuta, quæ contra hanc propositionem adduci solent, nos autem potiora seligamus.

Et primo contra totam propositionem arguitur, vnum contrariorum non prædicatur de alio contrario, sed corruptio, & generatio sunt contraria, & tamen vnum prædicatur de altero, ergo, maior, & minor veræ sunt.

Secundò quemadmodum se habet augumentatio ad diminutionem, ita generatio ad corruptionem, sed augumentatio non est diminutio, & è contra, ergo nec generatio est corruptio.

Tertiò si esset vera ista propositio, tunc semper esset idem numerus indiuiduorum, & consequentia probatur, nam quando generatur vnum corrumpitur aliud, indiuidua ergo essent æqualia, quod non est dicendum.

Quartò aduersus partem propositionis arguitur scilicet, quod non omne, quod generatur corrumpatur, nam generatur animal nulla antecedente forma corrupta, ergo non omnis generatio supponit corruptionem.

Quintò generantur mista ex vnione elementorum, remanentibus illæsis elementis, ergo nõ omne, quod generatur corrumpitur. Sextò quam plurima generantur, vt colores, odores nullo antecedente corrupto, idem etiam patet de tenebris.

Septimò corrumpitur homo, & tamen nihil generatur, dices fit forma cadaueris, contra, quia ibi non est anima, nec forma misti, nec forma cadaueris ibi est, nam generatio non fit adeo istantanee, vt aliquid temporis non intercedat.

Octauò corrumpuntur mista per dissolutionem, & nil ex ipsis generatur, elementa dissoluuntur, & tamen ipsa non generantur, quia erant in mistis.

Nonò corrumpuntur quam plurima, vt odores sapores, & tamen ex ipsis nihil generatur, ergo corruptio vnius non est generatio alterius. Sed ad hæc obiecta facilè respondetur ex supradictis.

Solutiones argumētorum. Ad primum respondetur, quod multiplex est prædicatio formalis, modalis, & causalis, formalis, quando prædicatum in recto competit subiecto, & est de forma, & essentia ipsius, vt homo est rationalis, modalis, qua vsus est Arist. libro 2. de anima tex. 94. gustus est quidam tactus, & libro primo περὶ ἑρμηνείας nomina sunt verba, causalis quando causam significat.

Sed ad rem, hæc Arist. propositio in hoc nostro theoremate adducta non verificatur de prædicatione formali, nec de modali, sed de causali, scilicet generatio est propter corruptionem, veluti quando vicimus eclipsis est interpositio, idest eclipsis est propter interpositionem. Si valeret propositio de prædicatione formali, tunc curreret argumentum primum factum de contrarijs.

Solutiones argumentorum. Ad secundum falsa est similitudo, nam augumentatio est motus, generatio verò non est motus, sed mutatio, & finis motus ex libro 5. phys. diximus etiam supra, quod duæ formæ specificę substantiales non possunt simul compati, modò in augumentatione, & diminutione duæ acquiruntur formæ substantiales specificę, & id eo vna non prædicatur de altera, quemadmodum causaliter prędicatur generatio de corruptione, & è contra non manentibus duabus formis specificis.

Ad tertium dicimus quod non sequitur illud absurdum, & si sequeretur non putamus absurdum, nam potest aliquod corrumpi, & plura possunt ex illo generari, vt si equus corrumpitur plura animalia ex illo oriuntur, idem patet de semine corrupto, de quo plura generantur, quare cum materia multorum fiat vna, & vna sit etiam multorum per diuisionem, ideo non sequitur argumentum vt numerus indiuiduorum sit semper æqualis.

Ad quartum dicimus, quod quando generatur homo non corrumpitur anima vegetatiua, nec sensitiua, sed tantum semen, nec est perfectum animal, quando embryo habet vegetatiuam, & sensitiuam, tunc autem fit perfectum cum aduenit anima rationalis, vt supra diximus, & hoc est quod sonant illa verba Auer. libro primo physic. 62. non cessant partes spermatis retrocedere donec introducatur anima.

Responsio multorum impugnatur. Ad quintum dicunt aliqui, quod generare stat dupliciter, vel simpliciter, vel secundum quid, quo stante, dicunt, quod elementa, quamuis non generantur simpliciter, generantur tamen secundum quid.

Hæc responsio nunquam mihi arrisit, nam Arist. intelligit generationem substantiarum, & non potest Arist. intelligi de generatione secundum quid, nam hæc generatio competit accidentibus etiam, nec potest etiam Arist. intelligi de generatione simpliciter, quia in generatione simpliciter fit totalis generatio, & corruptio, quod non accidit elementis, quæ secundum partes corrumpuntur. Quare melius dicerem, quod generatur mistam ex corruptione alterius misti, & non ex vnione elementorum. Sed dices, verum est hoc, sed si generatur aliquod mistum immediatæ ex elementis, ergo elementa corrumpuntur.

Respondetur, verum esse secundum partem de elementis.

Ad sextum respondeo, Arist. propositionem valere in substantijs, non in accidentibus.

Ad septimum dico, quod non valet quorumdam responsio dicentium in corruptione animalis, vel hominis esse introductam formam cadaueris, nam hæc forma non est anima rationalis, non vegetatiua, non sensitiua, nec est forma elementorum. Quid ergo erit? Dicunt aliqui esse introductam formam organizationis, sed hoc est purus error, nam ista forma organizationis est accidens de prædicamento qualitatis in quarta specie. Alij dicunt in cadauere esse introductam formam mistionis, quæ forma prius erat in viuente, sed non erat specifica, in cadauere verò facta est specifica, ita vt semper eadem fuerit, sed falsum quoque est hoc, nam vbi nulla nouæ substantiæ acquisitio facta est, ibi nulla generatio, sed in cadauere nulla nouæ substantiæ fuit acquisitio, ergo ibi nulla forma specifica fuit introducta. Melius ergo dicamus, quod forma mistionis aduenit ipsum cadauer, quæ forma de nouo est genita, priusque non extiterat. Ad octauum dicimus aliquod elementorum corrumpi secundum partes ipsorum, nec id esse inconueniens putamus. Ad nonum patet solutio ex dictis.



De nutritione, quid sit, et an per ipsam humidum radicale restauretur, et an à simili fiat.

Theorema LXIIII.



Iue igitur dicas nutritionem esse alimenti in substantiam similaris partis conuersionem, siue generationem, seu aggenerationem partium materiæ similarium, vt Pomponatius cap. 18. de accretione, & nutritione, & Albertus libro de homine, siue cum Gal. primo de nat, fac. cap. 5. esse perfectam assimilationem, qua tamen, vt fiat necessum est vt adhærentia præcedat, sicut etiam, vt illa fiat. appositio. Hoc parum refert dummodo in rei natura non aberremus, nanque clarum est nutritionis naturam consistere in vltima mutatione, in qua nutrimentum vertitur in substantiam nutriti, & vt propriè loquamur, nutritio est refectio, seu separatio substantiæ, quæ incessanter à calore naturali resoluitur per substantię similis aggenerationem, facta autem nutritione adhuc humidum quod in carne, & in cæteris partibus est consumitur à continua actione caloris naturalis, & ex ea consumptione oriuntur iterum pori, deinde iterum sanguine replentur, qui iterum in substantiam conuertitur, & nutrit, & hoc vsque ad vitæ finem, nam semper nutriuntur animata; Vt ex his pateat naturam nutritionis satis esse coniunctam cum generatione, quinimo reducitur ad substantialem mutationem ex Arist. libro 1. de generat. & corrupt. 41. discrepat tamen à generatione, nam hæc respicit substantiam, nutritio verò quantitatem, vt ob id dixerit Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 10. nutritionem esse euacuati repletionem, respiciens ad quantitatem. *Nutritio quid.* *Nutritio cum generatione est valde affinis.* *Et in quo differat.*

Sed natura nutritionis omissa quæritur, an per ipsam restauretur id quod in corpore deperditur, & videtur primo quod non, quia si ita esset tunc vita foret æterna, nam semper vnumquodque potest in operationem propriam. *Difficultas*

Secundo quod est in corpore resolutum, seu deperditum est humidum radicale, sed per nutritionem facultas nutritiua non restaurat humidum radicale, sed nutrimentale, ergo.

Tertio in senectute minus restaurat eo, quod deperditum est, ergo. Dicendum dupliciter posse intelligi id quod restauratur, vel idem quo ad substantiam, vel idem quo ad accidentia, primo modo concedimus per nutritionem facultatem nutritiuam restaurare id quod est deperditum, non autem secundo modo, vt argumenta probant. Namque certè per nutritionem, & si non acquiratur humidum radicale purum, acquiritur tamen saltem impurum, & ideo necessariò aduenit mors ipso perueniente ad tantam impuritatem, vt sit ineptum animæ domicilium, & caloris vitalis sedes, & ob id vita æterna non est. *Solutio.*

Quid ad secundũ, & tertiũ sit dicendum iam patet. Quantum ad secundum dubium, an scilicet nutritio fiat à simili nec ne, sciendum est, simile dupliciter dici, alterum dicitur simile omnino, & in omnibus dispositionibus, à quo inquiunt Philosophi non prouenire actionem, nam ab æqualibus non prouenit actio, alterum dicitur simile in vna qualitate, & dissimile in altera, vel simile in eisdem qualitatibus, sed dissimile in gradu, quod simile agens ad inuicem potest producere aliquam actionem. *Difficultas.*

Secundo sciendum ex Hipp. libro de alim. in principio, & ex Gal. libro 3. de temperam. cap. 20. & libro 11. de natural. fac. cap. 11. & alijs sexcentis in locis esse triplex alimentum, primum dicitur verum alimentum, & est quando assimilatur in naturam aliti, & hoc verum nutrimentum ab Hipp. dicitur, nam actu nutrit, aliud esse alimentum quidem, sed veluti alimentum, & in via, & appositio, & conglutinatio dicitur, & aliud esse alimentum, seu nutrimentum, quod nutriturum est, seu conuersurum in substantiam nutriẽdi, & hoc potest distingui in duo, in mediatum, & in immediatum, mediatum alimentum sunt cibi, & quæuis edulia dicebat Gal. immediatum sunt humores. His sic stantibus breuiter ad dubitationem propositi theorematis dicamus, quod vera, & perfecta nutritio non fit à simili primo modo dicto, scilicet à simili in omnibus dispositionibus, nam, ab hoc simili nulla prouenit actio, vt rectè dixerit Arist. libro 1. de gen. & corrup. text. 48. simile enim, & omni quaque indifferens rationabile est non pati a simili aliquid, quod etiam Gal. confirmauit libro 2. de simpl. med. fac. cap. 24. cur enim magis alterum erit actiuum, quam alterum? Atque si à simili pati aliquid possibile est, etiam ipsum à se ipso? His addo nonnullas rationes, nam si nutrimentum esset omnino simile nutrito frustratoria esset virtus assimilatiua. *Triplex alimentum.* *Solutio difficultatis.*

Tertio nutritum non operaretur in nutrimentum, quia omnis actio fit aliqua contrarietate mediante, finis autem agentis est assimilare sibi pro viribus passum, si enim est omnino simile, cessat hic naturæ intentus finis.

Quarto si alimentum est simile alito, vnde gignitur lepra, & vtraque morphea, quod est maximum argumentum pro hac veritate confirmanda.

Quinto nutrimentum est molle, viscosum, fluxile, nutritum, durum, non viscosum, solidum, ergo contraria. Nutritio ergo vera, & perfecta non fit à simili vndequaque. Quid ergo dicendum? an fit à simili secundo modo? nam cambium in temperamento simile est nutrito secundum nonnullas partes, & hoc confessus est Arist. libro 2, de anima tex. 45. libro 1. de gen. & corrupt. text. 38. libro 8. phys. tex. 55. alimentum scilicet in fine esse simile, non autem in principio, & Gal. etiam libro 3. de temper. cap. 2. hanc veritatem confirmauit dicens res, quæ corpori assimilantur vndique sunt cibi, & potus, reliqua verò medicamenta.

Addantur etiam momenta rationum, nam similia similibus augentur, & conseruantur, vt carne caro, neruus neruo, cartilago, cartilagine. Amplius corpus nutritum conseruatur inesse suum per alimentum, omnis autem conseruatio fieri debet à simili, ergo. Tandem nutritio est restauratio deperditi, sed vera restauratio, seu reparatio fieri non potest, nisi quod succedit loco deperditi sit ei simile, eo modo, quo simile supradiximus, & hæc satis.

An alimentum in nutritione agat in alium, & quo modo agat.

Theorema LXV.



VT facilior sit huius theorematis intelligentia sciendum illud primo est, hoc theorema debere, seu posse intelligi de omni nutrimento, tàm temperato, quàm intemperato, naturali, & non naturali, & de nutrimento verò, seu coniuncto, de nutrimento in via, & de nutrimento ad extra, quibus sic habitis, præsens theorema determinetur hisce tribus propositionibus.

Prima pro positio de alimento. Prima ergo propositio sit, Nutrimentum verum, naturale, coniunctum non agit in nutritum alterando, & commutando qualitatiue, & intentionaliter temperamentum ipsius, alteratione, & commutatione notabili, & effatu digna, de qua sit habenda cura, cuius quidem propositionis veritas, & rationibus, & auctoritatibus comprobatur.

Primo à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, & si fit exigua, & exilis est dijudicanda, cum igitur virtus alimenti sit minor virtute partis, quæ eo nutritur, quia à parte corrumpitur, non è contra, ergo ab alimento, seu nutrimento non proueniet actio.

Secundo alimentum agit, vt materia est Auic. libro 1. doc. 2. sum. 1. cap. 15. sed materiæ est pati, formæ verò agere, ergo alimentum non agit, & si quatenus est materia secunda ageret parum ageret.

Tertio alimentum est ex his, quæ à corpore mutantur, & ipsum non immutat, & alterat naturam nostram iuxta Gal. libro 1. de simpl. med. fac. cap. 1. è contra venenum, & medicamentum, differenti tamen modo, ergo alimentum non agit in nutritum, nam conuertitur in nutritum, & tunc esset medicamentum, & non nutrimentum si alteraret.

Quinto cambium iam ex parte temperamenti conuersum est in substantiam partium, ita vt factum sit simile partibus in temperamento.

Tandem accedat Arist. auctoritas libro 2. de anima tex. 45. alimentum pati ab eo, quod alitur, sed non hoc, idest nutritum, & alitum ab alimento, sicuti, neque faber à materia, sed hæc ab illo.

Secunda pro positio de alimento. Secunda propositio sit, quod illa pusilla actio, quam infert, seu facit alimentum naturale, & coniunctum non est alia, quàm calefactio, & humectatio leues, & paulatinæ, nam auget substantiam caloris natiui, & humidi, & hoc patet Gal. auctoritate libro 3. de temperam. cap. 4. & 17. nam etiam si comedimus lactucas, hæ adaugent calidum, & humidum natiuum.

Tertia pro positio. Tertia propositio, alimentum corruptum, & intemperatum agit in nutritum alterans ipsum manifestè, & probatur ex Gal. libro 3. de cau. sympt. cap. 2. per extensum, & luculenta satis oratione, nam inquit, accidit dum agglutinatur carnibus nutrimentum, vbi pituitosior sanguis est, carnem quoque effici pituitosam magis, neque enim idem est carni esse, & pituitosæ carni esse, sicut nec carni esse, & melancholicæ carni esse, nec biliosæ, atque temperatæ esse, & à primis qualitatibus nominanti, humidiori, & sicciori, & calidiori, & frigidiori, & subiungit postea Gal. Qui verò à nutrimento alterari nutrita inficiantur (eius enim quod vincitur esse nomen, non vincentis) hi de mutatione, quæ in animalibus cernitur, quid recti dicant non habent, & à rebus, quæ luculenter omnibus apparent, quid dicant incerti, hærentesque redduntur, Nam primo quid dicendum erit de illa planta, quæ ex Perside in Ægyptum est translata, quæ lethalis erat in Perside, nequaquam fuit in Ægypto mortifera. Veluti etiam patet de vitibus, quæ mutantes locum, etiam vina ab illis producta mutant saporem, vt quotidiana experientia clarissimè constat. Quomodo etiam accidit Elephantiasis, & hydropis species, & alij morbi, nisi nutrimentum coniunctum nutrita manifestè alteraret.

Tandem Gal. idem comprobat ex repassione corporum eo argumento de eo, quod est minus ad magis, nam si corpora inanimata, quæ minus viderentur repati debere à suis passis, quàm nutritum à nutrimento, & tamen patiuntur, sic inquiens, Apparet enim omnia, tametsi multo ijs, quibus appropinquant sint valentiora, aliquid tamen ab ipsis sensibile, manifestumque pati, & si non primo statim occursu, at certè temporis progressu. Nam ferrum acutissimum mollissima secanda carne est hebetatum, & durissimus lapis à guttula longo tempore ictus, cauitatem contraxit, vnde versus.

Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.
vel *Assiduo illisu durum excauat vndula saxum.*

Idem etiam patet ex alijs, nam si quis vasi bullientis aquæ modicum frigidæ immisceat continuò temperamentum quodam, ac mutationem calidissima aquæ quantitas recipiet, & è conuerso calida in frigidam operatur.

Missa

Missa hic multa facimus experimenta, vt de pascuis, quæ animalia bruta multipliciter immutant ex macilentis opima euadentia, tum colorem, tum etiam temperamentum mutantia. Quare ex his liquido constat alimentum coniunctum, & in temperatum manifestè alterare, ac immutare nutrita.

De augumentatione, Quid sit, & quot requirantur motus, et quomodo distinguatur ab alijs.

Theorema LXVI.



Vpposita existentia augumentationis, nam qui hanc negaret esset mentis impos, cum quotidie pateat, tum vegetalium, tum brutalium, seu sentientium, & humanorum corporum augumentum, tantum ad eius essentiam accedamus, si prius quot modis augumentatio dicatur, exposuerimus. Multipliciter sumitur augumentatio, & præsertim apud Auer. libro 4. phys. 63. primo cæli 22. primo de generat. & corrupt. 35. secundo de anima 5. primo, pro accumulatione vt aceruus, vel frumenti, hordei, vel alterius rei, & sic de singulis rebus, siue elementis, siue elementatis, quæ possunt apponi, secundo modo sumitur pro rarefactione, quando scilicet aqua condensata, seu congelata rarefit augumentatur, & è conuerso minuitur, tertio modo, quem non posuit Auer. est pro intentione qualitatum, cum scilicet intenduntur, idest augentur, quarto modo, pro augumentatione numeri, qui per addictionem vnitatum fit maior, quinto, & vltimo modo, qui solis viuentibus competit, & valde proprius est, nam viuentia augumētanrur, donec ad perfectam ætatem, ac debitam quantitatem accesserint. *Quinque modis sumitur augumētatio*

Hæc tamen vera augumentatio multa requirit, ex Arist. primo de gen. & corrupt. 31. & 33. & præsertim quatuor requirit, primum, vt tàm augens, quàm res aucta magnitudinem actu habeant, & ideo ex adiunctione formarum substantialium cum materiebus non fit augumentatio alterutrius, secundum est, quod omnes partes rei auctæ proportionaliter augeantur, & ideo licet caro verè augeatur in ætate consistentiæ, corpus non dicitur tunc augeri, quia aliæ partes solidæ non augumentantur, tertium est, vt extensio actu fiat aduenienté aliquo extrinseco, corpus enim, quod rarificatur, licet acquirat quantitatem maiorem, non tamen augetur, quartum, vt saluetur, quod augetur, & ideo cum ex aqua fit aer, non est augumentatio propriè dicta, nam non remanet aqua, licet aer sit maioris quantitatis. Sed dices quid est hæc augumentatio propriè dicta. *Vera augumentatio multa requirit.*

Respondetur Galen. haud exactè diffinisse illam, primo de natur. fac. cap. 5. dicebat, quod auctio est solidarum animalis partium, quarum esse formationem, iam diximus augumentum, ampliatioque in longum, latum, & profundum, verum hæc diffinitio potius est declaratio leuis, & descriptio quædam, quam exacta diffinitio, & ob id melius ipse diffiniuit libro de diff. med. quod scilicet augumentatio sit profectus corporum in longitudinem, latitudinem, & profunditatem, verum hæ diffinitiones non attingunt causam formalem, quam Aristot. 5. phys. tetigit, ea propter ex hac Arist. & Gal. formetur hæc exacta diffinitio, & licet prolixior, tamen necessaria, quod scilicet augumentatio sit motus corporum viuentium, eorumdem manentium, factus ab anima, ex minore ad maiorem magnitudinem, adueniente aliquo extrinseco, vt eorum naturæ debitos quantitatis terminos viuentia corpora consequantur. *Augumētatio quid.*

In qua diffinitione apparent omnia causarum genera rectè intuenti, est materialis, scilicet corpora viuentia, & materia extrinsecus adueniens, formalis, est motus, & termini motus, efficiens est ipsamet anima, finalis est, vt viuentia corpora sibi competentem quantitatem adipiscantur. Sed curiosè sciscitaberis, quot motus requiruntur, vt fiat hæc augumentatio?

Respondeo iam ex dictis, & dicendis posse colligi requiri multos motus, mutationesque, primo nanque requiritur motus localis alimenti ad stomachum, secundo requiritur alteratio à calore naturali, vt alimentum fiat simile, tertio necesse est, vt adsit corruptio, nam non potest assimilari alimentum nisi admittat formam, quam habet, vt clarissime ab Arist. colligitur primo de gen. & corrupt. 34. quarto adest partialis generatio substantiæ viuentis, seu aggeneratio, nam cum illa materia, quæ erat cum forma alimenti non maneat sine forma, introducitur forma viuentis, quinto requiritur nutritio, quæ quamuis reperiatur sine augumentatione, tamen augumentatio non reperitur sine illa. *Curiosa sciscitatio. Responsio.*

Sexto, & vltimo requiritur acquisitio maioris quantitatis, quæ est motus ab annumeratis distinctus. Ex quibus septem adnotanda in hac materia maximè necessaria colliguntur, in quibus tota natura augumentationis declaratur, primum scilicet, augumentationem non esse hos sex motus collectiuè, vt Marsilius, & alij voluere, non est contra Arist. in prædicam. vbi ponit augumentationem esse peculiarem motum, quod etiam expressè confirmauit 5. phys. secundum, augumentatio differt à generatione, alteratione & c. vt patebit inferius ex eorum terminis, tertium augumentatio etiam differt non solum a generatione totius, sed etiam ab aggeneratione partis substantiæ, nam aggeneratio, & nutritio est ad substantiam, augumentatio ad quantitatem, quantum est, nam aggeneratio, & nutritio formaliter distinguuntur, idest, & vnus motus realiter, non tamen formaliter, accipio tamen nutritionem pro conuersione maiori cibi in substantiam aliti, quàm fuerat deperditum, quintum ex dictis apparet, augumentationem à nutritione differre in specie, & terminis operationis, nam augumenratio est motus ad quantitatem, nutritio verò ea ratione, qua est alte- *In his septē tota augumētationis natura declaratur.*

ratio,

ratio, est motus ad qualitatem, ea ratione qua est generatio, seu aggeneratio est ad substantiam motus, nam nutritio ad nutrimentum relata est alteratio, nam per eam corpus, quod nutritur humidius redditur, sed relata ad nutrimentum, quod corpori assimilatur induit formam viuentis, dicitur generatio, nec huius contrarium docuit Gal. libro 1. de nat. fac. 8. vbi videtur dixisse, quod nutritio sit sola alteratio, non generatio, nam ibi locutus fuit de nutritione relata ad nutrimentum. Sextum est, quod nutritio, & augumentatio in necessitate, & tempore differunt, nam nutritio est necessaria omni animato, & omni tempore & inest ei secundũ se ex Arist. 2. de anima 46. augumentatio non item. Sed dices vsque quo fit augumentum in viuentibus?

Vsque quo nos crescimus.

Respondet Gal. in fragmentis com. 1. de alimento Hip. vsque quo ossa sunt confirmata, atque duriora facta.

Septimum in dignitate differunt, nam augumentatio dignior censetur nutritione, nam ei subministrat ex Gal. 1. de nat. fac. cap. 7. Et hæc hactenus.

Multa hic essent disputanda de materia augumentationis, an scilicet augumentatio sit motus continuus, an sola viuentia augeantur, an maneat idem suppositum, & eadem materia toto tempore augumentationis, & an hoc subiectum, quod manet idem augeatur secundum partes formales, an secundum materiales, & an eius quod augetur quælibet pars augeatur. De quibus omnibus, si Deo placuerit, alias exactus habebitur sermo.

De spiritibus, sint ne spiritus, et quid sint, et quomodo generentur.

Theorema LXVII.

ILlud prius lectoribus notum fiat, non de quocunque spiritu fieri à nobis in nostro theoremate contemplationem, non enim loquimur de spiritu, qui ventus, seu flatus vulgo à Philosophis vocatur, neque de spiritu, qui apud Hip. spirationem significat sexcentis in locis, libro 1. prognost. 24. in cloacis prænotionibus, & secundo proretic. 4. neque de spiritu, qui anima, seu Deus, & Angelus apud Theologos vocatur, Deus enim spiritus est Apocalypsis 4. sed tantum de illo spiritu, qui substantia est ex sanguine conflata, & hic spiritus an existat in rerum natura in dubium reuocatur.

Vt multi in hanc sententiam, seu dementiam deuenerint, negantes hos spiritus, cum actiones, seu operationes fieri possint à materia, & forma, nec non à coniuncto, ad quid ego prodest spiritus hosce admittere? sunt ergo superuacanei. Cæterum his non obstantibus, vt irrita, vana, & futilia prætermittantur, asserimus dari spiritus, tum sapientum auctoritate tum rationibus, & experientijs.

Primò igitur ex diuini senis auctoritate libro 6. epid. com. 4. tex. 8. & 6. com. 7. apparet dari spiritus, nam ibi tria corpus nostrum ponit membra constituentia, continentia, contenta, & impetentia, seu impetum facientia, græcè ὁρμῶντα, vbi Gal. noster per impetum facientia exponit spiritus. Idem etiam quamplurimis in locis confirmauit Gal. 1. de diff. feb. 1. primo Aphor. 15. Arist. 2. de gener. animalium cap. 3. in semine ponit spiritum illis aureis verbis; Inest autem in semine omnium, quod facit, vt fæcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, & spumoso corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum, &c. Idem etiam docuit libro de motu animalium cap. 6. & 5. de gen. animal. cap. vltimo. Id ipsum rationibus, & experientijs confirmatur. Nam ex eisdem nutrimur, ex quibus constamus, sed ad nostri conseruationem necessaria est spiritus attractio, ergo in nobis aliqua talis continetur substantia.

Secundò qui laborant lypothimijs odoribus reficiuntur repentè, qui cum sint substantia vaporosa non poterunt reficere nisi substantiam sibi similem.

Tertiò videmus animal repentè mori, nulla facta læsione in humoribus, vel solidis corporis partibus, ergo in alio facta est læsio ab his, scilicet in spiritibus.

Quartò experientia idem comprobatur, nam in animi affectionibus patet manifestè dari spiritus, in gaudio enim foras exeunt, è contra in mæstitia. Nec fieri possunt operationes omnes à materia, & forma, vt non nulli contendunt, cum etiam à spiritibus quam plurima fiant. Quare dantur, & conceduntur spiritus.

Quid sint spiritus.

Quid autem nunc sint in dubium etiam reuocatur. Pluribus in locis Gal. diffiniuit spiritus, libro 6. de vsu part. 17. & tertio de natur. fac. cap. 14. dixit spiritum esse substantiam omnium, quæ sunt in corpore nostro, tenuissimam & leuissimam, quæ videtur esse diffinitio magis communis, & vniuersalis, nam 6. de vsu part. loco citato potius definiuit spiritum animalem, dicẽs esse exhalationem genitam ex sanguine benigno ex quibus duabus Gal. definitionibus apparet, spiritus esse corpora leuia, & tenuia ex sanguine conflata, hoc dixerim contra non nullos perperam sibi persuasos spiritus esse incorporeos, nam si spiritus exhalatio quædam est, exhalatio corpus est ex metheoris, deinde spiritus sunt partes nostri corporis, vt supra ex Hip. vidimus, tandem à cerebro, & spinali medulla per quosdam neruos, & arterias spiritus commeant, ergo corpora sunt.

Perperam nõnulli spiritus incorporeos ponunt nostri corporis.

Fernelius lapsus est.

Vnde Fernelius Illustrissimus alioquin medicus perperam autumauit libro 7. de hominis procreatione cap. 13. spiritum esse quid diuinum, æthereum, & cælestem, nam clarè ex supra Galen. dictis apparet, spiritum esse conflatum ex elementis, scilicet ex calore aereo, & aquæ humiditate cum

spiritus augeantur, minuantur, nutriantur ex sanguine, quare cælestes non debent dici, nam ex his nutrimur, ex quibus constamus.

Addendum etiam, si spiritus essent cælestes, & ætherei, tunc ijs nihil esset contrarium, nec ab aliquo paterentur, nos autem oppositum obseruamus cum videamus spiritibus esse frigidū valde contrarium. Quare valeat Fernelius. Ex illis tamen Gal. duabus diffinitionibus, simul iunctis nos possumus aliam in medium afferre diffinitionem, omnia causarum genera complectentem; Est igitur spiritus corpus mistum, per se mobile, genitum ex sanguine, vel eius vapore, à natura pro operatione omnium facultatum, seu gratia conseruationis facultatis humanæ præsertim. In hac diffinitione rectè inspicienti apparent omnia causarum genera, materialis, finalis, formalis, & efficiens. Sed dubitatur de generatione spirituum, quomodo scilicet generantur spiritus. *Dubitatio de generatione spirituum, & solutio.*

Respondeo ex Gal. 7. de plac. cap. 3. & libro de vsu respira. cap. 5. quod quandoque generantur spiritus ex sanguine, quandoque ex aere, quandoque ex vapore. Sed dices, quomodo ex aere generantur spiritus cum aer sit simplex corpus, spiritus autem corpus mistum. Respondeo aerem non esse tunc temporis corpus simplex, sed mistum, vt theoremate 7. primi libri fuit sufficienter ni fallor comprobatum. *Obiectio diluitur.*

Notandum etiam vt clarior euadat supra iacta diffinitio ex Hipp. 6. epidem. com. 4. tex. 28. spiritus debere habere quatuor conditiones, scilicet tenuitatem, luciditatem, mobilitatem, & caliditatem, vt ideo fuerit dictum in definitione (per se mobile) ad differentiam humorum, qui non ex se, sed ab alio impulsi, siue attracti moueantur, & semper mouentur, & quandoque foras ad tempus scilicet, in quibusdam pathematibus, cum opus fuerit. Quare spiritus semper ex se mobiles sunt, vt ob id dixerit Marsilius Ficinus in com. supra conuiuium Platonis spiritum esse animæ currum, ex Gal. 6. epidem. com. 5. tex. 5. spiritum esse animæ instrumentum autumauit, & quam plurimis alijs in locis, & ideo in vltima particula diffinitionis fuit dictum (à natura productus pro operatione facultatum) & cum Stoicis hosce spiritus esse animæ, & corporis vinculum rectè concludendum existimo.

Quot sint spiritus.

Theorema LXVIII.



VT breuiter quid sentiamus, in medium afferamus sciendum est, nostrum theorema non verificari de quolibet spiritu, duplex enim est spiritus, alter insitus, seu innatus, & complantatus, & alter influens, innatus est ille, qui inest à primordijs generationis singulis nostri corporis partibus ex ipso semine, qui spiritus idem perseuerat à principio vsque ad finem, & ad mortē, & libro introductorio cap. 5. vocant Stoici hunc spiritum ἑκτικὸν cum scilicet sit complantatus, & habituatus in partibus, qui met spiritus ex Gal. decretis est in causa, vt quælibet pars viuat ex semet ipsa, & sint alicuius partis auxilio, & in omnibus corporis partibus, qui spiritus complantatus idem est cum calore innato, auctoritate Gal. 1. Aphor. 15. 6. de loc. aff. 6. & 5. de simplic. med. fac. cap. 9. 7. de plac. cap. 7. vbi calidum innatum spirituosam substantiam vocat, & tot sunt spiritus complantati, quot partium genera constituuntur. Spiritus verò influens est ille, qui nūc sursum, nunc deorsum, nunc ante, nunc retro, nunc dextrorsum, nunc sinixtrorsum, nunc in girum mouetur, qui spiritus influens idem est cum calore influenti, sed derelicto spiritu complantato, nam de ipso non est sermo in hoc theoremate, sed tantum de spiritu influente, de hoc enim est difficultas an sit vnus, an plures, pro cuius difficultatis exacta, ac breui explicatione hæc erit nostra sententia, scilicet spiritus influentes esse tres, & specie, & forma differre, quam rem sic probare aggredimur. Vt ergo tres sunt animæ facultates, naturalis, vitalis, animalis, tria principia, seu partes principes, cerebrum, cor, & hepar, tria organa his ministrantia, venæ, arteriæ, nerui, ita spiritus tres erunt species distincti, scilicet animalis, vitalis, & naturalis, & præter hanc rationem adsunt auctoritates, nā Gal. 16. de vsu part. 10. dicit, quod spiritus animalis differt ab alijs spiritibus, ergo plures sunt spiritus præter animalem. *Tres sunt spiritus specie differentes.*

Adhuc Gal. 2. de art. curat. ad Glauconem. 7. & 10. meth. med. 9. & 7. de plac. 3. tres facultates influere dixit, ergo omnes per spiritus influunt, tres igitur dantur spiritus animalis, vitalis, & naturalis; Nam in Gal. doctrina non est maior ratio, quare facultas vitalis & animalis per spiritus influant, & naturalis facultas nequaquam, nam debet per spiritum influere facultas hæc naturalis. Quamuis hæc Gal. doctrina de facultatum influxu non videtur esse multum consona cum dictis Arist. nam secundum Arist. 2. de anima, anima est tota in toto, & tota in qualibet parte totius. Si dixeris non debere influere facultatem naturalem, nam ex primo de loc. affec. 12. insita est facultas naturalis singulis partibus, ergo. Dicendum verum esse Gal. dogma, sed quoniam fugax est, & rapidus insitus singularum partium calor, ideo influente indiget spiritu. Quare tres tantum erunt spiritus influentes, animalis à cerebro, & in cerebro, vitalis generatur in corde ex tenuissimo sanguine, & ex aere per inspirationem attracto, & à corde influit naturalis in hepate, & ab hepate. Specie quoque, & forma differunt, nam principia generantia hos spiritus specie differunt, ergo, & illi. Adhuc spiritus cordis est calidissimus, cerebri spiritus non item, hepatis spiritus calidus, & humidus. Sed obijcies, cur tantum tres sunt spiritus, & non plures, nam debent dari lactificatiui, & carnificatiui spiritus? An dicendum quod non, quia tantum sunt tria membra principalia, illi autem supradicti reducuntur ad aliquem illorum trium. *Obiectio. Responsio.* *Obiectio diluitur.*

Quid

Quid alij senserint, et præsertim de spiritu naturali.



Vrisanus 2.ar. med.12. in hanc venit sententiam asserens esse vnum Argenterius alio modo dixit esse vnum 2.ar.med.12. & libro de somno, & vigilia. Manardus 15.epist.epist.1. Vallesius 2.controuer.9. 16. & alij duos esse dicunt. Quoad Turisani opinionem, hic antiquam scilicet Arist. opinionem defendens posuit vnum principium, scilicet vnum membrum princeps cor, cæteræ verò partes sunt secundariæ.

In corde sunt omnes potentiæ confusæ, vt sentire, mouere, vegetare, sed pulsare, & generare sanguinem distinctè sunt in corde, in quo vnum spiritum ponit, & tunc spiritum committit ad hepar, ad testes, & ad cerebrum. Sed ex supradictis theorematis falsa est Turisani sententia, nam non est vnum princeps membrum, quare in hac non est cur amplius sit immorandũ. Quoad ad Argenterium, hic ponit spiritum complantatum, seu innatum, & influentem, de influente dicit esse vnum, & non tres, vt supra nos probauimus, & ratio Argenterij hæc est, nam si plures essent spiritus, tunc miscerentur, & confunderentur, & sic actiones prouenirent a spiritibus mistis, & confusis, quod est inconueniens, vnus ergo est spiritus influens, qui dicitur animalis, quando peruenit ad cerebrum, & vitalis quando ad cor, & vocatur naturalis, quando ad hepar, vel dicitur animalis, quia deseruit facultati animali, dicitur vitalis, quia vitali, dicitur naturalis, quia naturali deseruit facultati.

Non videturesse multum improbabilis Argenterij sẽtentia, sed non est ad mentem Galeni.

Certè hæc Argenterij opinio non est multum improbabilis, nam fortassis posset defendi, verum nos tutius defendimus, & magis ad mentem Gal. dari tres spiritus vt supra, & ad Argenterij rationem dicamus, dato quod spiritus confundantur, quod non est verum, non propterea quisque peculiarem suam actionem non edet. Manardus loco citato, & cum eo alij duos tantum admittunt spiritum vitalem, & animalem, naturalem omnino negant, idque pluribus argumentis.

Sententia Manardi pluribus cõprobatur.

Primò Gal.12.med.meth.5.videtur dubius de spiritu naturali, ergo.

Secundò naturalis facultas non indiget deferente, scilicet vehiculo, cum ex Galen.1. de loc.aff.& 12.med.meth.& in arte parua insita sit singulis partibus.

Tertiò nulla est naturalis spiritus materia, quia nulli videntur esse ductus, per quos ad hepar adueniat.

Quartò non sunt cauitates in hepate, veluti in corde, & cerebro, ergo non adest generationis locus, quare non dantur spiritus naturales.

Quintò nulla vtilitas est huius spiritus, & si datur assigna mihi.

Sextò ab Hipp.6.epid.dicuntur spiritus impetum facientes, ergo venæ deberent pulsare, si spiritus continerent non secus, ac arteriæ. Tandẽ quo pabulo nutritur hic spiritus naturalis, cũ aer externus ad uenas non ingrediatur. Cæterum his non obstantibus soluamus rationes, nam vt supra patuit datur spiritus naturalis, sanguinis crassioris vehiculum ab hepate per venas in totum corpus effusus. Mitto quod luculenta satis oratione Altimarus proprio quæsito probat dari spiritum hunc naturalem, quare illuc lectorem demandamus.

Diluuntur rationes Manardi.

Adprimum respondetur, quod male concluditur, Gal. dubitatiuè locutus est, ergo non datur, in sana quidem est consequentia. Deinde adderem Gal. potius affirmatiuè fuisse locutum, nam dictio illa (si) est affirmatiua loco citato, sicut illa in carminibus, qui Catoni adscribuntur.

Si Deus est animus nobis, vt carmina dicunt.

Et iuxta illud primo posteri.cap.2.si scire est quale posuimus & c. inquit enim Gal. quod si naturalis quoque aliquis spiritus est, vtique is quoque in iecinore, & venis continebitur, quare potius affirmatiuè locutus fuit, & satis rarenter de hoc spiritu Gal. mentionem fecit, quia hic naturalis spiritus est crassior respectu vitalis, & ideo rarissimè de hoc meminit, nam multum recedit à natura spiritus cum verè spiritus est animalis, vt patet ex Galen.verbis 12. metho. med.5. quare non fuit dubitatio Gal.an detur hic spiritus naturalis, sed an potius mereatur nomen spiritus.

Ad secundum concedimus insitam esse naturalem facultatem, sed quoniam velox & fugax est insitus partium calor, spiritus naturalis influente quodam simili indiget.

Ad tertium dicimus, hunc spiritum naturalem pauco aere indigere, atque foueri, cũ enim sit consensus vnus, & conspiratio vna, & omnia in omnibus ex venerandi senis sententia, hic naturalis spiritus sola transpiratione contentus est. Hæc autem transpiratio in concaua hepatis parte per arterias absoluitur, in gibba verò, & si non adsint arteriæ, adest tamen septum transuersum, cuius perenni motu veluti flabello præcordia ventilantur.

Ad quartum dicimus sufficere naturali spiritui pro eius generatione venarũ illos plexus, qui sunt in hepate, causam verò, quare in hepate non fuit necessaria cauitas, supra diximus.

Ad quintum respondetur, vtilem esse pro generatione spiritus vitalis, & deseruire pro nutritione spiritus innati ex mente Fernelij.

Ad sextum dicimus venas ideo non pulsare, & non moueri, quia vis pulsifica à corde ad eas non deriuat. Ad vltimum dicatur, conclusum spiritum in venis transpiratione foueri, refici, & conseruari, nam quælibet vena habet suam arteriam perpetuo comitem, sociamque, atque fiunt quamplurimæ venarum, & alteriarum anastomases.

An sit animalis spiritus.

Theorema LXIX.



On solum spiritum naturalem negarunt quidam, vt supra visum est, sed animalem etiam, vt Argenterius præsertim in libro art. med. & in lib. de somno, vigiliaque, verum cum nos supra conclusimus dari tres spiritus, inter quos est animalis, ideo quæ eum euertant argumenta speculemur, si prius illud prælibabimus, animam vti hoc spiritu tamquam immediato organo ad obeundas functiones animales sensificas, motrices, & principes, & hunc spiritum Gal. 6. de vsu part. 17. definit, quod sit exhalatio quædam benigni sanguinis, & distinctus est hic spiritus animalis à vitali forma, & specie, non veluti quidam dixere accidentibus tantum, nam veluti est distincta chylosis ab hæmatosi, ita animalis à vitali differt, diuersa sunt organa, & diuersus generationis modus. Multis etiam Gal. locis patet distinctio spiritus animalis à vitali, vt 12. meth. med. 5. 16. de vsu part. 10. 7. de plac. c. 3. & 8. de vsu part. 4. & alijs sexcentis in locis. Hunc spiritum admittit Alex. Aphrodisæus lib. 2. suorum problem. probl. 3. & 6. & euidenti demonstratione probatur, quæ est Gal. 12. meth. med. 5. nam spiritus animalis substantia tenuissima est, ac sensum effugit, & 1. de plac. Hip. & Plat. 5. dicebat dissecto animali in cerebri ventriculis nil reperitur, quemadmodum in ventriculis cordis, in quibus semper est sanguis, sed fieri non potest, illos ventriculos esse vacuos, ergo erunt repleti hac substantia, scilicet spiritu animali, quod verò spiritus hic in illis ventriculis adsit, & quod sit animæ primum instrumentum probauit Gal. 7. de plac. Hip. & Plat. cap. 3. Sed dices, quomodo generatur hic spiritus animalis? Breuiter respondetur, quidquid alij dicant, tenuissima portio vitalis spiritus materia est animalis ascendens per arterias ceruicales, & carotidas in cerebrum, & præsertim ad ventriculos eius, præparatio fit in plexibus, coctio in cerebri sinibus, & clarius, in plexibus redimentum sumit, in ventriculis perfectionem, & inde per totam cerebri substaniiam ad functiones principes, & in spinalem medullam, & neruos ad sensum, & motum diffunditur. *Dubitatio. Responsio.*

Quid alij senserint.

ADeo fuit nouitatis, suæque opinionis amator ceruicosus, ac in omnes iniuriosus ille Argenterius, vt semper voluerit sapere, plusquam oportet sapere, hinc videmus quàm sæpissime illum dum ab Hip. Arist. vel Gal. vel à communi Philosophorum, & Medicorum hæresi recedit, turpiter, & pueriliter fuisse lapsum, vt enim noua sunt dogmata, ita quandoque sunt falsa, & à veritate aliena, nec sapientum auctoritatem vnita, sed apparentibus tantum rationibus colorata. Hic igitur Argenterius non nullis fucosis rationibus euertit animalem spiritum, nos autem, & Argenterij motiua, & aliorum si quæ sunt in medium afferamus, eaque persoluamus.

Primò igitur ex Argenterio, loco supra citato sic arguitur, si spiritus animalis esset in cerebro præcipue reperiretur, & tunc illud absurdum sequeretur, quod perpetuò fierent sensationes, atque cogitationes, quia animæ facultates semper adsunt.

Secundò si reperiretur animalis spiritus, tunc non posset ad pedes extremos descendere, quia igneæ, & aereæ naturæ est.

Tertiò pupillę dilatatio fit per spiritum arteriarum, talis autem vitalis est, non animalis, ergo non datur animalis spiritus.

Quartò spiritus facultatum sunt vehicula, sed animalis facultas nulla est, quę influat, nam facultas est animæ proprietas, hæc autem inseparabilis est ab eo, cuius est proprietas, ergo vbicunq; erit anima, ibi, & eius facultas, at anima est tota in toto, & tota in qualibet parte totius, ergo vbique erit facultas, igitur non sunt necessarij spiritus, & præsertim animales.

Quinto si animalis spiritus reperiretur, præsertim in cerebri ventriculis reperiretur, sed hoc esse non potest, nam ventriculi cerebri dicati sunt expurgationi excrementorum.

Sextò omnis spiritus, qui est in arterijs dici debet vitalis, sed spiritus, qui continetur in cerebro, in arterijs vagatur, ergo omnis spiritus est vitalis, non animalis.

Septimò si arterias reliquit spiritus cerebri, & in ventriculos effunditur cum in tertio ventriculo duo sint ductus, anterior, & posterior, cur ad hunc, quàm ad illum potius ferantur? à quo docentur spiritus, vt ab arterijs prolapsi in ventriculum pedetentim ferantur?

Octauò pupillæ dilatatio clauso altero oculo arguit ferri per arterias, nō per neruos spiritus, nam optici pupillam non attingunt, & inter opticum, & pupillam corpora se interponunt quamplurima eaque crassissima, scilicet humor crystallinus, & aqueus, quos spiritus nequit transire momento temporis.

Nonò magis, & minus non variant speciem, famosum est axioma apud Logicos, Philosophos, & Medicos, sed secundum Gal. quando spiritus vitalis fit animalis, tunc animalis attemperatur magis, & elaboratur, nunc peto quid est ista elaboratio, aliud certè non potest esse, nisi refrigeratio, ergo vitalis spiritus fit minus frigidus, igitur secundum essentiam non mutatur, quare specie non differunt. Hæc sunt momenta rationum spiritum animalem oppugnantium, quæ sic facilè diluuntur.

Ad primum respondetur, animam non perpetuo operari, etiam si organum habeat, quia impeditur sæpe sæpius instrumentum calore natiuo intus contracto, vt in somno. *Respōsiones ad argumēta.*

Ad secundum dico, regulatum spiritum ab anima contendere posse ad pedes.

Ad tertium hoc argumentum potius est contra Argenterium, nam non potest vitalis spiritus cum arterioso sanguine ab vno in alterum locum per remotissima vasa commeare, nã non coeunt vtriusque oculi arteriæ, quare per arterias ferri non posse momento temporis pupillæ dilatationem clauso altero oculo existimandum est, cum vt diximus non coeunt vtriusque oculi arteriæ, vt nerui optici.

Ad quartum responderem ex Arist. animæ essentiam certè esse vbique, omnibus facultatibus pręditam, & ornatam, sed vbique non operari, quia vbique non habet organa.

Ad quintum dicatur cum Arist. 2. de anima 88. & libro de sensu, & sens. cap. 5. naturam posse vti re vna ad duo munera, & quandoque ad varia, & quandoque ad plura, vt lingua ad gustum primariò, & secundariò ad locutionem, & nares primariò iuuant ad odoratum, & aeris inspirationem, secundariò ad expurgationem, ita priores cerebri ventriculi, primariò ad spirituum præparationem, secundariò ad expurgationem facti sunt.

Ad sextum diuersa est natura spirituum, & vaporum, spiritus ab anima regulantur, & retinentur, qui sunt ei familiares, & cognati, vapores peregrini, & contrarij, quare euanescunt, & densantur.

Ad septimum iam patet solutio quia spiritus est animę instrumentum, regitur ab ipsa, & ad sui imperium delegatur, modo ad hanc, modò ad illam partem, quia sic animæ placet.

Ad octauum respõdetur ex anatomicis administrationibus, nos esse sæpe sæpius edoctos, neruum opticum dum ad crystallinum peruenerit non ibi desinere, sed in tunicam reticularem diffundi, & ampliari, sed reticularis tunica fertur ad pupillam vsque.

Ad nonum, & vltimum dicimus animalem spiritum mutare formam, speciemque, quia est diuersa alteratio, seu coctio, & diuersus locus, veluti differt essentialiter chylosis ab hæmatosi, quare nullum est argumentum, nec me latet in theoremate 47. primi libri me aliam sententiam habuisse, verum exercendi ingenium causa ibi Aristotel. defendere volui, re vera autem magis cum Galen. sentiendum est.

Sola ne facultas influat per neruos, arterias, & venas, an cum facultate spiritus.

Theorema LXX.

NOn solam facultatem, sed ipsam cum spiritu influere aperto Marte in hoc theoremate defendimus, idque tum auctoritate, tum rationibus comprobabimus, primo Galen. auctoritate, licet varius quibusdam videatur, habet enim 3. de nat. fac. 6. neruum esse dicatum spiritui animali, & in fine capitis dicit, à principio nerui descendere animalem spiritum, & libro de multitudine cap. 5. dicit, neruos esse plexus spirituum, quod etiam confirmauit clarius 8. de vsu part. 13. Idem etiam ex Auic. libro 1. fen. 1. doc. 6. cap. 1. patet, ex Auctuario libro 1. de pulsibus cap. 7. & 9. Sed missis auctoritatibus ad rationes accedamus.

Prima, si facultas sola sine spiritibus mearet, tunc dubio procul inanis esset spirituum positio, pręsertim eorum causa finalis, nam dictum est supra spiritus esse animæ instrumentum, quibus anima operatur, nam non edit functiones animales anima in cerebro absque spiritu, non enim intelligit, non speculatur phantasmata sine spiritu.

Secunda ni concedamus per neruos spiritus contendere, fieri quidem nõ poterit in vna, & eadem parte, ad quam vnicus neruus fertur, pereat motus illæso permanente sensu, vt in paralysi sæpe sæpius vsu artis contingere obseruamus, cuius causam omnes medici esse putant, quod spiritus exigua irradiatio valebit producere sensum, non motum, cum sensus passione sola, motus verò actione perficiatur.

Tertia si facultas sola permearet, tunc animal non defatigaretur in obeundis functionibus, cum parum, vel nihil patiatur facultas, at animalia satis, superque satis defatigari experientia quotidiana constat, ergo propter spirituum resolutionem id prouenire fatendum est, quare spiritus commeant. Hinc videmus fieri animi deliquium, quia spiritus dissipatur, & in vertigine ideo titubant homines, ac sopiuntur animalia, quia spiritus animalis per neruos rectà ducendus circulari motu agitatus aliò tendit, & à neruorum principio retrahitur.

Quarta & est argumentum ab experientia deductum, videmus pupillam dilatari altero clauso oculo, quæ non fit à qualitate sola, scilicet à facultate, nam hæc non distendit, nec occupat locum, ergo ab aliquo corpusculo hoc fieri oportet, qui non humor, nam non ita cito, ergo spiritus est, igitur spiritus permeat.

Quinta si sola facultas permearet, tunc peto, ista facultas, aut est accidens, aut substantia animæ, si accidens, tunc migraret de subiecto in subiectum, si secundum tunc esset ipsa anima, quare non poterit esse facultas sola, nam si est accidens non separatur ab anima, quare melius est vt ponamus spiritus.

Sexta si in neruo optico manifestè apparet spirituum motus, cur non in alijs partibus?

Septima videmus in dies luxatas colli, ac dorsi vertebras, ex quibus statim deperditur sensus, & motus, ratio est, quia comprimuntur nerui ratione cuius compressionis spirituum aditus denegatur. Idem patet in gucta serena, seu obstructione neruorum opticorum. Quare his auctoritatibus, & rationibus patet spiritus influere cum facultate.

Quid

Quid alij senserint.

DVbius videtur fuisse Gal. in hac materia, vt patet 7. de Hip. & Plat. decre. c. 4. an singulis neruis sint spiritus, seu spiritus commeent ad singulos neruos, veluti manifestè patet de opticis, & spinali medulla, in fine tamen videtur concludere singulis neruis non esse meatus, vt ob id dixerit. 1. de loc. affec. 7. & primo de sympt. cauf. c. 5. facultatem veluti per irradiationem influere.

Secundò rationibus probatur, quod scilicet spiritus non contendant per neruos, nam spiritus est substantia crassior aere, ergo non poterit penetrare, nec per neruos, venas, & arterias.

Tertiò spiritus alioquin tenuissimus aereæ, & igneæ substantiæ quomodo deorsum, scilicet ad pedes contendet, hoc certe non erit nisi violenter, sed quis eum violentat inquit Argenterius?

Quartò spiritus omnes (dato quod sint tres) corpora sunt, ergo egent aliqua sensibili cauitate, sed in neruis non sunt istæ, ergo sunt in arterijs, non in neruis.

Quinto si spiritus pituitam in neruis imbibitam, quando paralysis accidit, non penetrant, quanto minus duriorem nerui substantiam?

Sextò si per neruos influeret spititus obstructo cerebro, vt in apoplexia, non subito fieret sensus, & motus priuatio, nam essent in singulis partibus spiritus, ratione quorum posset per exiguum tempus fieri motus, & sensus.

Septimò secus, aut ligatis neruis experimur partes infra ligaturam, statim sensu, & motu priuari, si verò adesset spiritus aliquis animalis, non momento deperirent hæc omnia. Respondeamus tamen ad singula. *Respõsiones ad argumenta.*

Ad primum, vel debemus dicere Gal. in illo loco præcipuè 7. de plac. vbi ex professo hanc materiam pertractat, non negare in omnibus neruis quasdam vias parum latentes, sed bene negare patentes, & manifestas, vt gratia istius potius dixerit in alijs supra citatis locis facultatem veluti solem irradiare, non tamen negare spiritus cum ipsa commeare, vel si hæc responsio non satisfacit dicere possumus eum fuisse dubium, & varium in hac materia. Attamen magis standum est cum prima responsione, nam, & si ipse loco citato non concesserit singulis neruis meatus, hoc de patentibus venit intelligendum. Si dixeris quod Gal. instat, nam erit necesse, vt excogitemus illi meatui circumiectum quodam neruis, vel aranearum telis tenuius corpus, adeo, vt & ipsum quàm facillime discerpi, & meatus in singulis, pene dixerim, momentis obturari queat. *Obiectio.* Ego dicerem neutiquam illum esse discerpsurum, nam assiduè influit, & assiduè generatur, nec est necesse, vt in singulis momentis meatus obturentur, tùm ob spirituum tenuitatem, tùm etiam ob nullam fere resistentiam ab ipsis neruis. *Solutio.* Quinimo crediderim alia ratione esse philosophandum de meatibus neruorum hominum viuentium, & de meatibus neruorum hominum mortuorum, nam in his ratio dictat, vel nullos, vel insensiles apparere, quod non contingit in viuentibus, cum confluxus vnus, conspiratio vna, & omnia in omnibus.

Ad secundum dicatur, spiritus esse satis tenues, & quandoque non sunt crassiores aere, & quandoque item, iuxta partium exigentiam, & si essent parum crassiores aere etiam possent penetrare totum peruadentes corpus.

Ad tertium, & si spiritus natura sua sursum euolare semper cupiant, tamen regulatos ab anima posse sursum, deorsum, nunc intro, nunc foras contendere, nemo sanæ mentis Philosophus, & Mecus negare audebit.

Ad quartum dicendum, spiritus esse in singulis corporis partibus, nam nerui, venæ, arteriæ per totum spatiantur corpus, deinde mittuntur à membris principalibus, cum enim spiritus sint animæ instrumenta, illius mandatis obtemperant, semper in neruis, venis, & arterijs continentur, & alijs influentibus perpetuò reparantur, ac reficiuntur, vnde ante priorum exhaustum alius statim de nouo insurgit, ac pullulat, vnde ex his concludo fieri posse motus in istanti, etiam quod spiritus corpora sint, vnde cum ijsdem spiritibus facultas commeat, & non ipsa sola ad subitaneas mutationes obeundas.

Dices cur venæ, & arteriæ manifestas cauitates habuerunt, & nequaquam nerui? *Instantia* Respondetur non tantum propter spirituum delationem, quantum ob sanguinem arteriosum, & venosum, *Responsio* neruis hæc cauitas non fuit necessaria, nam tantum per ipsos spiritus erant pertransituri sine sanguine. Esse autem internam neruorum regionem substantiamque poris, ac foraminibus multis præditam hæc indicant, nam febris quandoque finitur conuulsione, vt in Aph. scripsit Hip. quare à venis in neruosum genus fit humorum transpositio, ergo si humores pertranseunt, quanto magis spiritus tenuiores?

Ad quintum ideo pituitam spiritus non pertranseunt, quia non solum mollis, sed viscida, crassa, & frigida, & à natiuo calore non regitur, atque domatur, è contra neruum.

Ad sextum dicitur ideo perire sensum, & motum ob impeditum transitum facultatis à cerebro, nam cum spiritus solus sua substantia motum, & sensum partibus præbet, sed quatenus perfusus est facultatis radijs.

Ad septimum iam patet responsio. Sed dices, ex qua parte spiritus per neruos pertranseunt, per internam, an per externam regionem?

An cum Galen. dicendum 7. de plac. Hippoc. & Platon. cap. 3. per internam regionem pertransire, & hæc satis.



Sint ne spiritus animati, nec ne.

Theorema LXXI.



VIdetur certè hoc theorema maximam probabilitatem habere ad vtranque partem, nos tamen declinamus in hac sententiam, vt fateamur spiritus esse animatos, quod ex quam pluribus vijs nobis metipsis persuademus.

Primo, nam omne quod ex se mouetur ad omnem loci differentiã est animatum, sed spiritus mouentur ex se ad omnem loci differentiam, ergo sunt animati, maior, est Arist. lib. 8. phys. 29. & 30. & lib. 4. phys. 5. quibus in locis hoc axioma probauit, minor ab omniscio Gal. probatur lib. 2. de caus. sympt. c. 5. & lib. 1. de semine c. 8. vbi dicit spiritum esse substantiam per se mobilem.

Secundò ex Auic. lib. 1. fen. 1. c. 1. idem patet, nam loquens Auic. de sanitate, & morbo, inquit horum subiectum esse corpus viuens, sed sanitas, & morbus, vt in subiecto propinquo consistit in solidis & spiritibus, & in subiecto remoto in humoribus, ergo spiritus sunt animati ex mente Auic.

Tertiò si id quod minus videtur est, ergo, & id, quod magis, sed minus videtur, quod humores sunt animati, & sunt, ergo & spiritus sunt animati, esse autem humores animatos. 31. theoremate supra demonstrauimus. Tandem ad hanc sententiam videtur accedere magnum naturę miraculum Arist. lib. 2. de generatione animal. c. 3. mellifluis illis verbis, Existit autem in semine omnium, quod facit vt fæcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum, & hic est ille spiritus, qui generat ex Arist. Idem etiam confirmauit Io. Grammaticus supra hunc Arist. locum, & Gal. noster libro 12. meth. med. c. 5. & lib. 2. aph. & lib. de vtil. resp. c. 5. & tandem Hip. libro de alimento. Illud etiam sciendum est hoc nostrum theorema esse intelligendum, tàm de innatis, & complantatis spiritibus, quàm de influentibus.

Quid alij senserint.

EX Arist. allata diffinitione animæ lib. 2. de anima videtur posse primo colligi spiritus esse inanimatos, est enim anima ex Arist. actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis, sed spiritus non sunt corpora organica, ergo non sunt animati, nam videntur esse substantiæ tenuissimæ, & homogeneæ.

Secundò tria sunt genera febrium ex communi decreto omnium medicorum, febris hectica, ephemera, & putrida, hectica est passio viuentium partium, sed in spiritibus, & in humoribus non est febris tamquam in subiecto, sed tamquam in causa, ita vt humores calefacti sint causæ febris, vt Turisanus, & Vallesius voluerunt, quo stante sic arguo, si spiritus sunt animati, tunc sequeretur febrem ephemeram esse hecticam, patet, nam febris hectica est calor accensus in viuentibus partibus, sed spiritus per nos viuunt, & in ipsis accenditur febris, ergo ephemera est hectica.

Tertiò cum in homine sit vna anima, tunc si spiritus essent animati in homine essent plures animæ quod est absurdum, & damnatum.

Quartò si sunt animati deberent nutriri, & augeri, & deberent facere concoctionẽ, & excrementa, & lib. 3. meth. med. 4. omnis coctio facit duo excrementa, alterum tenue, & alterum crassum, sed non sunt excrementa spirituum, nullus videtur esse locus coctionis ipsis spiritibus, ergo non sunt animati. Sed soluo rationes.

Solutiones rationum. Ad primam posset responderi Arist. in animæ diffinitione loqui de toto subiecto informato ab anima, quare tota anima requirit corpus organicum, partes autem istius subiecti non esse absurdum dicimus esse similares, seu homogeneas, vt patet de membranis, neruis, qui sunt animati & sunt similares quare Arist. diffinitio videtur valerẽ de toto subiecto, non autem de partibus, modo spiritus cum sint partes, si sunt similares non est absurdum. Vel secundo responderi potest spiritus esse corpus organicum, vt in diffinitione spirituum patet, namque ex Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 3. aut omnino difficile est, aut impossibile reperiri in corpore nostro partes similares.

Ad secundam negatur similitudo, nam febris hectica est passio solidarum tantum, est enim hæc essentia febris hecticæ, modo spiritus non sunt partes solidæ.

Ad tertiam corpus dicitur corpus quatenus est compositum ex tribus, solidis, humoribus, & spiritibus, quare vna his est anima, quamuis secundum Arist. teneri possit formarum pluralitas, vt theoremate 55. disputauimus.

Ad quartam spiritus augentur nutriuntur, & concoquuntur vltimo loco, & ex vapore sanguinis nutriuntur habent autem excrementa subtilissima, & sunt vapores, & fuligines. Sed præsenti theoremati hic finis esto.

Finis primi Libri.

THEO-



THEOREMATA MEDICA, ET PHILOSOPHICA, EPIPHANII FERDINANDI MESSAPIENSIS HYDRVNTINI.

Libri Secundi.

De rebus non naturalibus, et primo quot sint.

Theorema Primum.



EARVM rerum, ex quibus nostrum construitur corpus, absoluta contemplatione priori libro; ad res non naturales nostra hoc secundo libro conuertatur oratio, quæ quidem res corpus nostrum conseruare valebunt, si ritè, neque sinistre ijs vtamur, & licet hæc dictio scilicet, res non naturales, non sit apud Arist. vsitata, tamen apud medicos est infrequentissimo vsu, & præsertim apud Arabes, namque inter entia naturalia, & entia præter naturam datur medium, & sunt hæ res non naturales, quæ nisi rectè administrentur nostrum corpus necessariò alterant, ac sanitatem destruunt. Inuenio tamen quandoque apud Gal. hanc dictionem fuisse in vsu, scilicet in introductorio de pulsibus cap. 9. pulsum inquit mutari, vel à causis naturalibus, vel à causis non naturalibus, vel à causis præter naturam.

Quicquid tamen sit de hac dictione, vocantur etiam apud Gal. libro 3. art. med. causæ conseruantes, dummodo ijs probè, vt necessitas postulat, tempore, & mensura, qualitate, & quantitate debita, & tandem omnibus ijs scopis, quos ponit Gal. corpus vtatur. Sed numerum earum rerum modo disquiramus. Sex tantum esse auctoritate Galen. cui omnes ferè medici consentiunt, hucusque omnibus est receptum, scilicet.

1. Aer.
2. Motus, & quies.
3. Cibus, & potus.
4. Somnus, & vigliia.
5. Excreta, & retenta.
6. Animi perturbationes.

Sed quoniam non licet doctrinam historicam in medium afferre, ideo breuiter ratio istius numeri erit reddenda, ac explicanda, ratio autem triplex esse potest, prima, nam res non naturales ad custodiam virtutis diriguntur, quæ duo postulat, primum obiectum, seu alimentum, secundum facultatem agentem in obiectuui, alimentum potest esse spirituum, & partium vitalium, spirituum aer, partium vitalium, cibus, cuius vehiculum est potus, facultas agens in obiectum est ipsa vis coctrix, quæ requirit commodè rationem omnium functionum, functiones autem sunt duæ communes, & determinatæ, communes naturæ, & animæ, & sunt somnus, qui concoquit, & vigilia, quę digerit,

 deter-

determinatæ sunt naturæ,& animæ,naturæ,vt expulsio, per quam fit inanitio,attractio, & retensio quibus fit repletio, animæ,vel sine cognitione,vel cum cognitione, sine cognitione, vt quies, per quam calor concentratur, vt detineat, & concoquat, motus, per quem fit destributio in partes,cum cognitione,vt animi accidentia, quæ quidem omnia Capiuaccius in tract. de febribus in tabella reponit,vel secundò sufficientia harum sex rerum non naturalium, ex numero trium facultatum desumitur, nam facultas naturalis indiget cibo, & potu, & excretis, & retentis, vt clarè patet, animalis habet sensum, & motum, pro sensu est vigilia, & motus, sed quoniam semper non potest sentire, & mouere, ideo indiguit somno, & quiete, vitalis, vt conseruetur indiget aere, & affectibus animi, aere, vt animal inspiret, impossibile nanque est animal existens, & non respirare, affectibus animæ, nam nisi animal haberet tales affectiones, dubio procul torperet, ac veluti palustris aqua otio contabesceret, nam hæ excitant animum, ac deprimunt ipsum.

Vel tertio probatur sufficientia rerum non naturalium,nam hæc diuisio istarum rerum in sex partes, potest reduci ad bimembrem, vel enim extrinsecus, vel intrinsecus adhibentur, si extrinsecus, vel conuertuntur in substantiam nostram, & sic est cibus, & potus, vel non conuertuntur, & sic est aer, si intrinsecus,vel ad animam,vel ad corpus pertinent,si ad corpus sunt excreta, & retenta, si ad animam,vt ad animalem virtutem,& sunt motus, & quies, ad vitalem animi perturbationes, ad naturalem excreta,& retenta.

Sic igitur demonstrata est sufficientia istius senarij numeri rerum non naturalium, de quibus agit Gal.libro 3.art.med.

Quid alij senserint.

SEd aduersus dicta maximæ sunt difficultates,& primo videntur esse pauciores quàm sex, Gal.libro de arte gymnast.ad Trasybulum c.40.& libro de constitut.art.med.cap.14.& lib.1. de san. tuen.cap.vltimo dicit esse quatuor.

Secundò Argenterius multa dicit contra Gal.nam primo de san.tuen.cap.2.& cap.3. duo enumerat,scilicet alterationem à nobis ipsis,& eam,quæ fit ab extrinsecus, à nobis ipsis est fluor substātiæ, & siccitas,quam calor insitus perpetuo parit, & excrementorum prouentum, qui ex concoctione nutrimenti resultat,eam verò,quæ est ab extrinsecis dicit esse aerem, de motu, & quiete somno, & vigilia, & animi affectibus ne verbum quidem.

Tertiò animi perturbationes sunt motus,ergo non debent facere caput distinctum ex Argēterio, ergo quinque, & non sex sunt res non naturales.

Quintò videntur esse plures,nam est terra supra quam ambulamus, & maxime nudis pedibus, est & aqua,qua lauamus faciem,& manus,cælum etiam,cælestesque influxus nos alterant.

Quintò ætates, mores, & artes, & vitæ instituta nos manifestissime alterant, de ætatibus patet, nam secundum diuersas ætates diuersimode corpora sunt disposita, cum per ætates corpora modò fiant calida, modo frigida, modo humida,modo sicca, secundum magis, & minus,de moribus adhuc patet ex Gal.libro 1.de san.tuend.cap.8. & libro 2.cap.7.habent enim mores alterando tantam in nobis vim,vt possint bonam etiam naturam corrumpere,de ratione victus adhuc res est in promptu, nam ratio victus mutat temperamentum, deinde optima ratione victus in melius illud commutat.

Sextò adhuc sunt plures,nam aliud est cibus,& aliud potus,aliud somnus, & aliud vigilia. Si dixeris, quod sint vnum hæc duo capita, nam somnus, verbi gratia, est priuatio, vigilia verò est habitus, & sic de cæteris: contra, nam si hæc duo sunt vnum genus,tunc sequeretur,Arist.lib.1.physic. debuisse ponere vnum principium,scilicet materiam,quæ est cum priuatione,addo etiam,nam sunt contraria,ergo non sunt vnum. Quare vndique sunt angustiæ contra hunc senarium numerum rerum non naturalium,vt ob id Argenterius libro 3. art. med.com.5. dixerit sex res non naturales,vel non esse sex,sed quatuor,vel cum maxima violentia reduci hæc omnia.

Responsio, & impugnatio.

Solutiones argumentorum.

Cæterum dicendum vt sepra fuit conclusum,res non naturales esse sex, & hæc obiecta facilè posse solui.

Et ad primum dicendum, Galen. locis citatis enumerare omnia, quæ ad sanitatem seruandam iuuare possunt,siue necessariò alterant,siue non,idest vt possint euitari,& ideo in illis locis dicit esse quatuor, nos autem cum Galen. libro 3. art. med. dicamus esse sex necessariò, & ineuitabiliter alterantia.

Ad secundum dicimus nos enumerasse cum Gal.in lib. 3.art.med. extrinsecus necessariò alterantia,quæ tantum numero sex esse diximus, sed libro primo de sanitat.tuend. posuit intrinsecus alterantia,idest fluorem substantiæ,& excrementorum prouentum.

Notandum tamen,hæc extrinsecus alterantia,quæ iam diximus esse sex posse diuidi in necessario, & non necessario alterantia, à nobis in hoc theoremate sunt inclusa extrinsecus, & necessario alterantia,non necessario alterantia, vt casus,& fortuna,& alia id genus dimittimus, tamquam à nostro theoremate aliena.

Ad tertium respodetur quod animi affectiones pertinent ad motum animi,motus vero, & quies ad corpus,& ob id faciunt distinctum caput,ob id non quinque,sed sex.

Ad quartum de terra, & aqua respondetur res non naturales enumeratas necessario nos alterare, & nullo pacto posse à nobis euitari cuiusmodi non est terra, & aqua, nam terra nos alterat mediante aere,& sic ad aerem reduci potest hæc alteratio. Si verò dixeris, quod terra nos immediate alterat tunc quidem hæc alteratio potest euitari si in pedibus calciamentis vtamur, sic etiam de aqua philosophandum.

De cæ-

De cælo respondeo cum Arist. libro 1. metheor. cap. 1. & libro 4. de gen. animal. cap. 14. & Gal. libro 1. prognost. 4. nos mediante aere alterare, sic etiam de cælestibus influxibus, si qui sunt in Aris. doctrina lib. 2. cæli 42. præter motum, & lumen venit dicendum.

Ad quintum de ætatibus dicitur, has non alterare corpora nostra, sed esse signa, mensuras, modosque alterationis, quæ in nostro corpore à principio ad finem vsque efficitur. Mores possunt euitari, & non necessario nos alterant, & si euitari non possunt reducuntur ad animi affectus. Vitæ institutum, & artes, vel necessario nos non alterant, vel si hoc faciunt, alterant quatenus reducuntur ad motum.

Ad sextum, & vltimum dicerem potum, & cibum constituere vnicum caput, quia sapientissimus Galen. sub nomine vnius considerauit, scilicet quatenus in corpus ingeruntur. Idem etiam de somno, & vigilia philosophandum, quatenus sunt actiones vnius facultatis, quare rationes supra adductæ, velint nolint aduersarij, cessant.

An res non naturales incessanter nos alterent, et quomodo alterent corpora nostra.

Theorema II.

SVfficienter, arbitror, probatum est præcedente theoremate sex esse res non naturales, quæ necessario nos alterant, nunc aliud insurgit theorema cõsiderandum, an semper hæ res nostra corpora alterant, an sit aliquid temporis interuallum, in quo non agant hæc superiora sex capita dicta. Pro cuius theorematis explicatione breuiter illud sciendum, res istas non naturales posse duobus modis considerari, vel coniunctim, vel disiunctim, dicamus ergo disiunctim nos semper alterare, non autem coniunctim, modo enim est ab aere alteratio, modo à cibo, modo ab animi affectibus, & sic de cæteris. Sed quo modo singula alterent sigillatim videndum.

Primò de aere, namque necesse est aerem ambientem nos attingere, nam eo semper vtimur, tùm intra corpus, tùm extra, inter per respirationem, extra per transpirationem, ex libro nãque tuẽda sanitas c. 18. & lib. 9. meth. med. c. 14. fine aere nec sanitas seruari, nec morbus curari potest, & libro 5. de loc. aff. c. 1. impossibile est vitam separari à respiratione, & respirationem à vita, vt Arist. in lib. de sensu, & sens. & Gal. lib. 3. art. med. c. 5. dicebat ab aere corpora nostra calefieri, refrigerari, exiccari, humectari, & quandoque ab vna simplici qualitate, quandoque ab ipsarum coniugationibus, & quandoque etiam aer ipse in tota substantia corrumpitur, idest quando putrescit secundum Turisanum. Aer etiam mutatur à quamplurimis causis, vt à rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, & Gal. dicebat lib. 9. meth. med. c. 14. & lib. 11. meth. med. cap. 1. & Auic. lib. 1. doc. 2. cap. 7. aerem mutari à quamplurimis dicebat, & præsertim à tribus, ab anni tempore, regione, particulari cæli constitutione, ratione primi, nam aer æstate calidus, & siccus est, hyeme frigidus, & humidus, vere ad temperiem accedit, autuno inæqualis, ratione secundi, nam aliter est affectus in locis montuosis, aliter in planis, in maritimis, in locis septentrionalibus, orientalibus, occidentalibus, & australibus, aliter in paludosis, sulphureis, aluminosis, cretaceis, & c. ratione tertij, nam cæli constitutiones quandoque tantam vim habent, vt innumeris modis nostra corpora afficiant, quæ cęli constitutiones oriuntur ex qualitate ventorum diutius perflantium, vel ex pluuiarum copia, & inopia, de quibus Hip. in epid. & libro 3. Aph. fere per totum. *Aer quomodo nos alterat.* De motu, & quiete adhuc probatur, nam inquit Gal. 3. art. med. 5. vtraque si modum excesserint, vel calefaciunt, vel exiccant, vel humectant vel refrigerant corpus. *Motus, & quies.* Notum enim est ex Philosophorum, & Medicorum decretis, motum præsertim immodicum calefacere, vt ob id lib. 2. cæli 42. & lib. 1. metheor. cap. 3. & 5. part. probl. 9. dixerit motum esse causam caloris, è contra quietem, & libro de dignot. & med. renum c. 7. dicebat per motum corpus incalescere, spiritus etiam citatiores, & tenuiores fieri ad motum, potest etiam per accidens humectare corpus cum fluat ratione motus multa copia sanguinis ad aliquam partem, illa pars humectatur, è contra quies, & otium est refligerationis causa, extinguitur enim calor, crudi, & pituitosi humores generantur. De somno, & vigilia adhuc manifestum fiat quàm breuissime, nam calor natiuus influens diuersimodè nos alterat vigilando, & dormiendo, per somnum enim concentratur ad viscera calor, & ibi roboratur, quare partes internæ validiores fiunt, è contra vigilia, & sic ab his modò corpus calefit, modò refrigeratur. *Somnus, & vigilia.* De cibo, & potu adeo clarum est, vt longiori oratione si probaretur obscura fieret oratio nostra, cum hoc clare experientia, & auctoritate Galen. sexcentis in locis pateat. *Cibus, & potus.* De animi patematibus idem ostẽditur, nam videmus alterari corpora nostra, cum calor modò intra modò foras se recipiat, in gaudio foras, in mæstitia intro. *Animi perturbationes.* Idem etiam de excretis, & retentis clarissimum est, quare ex his patet, incessanter corpora alterari ab his rebus non naturalibus. Vt ex his veniat irridendus Philosophus ille, de quo Gal. meminit libro de Marcore cap. 2. & libro 1. de senita. tuend. cap. 12. qui Galen. sæculo librum περὶ τῆς ἀγηρασίας, idest insenescentia, seu ἀγήρατος conscripsit, in quo, quo nam quis modo possit senij expers perpetuo permanere ostendit, vnde homines immortales facturum esse pollicebatur. *Irridendus est ille philosophus, qui homines immortales facturum pollicitabatur.*

Verum aperta insania est, & satis per belle in illum apophtegmatisat Galen. nam minimè eius reprehendi poterat pollicitatio, cum illi Philosopho prius moriendum erat, quam quos suscepisset pueros, viri euasissent, vnde ad extremam senecturem post quam deuenit Philosophus faciem hypocraticam habebat, & à cunctis irridebatur.

In hoc tamen loco vt obiter dicatur non possum non magnopere admirari Galenum, cum in calce capitis secundi libri de marcore scripserit, mortem, & senium accidere experientia esse nulla duce demonstratiua ratione, verum eos, quos citat de demonstratione libros, in hac materia desiderarem, in qua præceptore indigerem quomodo Gal. alioquin acutissimus Philosophus illa notanda verba nunc supra iacta pronunciauerit, sed hæc hactenus.

De Aere eius necessitate, bonitate, malitia, et quomodo putrescat.

Theorema III.



NOn me latet aerem, nec non somnum, & vigiliam, motum, & quietem ex quorundam sententia esse reponenda in numero rerum naturalium, cum aer elemẽtorum vnum sit, corporis nostri fabricam ingrediens, somnus verò & vigilia, motus, & quies sint actiones facultatis animalis, actio autem in numero rerum naturalium constituta est. Verùm, & si ita res habeat, tamen quatenus hæc dicta entia corpus alterare valent, ac sanitatem corrumpere, si sinistrè ijs vtamur, nominari quidem ea ratione possunt res non naturales, & secundum hanc considerationem in præsentiarum de aere, nec non de alijs verba faciemus. De aere igitur tamquam re non naturali loquens omniscius Gal. lib. 1. epid. com. 1. in principio dixit, si immoderatius hic aer nos ambiens calefiat, frigefiat, humectetur, aut exigetur, corporis symmetriam, in qua sanitas consistit, confundit, interturbat, quinimò nos addimus ex hoc aere varijs modis affecto, nunc magis, nunc minus alterato, nũc magis, nunc minus corrupto, fieri morbos epidemiales, pestes, varidas, & morbillos, & endemiales, & c. ab hoc igitur aere priusquam de cæteris quinque rebus non naturalibus exordium sumatur, cuius tanta est necessitas, vt dixerit Hip. libro de flatibus, ipsum esse solum vitæ, & morborum auctorem, & ab omnibus alijs abstinere se posse hominem, neque cibum sumere, neque potum, potest per duos, vel tres dies, & vel plures, tamen si inspirato aere intercipiatur, ne minimum quidem temporis durare potest, quod etiam confirmauit doctissimus Gal. libro 5. de loc. affec. cap. 1. est enim necessarius aer, tum ob spirituum & natiui caloris refrigerationem, tum ob expulsionem fumidi, & fuliginosi excrementi, quæ quidem inspirantibus, & expirantibus mira facilitate assequimur. Sed statim interrogabit nos medicinæ thyrunculus, quis nam erit bonus, & laudabilis aer? Respondetur esse serenum, clarum, ad orientem versum, à sole illustratum, non multum ventilatum, non turbidum, crassum, vaporosum, longinquum ab oleribus putridis, non tenebrosum, & opacum, non densum, neque ex profundo specu emissum, neque nocturnum, vbi non adsint paludes, aquæ mortuę, & stagnantes, cauernæ, latrinæ, cadauera, sterquilinia, foueæ, stagna, & pulueres, & lutum, atque debere cito calefieri, & cito refrigerari, non nimis calidum, nam corpora dissolueret, & lassa faceret, nec nimis frigidum, nam hic ventriculi calorem extinguit, nec nimis humidum, nam corpus valde humectaret, nec valde siccum, nam denigraret corpus, & cutim, non crassum, & obscurum, nam hi aeres humores confundunt, & spiritus crassos, & turbidos generant, non nebulosum, seu fumosum cuiusmodi est præcipuè cælum Vritanum propè meum oppidum, nec vicinum fontibus, vbi linum, & huiusmodi macerantur, nec crassum, & humidum, vt est Romanus aer ex Cælio Aureliano ex Asclepiade libro 2. cap. 10. & Galen. libro 1. epid. comm. 2. tex. 25. & libro de temp. morb. cap. 8. quibus in locis dicebat Romæ familiarissimas esse febres semitertianas, vt ob id etiam dixerit Plutarchus in suis problematis, Templum Asculapij idcircò extra vrbem Romam ædificatum fuisse, quod ibi maior salubritas, quàm in Vrbe, & ob id Prisci illi Romani ad villas commeabant, qui mos etiam vsque ad hodierna tempora perdurat, villæ enim aer vitam satis prorogat, corpus lætificat iuxta illud Horatij.

Aeris mira necessitas est, & vtilitas.

Quis nam est aer laudabilis.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

E contra aer ciuitatum, nam veluti rus alimenta vrbi subministrat, quæ illa consumit, ita humana vita in rure propagatur, in vrbe verò negotiorum mole, sęxcentisque animi perturbationibus minuitur. Laudabilis ergo aer debet esse Serenus, clarus, ad orientem versus à sole illustratus, non multum ventilatus, non turbidus, vaporosus, longinquus ab oleribus putridis, animalibus mortuis, leguminibus, aut fimo, & à prauis arboribus, à cadaueribus, non infectus, non tenebrosus, & opacus non densus, nec à profundo specu emissus, non paludosus, neque nocturnus, cauernosus, stagnans, cito calfiat, & refrigeretur, non nimis calidus, frigidus, humidus, & siccus, non fumosus, crassus, & humidus, partem quarum conditionum hæc carmina continent,

Si cupis incolumen vitam producere, cælum
Effuge corruptum nebulis, nidore, lacunis,
Quodque mouet madidus morbosis Africus auris,
Purum ama, & ad solem nascentem, & lumine apricum,
Purgatum Euro, & Boreali frigore tersum.

Sed

Sed quomodo poteſt hic aer cognoſci quando plus minus laudabilis eſt, & quãdo in aliquam labem declinat? Poſſunt eſſe non nullæ coniecturæ aeris exceſſuum, ſi quis enim nocte ſerena ſub diu ſpongiam bene expreſſam poſuerit, & mane ſicca reperietur, tunc ſiccus erit dijudicandus aer ille, è contra, ſi humidus, humida reperietur, & ſi panem recentem quis poſuerit ſub diu, deinde aliquis mucor obſeruabitur, tunc aerem corruptum eſſe iudicabis. Sed dices quomodo, & quando aer putreſcit, & alteratur in tota ſubſtantia?

Quomodo cognoſcitur aer laudabilis.

Quomodo aer putreſcat.

Reſpondetur breuiter, nam hic eſſet ſatis ſpatioſus diſputandi campus, tunc dici aerem putreſcere, & alterari in tota ſubſtantia, quando ipſi peregrinæ materiæ immiſcentur, tetri, & mali vapores, & exhalationes, & tunc aer alteratur in tota ſubſtantia, quando nõ eſt purus, vt ille aer, qui ſtagnorum, & paludum halitu eſt perturbatus, qui ex cloacis, vel ex aliquo ſpecu peſtilentem auram inſpirat, & tandem omnibus modis ſupradictis. Illud tamen hic eſt animaduerſione dignum, hanc aeris putredinem, ſeu in tota ſubſtantia alterationem non eſſe veram putredinem, nam hæc perfecti miſti eſt, ſed eſſe, & dici putredinem κατὰ μέρος, ideſt ſecundum partem, & in hunc ſenſum locutus eſt diuinus Ariſt. libro 4. metheo. tex. 5. quando dixit omnia elementa putreſcere excepto igne, nam & terra putreſcit, & aqua, & aer, quandoquidem materia ignis hæc ſunt omnia, quæ omnia ex Ariſt. loco citato ex parte interire dicuntur, nam non omnino intereunt, ſed à natura ſua, & conſtitutione recedunt, ac alterantur, poſſuntque etiam interdum ad illam reduci. Sic aer, & aqua, & terra cum à naturali ſui conſtitutione recedunt ex parte interire dici poſſunt, quod quidem contingit cum putreſcunt, ſeu in tota ſubſtantia alterantur. Non enim omnino aut aqua, aut aer, & terra eſſe deſinunt cum à natura, & qualitate ſua recedunt. Hoc igitur modo omnia putreſcere dixit Ariſt. vno excepto igne, cuius calor à re nulla exteriori vinci poteſt, niſi tamen extinguatur, non ergo à natura ſua ignis hoc modo recedit, quare non putreſcit. Nam cætera omnia ab igne vinci poſſunt, & ob id dixit Ariſt. loco citato omnium eſſe ignis materiam. Hæc autem putredo iſtorum elementorum eſt quodammodo diuerſa à naturali miſtorum putredine, vt recte aduertit Franciſcus Vico Mercatus libro 4. metheor.

Nota diligenter.

Hoc etiam modo, vt ſupra diximus putreſcunt humores noſtri corporis, nam ex parte intereunt, cum poſſint ab illo interitu, & putredine liberari, ſi cito, & opportuna remedia adhibeantur. Sed obijcies ex Ariſt. 25. part. probl. probl. 20. vbi inquit aquam, & terram putreſcere, non autem ignem, & aerem, cuius oppoſitum dixit libro 4. metheor. & nos ſupra confirmauimus. Dicendum loqui in problematibus de aere tertiæ regionis, qui igni aſſimilatur, & hoc in illis verbis Ariſt. (Aer autem quia igne refertus eſt non putret) libro 4. verò metheor. loquitur de aere noſtrate, ſic cum Conciliatore in problematibus ſentiendum.

Humores noſtri corporis quomodo putreſcunt.

Obiectio.

Reſponſio.

De fame quid ſit, deque eius obiecto.

Theorema IIII.



ANtequam ad aliud caput rerum non naturalium accedamus ſcilicet ad cibum, & potum, non nulla prius de fame, & ſiti dicendis valde conducentia in medium afferamus. De fame igitur prius quid ſit, deque eius obiecto, & c. diſputabitur. De hoc igitur argumento conſcripturi ne latum quidem vnguem à ſententia Platonis, Ariſtot. & Gal. recedemus, ſicuti nos ſemper facere conſueuimus. Vt igitur ad rem accedamus, antequam ad famis eſſentiam perueniamus, non nulla prius tamquam fundamenta ſunt ſtabilienda ex Ariſt. & ex rei natura deprompta, quæ nullus ſanæ mentis Philoſophus negare, vel auderet, vel poſſet. Dicebat Ariſt. libro 2. de anima tex. 28. famem eſſe appetitum calidi, & ſicci, è contra ſitim, vnde appetitus in hac finitione ſe habet loco generis, calidi, & ſicci, loco differentiarum, omnis enim diffinitio ex genere, & differentia conſtet oportet ex Topicis. Verum cum appetitus ſit multiplex, eſt enim perfectiſſimus appetitus, qui voluntas vocitatur, tantum ratione præditis inexiſtens, alius eſt appetitus medius, qui dicitur appetitus vindictæ, & ira ab Ariſtotel. dicitur, quæ non niſi animalibus perfectis reperitur, alius eſt appetitus infimus, & hic concupiſcentia, ſeu deſiderium quodam vocatur, & hunc Ariſt. intellixit duobus prioribus derelictis. Illud etiam ſecundo ſciendum appetitum in Ariſt. diffinitione non ſignificare potentiam appetentem, ſed actum ipſum appetendi, qui non niſi propenſio, & inclinatio quædam eſt potentiæ apprehenſionem inſequens, & cum quadam cognitione coniunctus, qui animalis appetitus appellatur, ab appetitu naturali longe diſtinctus, qui plantis, & rebus inanimatis, etiam ipſi materiæ primæ conueniens eſt ex libro primo phyſ. 81. qui naturalis appetitus eſt abſque cognitione, & dicitur naturalis quædam propenſio in proprium finem, propriamque perfectionem. Notandum tertio loco eſt ex Ariſt. libro 2. de anima, tex. 27. & 29. quod habentia ſenſum tactus, neceſſario habent ſenſum alimenti, & per conſequens concupiſcentiam calidi, & ſicci, quæ fames eſt, & frigidi, & humidi, quæ ſitis eſt, quare ſi ſenſus tactus adeſt, neceſſario, & appetitus, nam habentia tactum perſentiunt delectationem, & moleſtiam, ſeu triſtitiam, & vt cum Ariſt. terminis loquar delectabile, & contriſtabile, & ratio Ariſt. fundatur in rei natura, nam alimentum conſiſtit in calidis, frigidis, humidis, & ſiccis, nutrimur enim ex quibus conſtamus, ergo ſenſum horum habentia, ſcilicet calidi, humidi, frigidi, & ſicci ſenſum tactus habent, quia propriè hæ qualitates ad tactum pertinent, ergo habentia tactum, ſenſum alimenti habent, & ſi habent ſenſum alimenti per ipſum cognoſcere poterunt quando adeſt alimentum, & quando eodem orbantur, ſcilicet calido, humido, frigido, & ſicco ſibi neceſſarijs, priuatio autem horum nihil aliud eſt quam fames, & ſitis, qui calido, & ſicco priuantur, famelici ſtatim fiunt, qui frigido, & humido ſitibundi.

Appetitus multiplex.

His

His sic habitis proprius ad famis essentiam accedamus, appetentia igitur est fames, quæ appeten tia prouenit ex resolutione calidi, & sicci, ly tamen siccum, & calidum non accipitur pro sicco quod contra distinguitur omnino ab humido, sed pro humido magis consistenti, & solidiori eo quidem humido quod ponitur in diffinitione sitis, quod quidem est magis fluxile, & roridum, sicut enim minus album respectu magis albi nigrum quodammodo dici potest, sic etiam minus humidum, siccum quodammodo dicitur. Est itaque fames appetitus calidi, & sicci, omnis autem appetitus ratione indigentiæ contingit, appetit animal restaurare, quod ei resolutum, & deperditum est, puta calidum, & humidum, hoc reparare non potest nisi eorumdem apprehensione; cum viuentia cuncta nutriantur ex eisdem, ex quibus constare dicuntur, fames ergo, quæ in nobis fit, & animalibus omnibus appetitus est instaurandi quod exinanitum est, id est calidum, siccum, frigidum, & humidum, igitur eorumdem erit appetitus, quibus assumptis, ingestis, & deuoratis ventriculus, cæteræq; partes omnium animalium instaurantur, & conseruantur, vnde sequitur famem, & sitim etiam ad sensum tactus pertinere, cum sit fames appetitus calidi, & sicci, quæ iuditio sensus tactus subijciuntur, ergo ad ipsum pertinet alimentum percipere, & etiam eiusdem alimenti priuationem. In his itaque consistit tota famis essentia secundum Arist. placida.

Fames quid.

Verum vt magis ad viuum res resecetur, & vt exactior, & numeris omnibus absoluta magis appareat famis natura, nos illam sic diffiniemus, Fames est appetitus substantiæ calidæ, & siccæ, aptæ nutritioni in ore ventriculi, prodiens ex tristi sensatione, vt partes viuentis restaurentur. In hac finitione omnia quatuor causarum genera conspiciuntur, quæ admodum esse necessaria dixit Arist. libro 1. de anima tex. 15. scilicet materiam, formam, finem, & efficientem, Adest primò forma, scilicet appetitus, qui genus est in hac diffinitione. Adest materia, & subiectum; & est os ventriculi, Adest causa efficiens, & est tristis illa sensatio, seu vt inquit Gal. suctionis sensus, finalis causa est, vt scilicet partes viuentis restaurentur. Aristoteles autem in rei veritate tantùm genus, & differentias in diffinitione tetigit, vnde tantum formalem potius attulisse videtur diffinitionem, & hoc, arbitror, non ob aliud nisi, quia hoc ei tantum sufficiebat ad demonstrandum scilicet illam propositionem, quod vbi est sensus ibi est appetitus, reliquas verò partes exactioris diffinitionis, vel tanquam suo proposito nō deseruientes, vel breuitatis gratia omisit, & in tex. 29. libri 2. de anima Arist. innuit (exactius autem de his posterius est) quasi se excusare voluerit per hæc verba, si omiserit materialem, finalem, & efficientem causam. Ab hac famis diffinitione sic à nobis explicata non multum recessit diuinus Plato in libro 10. Philebo, vel de summo bono, vbi dixit famem esse concupiscentiam alimenti, noluit enim addere calidi, & sicci, nam hæc apud ipsum hyeme, & æstate variabantur: & si aliquantulum confusa videatur hæc diffinitio parum refert, sat enim est auctoribus, & inuentoribus rerum, vt prima semina, & rudimenta iaceant, ex quibus deinde nos exactius philosophari poterimus, multas enim gratias esse habendas rerum inuentoribus libro 1. metaphy. confitebatur Aristo. Plato namque obiectum aliquantulum remotum considerauit, scilicet alimentum, Aristot. autem considerauit rationes, seu conditiones ipsius alimenti, quæ ratio proxime disponit, & per hanc sensus tactus excitatur, idque calor, frigus, humor, & siccitas est. Galenus etiam libro 1. de sympt. cau. cap. 7. nec etiam ab hac diffinitione supra iacta discordat, namque ipse voluit potius modum productionis famis docere, quàm causam formalem, quam Arist. docuit, Vnde famem definiens dixit esse sensum suctionis, inanitionisque in ore ventriculi, pro qua quinque fore necessaria sese ordine quodam consequentia dixit, primum, inanitio, secundum, naturalis appetentia partium, tertium ventris suctio, quartum suctionis sensus, quintum animalis appetentia. Verum, vt crediderim, Gal. respexit ad causam, & modum generationis famis, reliqua ex Arist. breuitatis gratia suscipiens. Nec ob id est Gal. increpandus, quia posuit loco generis sensum suctionis, nam non erat famis exacta diffinitio, sed tantum per efficientem causam tradita, & ly sensus suctionis tenet locum generis in diffinitione Gal. quem locum habere potest diffinitio causalis, veluti quando dicitur ab Arist. libro 1. de anima, ita est appetitus vindictę, idest ita est propter appetitum, ita à pari fames est sensus suctionis, idest fames fit propter sensum suctionis, quare Gal. dereliquit verum genus, & formam famis, At si liceat citra adulationem loqui Gal. esset laude maxima dignus, cum modum generationis famis explicasset, quem Arist. subticuit, non dixerim, quod ignorarit.

Plato non recedit ab Arist. diffinitione.

Galenus etiam non est à nobis remotus.

Quinque sunt necessaria ex Galeno in fame.

Quid alij senserint.

Arguunt nonnulli aduersus supradictam famis diffinitionem multis vijs, ac medijs, & primo arguitur aduersus supradicta præsertim circa fundamentum famis scilicet, vbicunque reperitur sensus tactus, ibi fames, eo, quod tactus est sensus alimenti, tunc contra, nam ille sensus dicitur alimenti, quo iudicatur, & discernitur alimentum, at sensus gustus est talis, & non tactus, gustui ergo tale munus ad scribendum, minor probatur, nam quandocunque contingit, vt congruens alimentum nobis, vel vtile dijudicemus, gustu profectò talia comprehendimus.

Secundo ex Arist. libro de sens. cap. 1. vbi inquit, gustus, & tactus omnia animalia necessario insequuntur, tactus quidem propter dictam causam, gustus verò propter alimentum, iucundum enim discernit ipse, & molestum circa escam, ita, vt hoc quidem fugiat, illud autem prosequatur, & omnino superest gustatiuæ partis affectio.

Tertio ex Arist. in libro 3. de anima in fine, vbi habet, necesse esse solum tactum habere animalia, alios verò sensus ad bene esse, vt visum, quia in aere, & in aqua, vt videat, gustum autem propter iucundum, atque molestum, vt sentiat id, quod in alimento, & concupiscat, & moueatur, in quibus verbis luce meridiana clarius patet, gustum esse sensum alimenti, & concupiscentiæ famis.

Quarto ille sensus est alimenti, cuius obiectum in quantum tale nutrit, sed obiectum sensus gustus in quantum tale nutrit, obiectum sensus tactus non est huiusmodi, gustus igitur, & non tactus

dici

dici debet alimenti ſenſus, minor patet ex Ariſt. libro de ſenſ. & ſenſ. cap. de ſapore. Senſibilium, inquit, tangibilia, vt calidum, aut frigidum, augumentum, & decrementum faciunt, guſtabilia verò ſecundum quod talia nutriunt, & rationem reddens ſubdit, omnia enim nutriuntur dulci, vel ſimpliciter, vel miſtim, quare manifeſtum eſt, alimenti ſenſum guſtum nuncupari, non tactum.

Quinto ex libro 1. de gen. & corrupt. 41. & libro 2. de anima 47. id quo immediate nutrimur eſt ſubſtantia, alimentum enim ſubdit, vt ſubſtantia nutrit, vt quantum auget, ergo ſenſus tactus, non poteſt dici ſenſus alimenti, ex eo quod, ſenſus circa ſubſtantiam non ſe profundat.

Sexto ſi ſenſus tactus eſſet alimenti ſenſus, plantæ cum nutriantur, & alimento vtantur neceſſario præditæ ſenſu tactus eſſent, & quod magis vrget ſenſus guſtus eſſet eis condonandus, cum dicat in eodem cap. de ſapore commune eſſe omnibus animalibus, & plantis dulci alimento vti, ſed ſenſum aliquem tribuere plantis abſonum eſt, non bene igitur à nobis cum Ariſt. dictum eſt, ſenſum alimenti eſſe ſenſum tactus.

Septimo circa obiecta famis ſic arguitur, nam non videtur fames eſſe appetitus calidi, & ſicci, & ſitis frigidi, & humidi, cum videamus in cibis eſſe has quatuor qualitates, qui cibi poſſunt conuerti in ſubſtantiam, & reſtaurare, ergo cibi ſubminiſtrant omnes quatuor qualitates, potus vero fortaſſis concurrit, vt reddat faciliorem coctionem, vt cibus commodius elixetur, & concoquatur, quinimò ſolo vino quidam aluntur, quod ad potum pertinet, ergo videtur, ſolum potum omnes qualitates ſubminiſtrare.

Octauò circa eadem obiecta arguitur, ſi verum eſſet, quod fames habeat pro obiecto ſiccum, & calidum, & ſitis frigidum & humidum, tunc aliquis ſimul eſſet famelicus, & ſitibundus, quod videtur repugnare, eo quod contrarijs indiget ſimul, & ſemel veluti quis ſimul, & ſemel non debet triſtari, & delectari, ſi contraria ſimul eſſe non poſſunt, vt Alex. Aphrodiſæus libro 1. quæſtio. natur. quæſt. 12.

Nonò, & vltimò, nam dictum fuit in ore ventriculi fieri famem, tunc contra, nam ſi vera ſunt, quæ ſupra diximus ex mente Philoſophi, quod vbi ſenſus alimenti ibi fames, ſed ſenſus alimenti eſt tactus, qui eſt in ſingulis corporis partibus, ergo fames etiam in ſingulis corporis partibus, igitur non in ore ventriculi.

Cæterum his non obſtantibus ſunt hæc argumenta diſſoluenda, ſi prius quatuor breuiter adnotentur, quæ in nutritione ſemper, & neceſſario requiruntur.

Quatuor ſunt neceſſaria in nutritione.

Primum eſt, quod proximè, & propriè nutrit, & reſtaurat reſolutum, id ſubſtantia eſt ex Ariſt. lib. 1. de gen. & corrupt. & lib. 2. de anima.

Secundum eſt, quod proximè diſponit, & hoc temperamentum eſt ex quatuor qualitatibus, quod vario modo ſe habens, excitat in animali deſiderium, quod verè nuncupatur fames, & ſitis.

Tertium eſt, id quod indicat proficuam, familiarem, exactamque nobis alimenti temperiem, & hoc proprie dicitur amicum, vel delectabile, quia ſignum optimi temperamenti, & in ſymmetria conſtituti caloris index eſt.

Quartum, quod in nutritione requiritur ipſamet anima, quæ effectrix cauſa dicitur in triplici genere cauſæ, concurrit etiam, & calor natiuus, qui cum cauſa, & inſtrumentum dicitur nutritionis.

Reſpõſiones argumentorum.

His aſſumptis, ad primum reſpondetur, nil aliud, velle dicere Ariſt. niſi guſtum eſſe ſenſum indicatiuum alimenti, vt dictum eſt in tertio annotato, ſapor enim vt talis, eſt veluti oblectamentum guſtus, & indicatiuum temperati alimenti, nec tollitur propterea tactum eſſe ſenſum alimenti, vt in ſecundo adnotato diximus.

Eadem reſponſione, & ſecundum, & tertium argumentum euacuantur.

Ad quartum propterea reſpondeatur negando minorem, & ad probationem dicatur, calidum, & frigidum ibi ſumi non vt ſe tenent ex parte alimenti, ſed ex parte cauſæ effectricis, ſeu concauſæ, dictum enim eſt in quarto adnotato, animam eſſe cauſam efficientem principem, calorem autem concauſam, & inſtrumentum, & de eo intelligitur, quod auget. Ad aliam partem authoritatis dico, vt ſupra, guſtabilia eſſe indicatiua optimi alimenti.

Ad quintum reſpondetur, quod proximè, & propriè nutrit ſubſtantia eſt, Ad id, quod dicitur ſenſum non ſe profundare circa ſubſtantiam, dico ſenſum non cognoſcere ſubſtantiam in abſtracto, concrete tamen cognoſcere, ſenſus enim cognoſcit dulce, album, non dulcedinem, & albedinem.

Ad ſextum reſpondetur multipliciter, primo ex Ariſt. in lib. 3. de anima, vbi diſputans plantis non ineſſe ſenſum, & reſpondet, quia non indigent, & aluntur manentibus in eodẽ loco, vnde nata ſunt. Secundo ſoluo per ea, quæ dicit Ariſt. libro 1. de anima, quod propter hoc oſſibus, capillis, & huiuſmodi partibus non ſentimus, quia terræ ſunt, & plantæ etiam ob hoc nullum ſenſum habent, ex eo quod terræ ſunt. Soluo, & tertio, quia plantis non eſt neceſſarius ſenſus cum ferè quo vis indifferenter nutriantur alimento, ipſiſque ſemper, & vbique præſto eſt, vel in maiori, vel in minori copia.

Ad ſeptimum eſt in cibo eſſe omnes quatuor qualitates ſimiliter, & in vino ſunt omnes qualitates, ſed quoniam Ariſtot. diffiniuit famem ſimiliter, & ſitim reſpexit ad id, quod in quolibet eſt præcipuum, & quod vnius cuiuſque eſt proprium, non negat ergo in eo, quod habet rationem cibi eſſe etiam alias qualitates, præter calidum, & ſiccum, ſed, potiſſimum eſſe iſtas duas veluti magis perſpicuas, & præcipuas, & ratio eſt, quia alimenti eſt, inſtaurare quod deperditum eſt, hoc autem eſt id, quo indigemus, ex indigentia naſcitur appetitus, appetitus idem non poteſt eſſe contrariorum, idem et appetitus non poteſt eſſe calidi, & frigidi, cum ergo pro reſtitutione requirantur qualitates contrariæ, & omnes ſint contrariæ non poſſunt ſimul pertinere ad vnum, & eundem appetitum, oportet ergo duos eſſe appetitus, quorum vnuſquiſque appetat vtriuſque contrarietatis partem vnam, duæ ſint contrarietates, fames calidi, & ſicci, ſitis frigidi, & humidi.

Ad octauum, idem poteſt eſſe famelicus, & ſitibundus; nam licet fames, & ſitis reſpiciant obiecta diuerſa, tamen ſi reſpiciamus ad præcipuum ſcopum vtriuſque videbimus nullam eſſe contra-

dictionem

dictionem, & vtranque posse simul esse, nam cum à nobis continuo fiat resolutio, deperditur simul calidum, & frigidum, humidum, & siccum, ex qua deperditione contingit exinanitio, reddimur inanes, & prouenit ariditas, ea propter nascitur in nobis appetitus hoc vtrumque reparandi, exinanitionem, scilicet, & ariditatem, quatenus cupimus exinanitionem reparare, nascitur fames, & propterea appetitus calidi, & sicci, ex altera parte quatenus ariditatem reparare volumus nascitur sitis, quia desideramus humorem.

Idem dici potest ad id quod dicit Aphrodisæus, nam famelicus, & sitibundus dum percipit cibum delectatur, dum indiget tristatur, hoc non respectu vnius, & eiusdem rei, & sic inconueniens non est iuditium in vna & eadem re esse contraria, respectu diuersorum, non enim quælibet delectatio est opposita cui vis tristitiæ, sed delectatio vnius rei est opposita tristitiæ respectu eiusdem rei.

Ad nonum, & vltimum respondetur, duplicem esse appetitum, naturalem alterum, animalem alterum, naturalis est sine cognitione, & est in singulis partibus ipsius corporis, & hoc appetitu plantę non sunt destitutæ, & fætum in vtero hunc appetitum naturalem habere autumamus per venam vmbilicalem nutrimentum assumentem, alter animalis appetitus est cum cognitione, & hic est in ore ventriculi tantum, & hoc experientia patet, præter Galeni authoritatem, nam in assumptione amari potus, & cibi, videmus regurgitare ventriculum, & respuere ipsum, & ad nauseam prouocari, idque non nisi, quia ille appetitus est in ore ventriculi cum cognitione, ergo naturalis appetitus est in singulis corporis partibus, in plantis &c. animalis tantum in ore ventriculi, modo ad puntum argumenti respondetur negando minorem, & ad probationem dicimus Arist. sententiam esse veram de subiecto adæquato, non autem de quacunque subiecti particula, hoc est in quocumque corpore est sensus alimenti, ibi est fames. At ne videatur temerè assignata solutio, reflecto argumentum dicens, vbicunque est anima rationalis, ibi est discursus, in pede est anima rationalis, ergo in pede discursus, quod sequitur profectò falsum, non ob aliud, nisi quia argumentandi modus procedit à toto ad partes seorsum acceptas, qui est modus inutilis, & non recipiendus, & hæc de fame dicta sufficiant.

De siti, quid sit.

Theorema V.



Reuibus complectemur habita notitia essentiæ famis, quid sit ipsa sitis. Est autem sitis appetitus fluentis, seu humidæ, & refrigerantis substantiæ ex exiccatione, & tristi sensatione in ore ventriculi facta, vt viuentis partes attemperentur. Omnia in hac diffinitione posita sunt valde clara ex supradictis de essentia famis. Illud tamen non est ignorandum in ore ventriculi esse duplex humidum, vnum est crassum, & substantificum, & aliud roridum, aquosum, exinanitione primi humidi, quod consistit magis in substantia calida, & sicca fit fames, ex inanitione secundi humidi fit sitis.

Sitis quid. *Duplex humidum.*

Obiectio. Dices, deberet prius, & semper præcedere sitis ipsi fami, nam calor naturalis primo consumere valet id, quod est aquosum, subtiles & tenue, & roridum, quàm crassum, & magis substantificum, quod tamen est contra experientiam, nam prius famescimus, deinde sitimus, & probatur sequela antecedentis, nam agens naturale, non impeditum prius agit in passum bene dispositum, quam è contra.

Responsio. Nisi esset quod in ore ventriculi continetur maior copia humidi, roridi, tenuis, & subtilis, quàm crassi, & quamuis semper consumit calor, tamen semper portiones remanent, & ideo non sequitur, quod prius sitiamus, quam famescamus. Objicies contra diffinitionem, nam sitis videtur produci à siccitate, & caliditate, cum ipsa sit appetitus frigidi, & humidi ex Arist. lib. 2. de anima 28. tunc contra, nam multa sunt animalia calida, & sicca, vt aues, scilicet accipitres, qui non sitiunt.

Argumēta contra sitis diffinitionem. *Solutiones.*

Secundò hydropici habent humiditatem multam, & tamen sitiunt, ergo sitis non prouenit ex supradictis causis.

Ad primum respondet Arist. libro 3. de part. animal. cap. 8. quod illæ aues ideo non sitiunt, quia habent pulmonem apertum, laxum, spongiosum, & valde proximum ori ventriculi, vnde inquit Arist. possunt attrahere multam aeris copiam, secundo dicimus, illas aues vti in earum escam carne, quæ humida est, & ideo sitis in ijs sopitur.

Ad secundum ideo sitiunt Hydropici, quia illa aqua in corporis spatijs contenta putrescit, & efferuescit, & nitrorem quemdam acquirit, vnde salsedinem adipiscitur, & sic fit maxima sitis, vt rectè dixerit Poeta de hydropicis loquendo.

Quo plus bibuntur, plus sitiuntur aquæ.

Veruntamen hæc sitis est præter naturam in his hydropicis, & prouenit ex authore Galen. libro 1. de simpl. med. fac. cap. 30. ex caliditate, & humiditate, in quo capite ponit caliditatem, & siccitatem causas sitis. Nos autem supra locuti fuimus de siti naturali, & illam diffiniuimus, quod sit appetitus rei frigidæ, & humidæ &c. Sed duæ aliæ insurgunt non contemnendæ difficultates.

Duæ dubitationes.

Prima, nam vinum, quod est calidum, quandoque extinguit sitim, ergo sitis non est appetitus frigidi, & humidi.

Secun-

Secunda, non videtur esse sitis in ore ventriculi, nam cum ardenti siti afficimur, lingua, vel ore aqua frigida aspersis cessat sitis, non ergo est necesse, vt os ventriculi abluatur. *Responsiones.*

Respondetur ad primam ex dictis in theoremate de fame, nam non negamus tàm in cibo, quam in potu esse omnes qualitates, sed nos cum Arist. respicimus ad id, quod in vtroque perspicuum est, de vino tamen dicimus, quod ratione humiditatis extinguit sitim, & ratione actualis frigiditatis, nam per illud tempus videtur oblectare os ventriculi, cum potius vini potio famem illam præter naturam caninam soluat iuxta 21. Aph. 2. part. famem torexis soluit.

Ad secundam dicimus non extingui totaliter sitim aquæ gelidæ portione inspersa in lingua, sed per aliquod temporis spatium, & ideo sedat aliquantulum, quia fluit aliqualis humiditas ad os ventriculi. Sed antequam finem dicendi huic theoremati faciamus, duo, vel tria curiosa problemata discutientur. *Tria problemata circa naturam sitis.*

Primum vnde est, quod qui valde timent, vt qui sunt tormenta adituri valde sitiunt, cum potius sitire viderentur cum per timorē refrigerentur? Respondetur cum Arist. 27. part. probl. 2. quia non eodem loco refrigerantur, & calent, cum per corporis superficiem refrigerentur, quia remanent de pauperatæ partes externæ ob caloris recessum ad principes, & internas partes, vnde calfiunt & exic cantur internæ, quo fit, vt eandem passionem os ventriculi patiatur, & sic sitiunt.

Secundum cur potest minus tolerari sitis, quàm fames? respondeo cum Arist. 28. part. probl. probl. 5. nam calidus animalis amplius indiget humido, quàm sicco. Vita enim, eiusque conseruatio fit per humidum cum calido, non autem per siccum ex eodem Arist. libro de long. & breu. vitæ, mitto alias duas responsiones, quas ibi Arist. affert.

Tertium problema est, an super ficus recentes vinum, an aquam aibere debemus nobis tamen sitientibus? Respondetur cum Arist. 22. part. probl. probl. 8. vel vinum purum, vel aquam esse superbibendam. Verum hæc doctrina explicatione indiget, si stomachus sub frigidus est ficus deuorantium, tunc parum vini meri potius exhiberem, quod esset gratia medicamenti, vt malitiam eorum, & flatus refrangat, sunt enim ficus recentes flatuosi ex Galen. libro 2. de alim. fac. cap. 8. & 26. quare parum vini conducit bibere, maxime in stomachis frigidis, si verò stomachus calidus est, tunc melius est aquam superbibere, communius tamen est, inquit Conciliaror, in illo probl. aquam superbibere. Videndus tamen idem Conciliator diff. 122. vbi ex professo hanc materiam tractat, & Antonius Gazius in sua florida cap. 117. & Author thesauri sanitatis. Sed hic esto finis præsenti theoremati. *An super ficus ruentes aquam, an vinum bibere debeamus.*

De cibo, et potu.

Theorema VI.



QVantæ necessitatis sit cibus hominibus, & animantibus cunctis iam supra sufficienter, arbitror, est probatum, quid verò nunc sit, & quotuplex cibus, & potus differamus, si prius illud dixerimus, ciborum superfluitatem cane peius, & angue esse fugiendam. Rectè nanque dicebat Plinius libr. 15. cap. penultimo, simplicem cibum homini esse vtilissimum, aceruationem verò saporum esse pestiferam, & condimen ta perniciosiora, & Diuus Lucas, si licet prophanis sacra immiscere cap. 21. crapulam, & ebrietatem esse fugiendas pręcepit. Ad naturam igitur ciborum accedentes dicamus, siue vocetur cibus, siue alimentum (hoc enim parum refert) ex Galen. 2. de simpl. med. fac. cap. 1. & libro 5. de simpl. med. fac. cap. 1. & hac vocatur substantia ingesta in corpus nostrum, à natiuo calore alterata, ad differentiam veneni, & medicamentotum, tria, namque locis citatis ponit sapientissimus Gal. scilicet cibum, medicamentum, & venenum, quamuis ad duo possint reduci, cibus auget substantiam nostri caloris alterans ipsum, verum vincitur, & superatur ab eo, nam in nutriti, seu aliti naturam conuertitur, medicamentum partim vincit, & partim vincitur, venenum est cibo oppositum, nam semper nostram naturam superat, atque pessundat, si verum sit venenum. Sed quotuplex est cibus, seu alimentum? Breuiter respondetur esse triplex ex Hip. libro de alimento, & Gal. sexcentis in locis, vt supra nos pluries diximus, vnum est verum alimentum, secundum, & quasi alimentum est sangnis, futurum alimentum sunt cibi. Possunt etiam ciborum, seu alimentorum differentiæ desumi à quamplurimis fontibus, de quibus Gal. in tribus de alimen. fac. libris sufficientissime pertractauit, namque à seminibus, vt cibus ex pane, legumina, &c. de quibus in primo libro, scilicet de differentijs ciborum à seminibus, sumuntur ab arboribus, & fructibus, de quibus Gal. in 2. libro. Sumuntur differentiæ ciborum ab animalibus, de quibus in tertio. Aliæ sumuntur differeutiæ ex modo, nam alij cibi nutriūt multum, & bene, & quam cito, vt oua sorbilia, testes gallinacei, vinum, panis &c. Sed de pane insurgit pulchra, & curiosa dubitatio, antequam vlterius procedamus, quomodo scilicet intelligatur illud effatum commune scilicet, omnis repletio mala, panis autem pessima. Non nulli ad hoc respondent, dicentes, ideo esse pessimam, quia panis male nutrit. Sed non videtur esse responsio sana, nam panis bene nutrit, & est nobis alimentum valde familiare, ac nostræ naturæ amicum. Aliter ergo dicendum, Equidem diu rem hanc considerans, memini me quandoque legisse apud Hip. & Gal. Hipp. libro de inter. affec. & Gal. 6. de loc. affec. 6. vbi de feminis symptomatibus pertractatur, inquiunt semen esse rem nobilissimam in corpore nostro, spiritibus multis refertam, quæ inquit Gal. si corruptionem aliquando susceperit immanissima, & sæuissima concitat symptomata, de quibus fusè Galen. & nos hoc idem quotidie obseruamus in monialibus, & viduis &c. ita de pane æqua lance philosophandum, nam, cum sit alimentum excellens, præstans, & optimum,

Triplex alimentum,

De pane curiosa petitio.

Impugnatur responsio.

Corruptio optimi pessima. optimum, si corrumpatur, vt sæpe sæpius in nimijs repletionibus accidisse notum est, malam qualitatem acquirit, ac pessimus euadit, & ob id commune effatum, inquit, omnis repletio mala, plenis autem pessima, nam corruptio optimi pessima dijudicatur. Hæc obiter in mentem venerunt, fortassis aliàs meliora occurrent. Sed ad rem redeamus, alij cibi parum, & male nutriunt, vt olera ex libr. 2. de alim. fac. cap. 39. & 40. alij bene, sed parum, vt ptisana, & ficedula, de qua Poeta.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Quæ sunt facilioris coctionis debent præcedere. Alij multum nutriunt, sed male. vt caro porcina ex libro 7. meth. med. cap. 6. alij sunt calidi, alij frigidi, alij humidi, alij sicci, alij tenues, alij densi, alij lubrici, alij adstringentes, alij in vno, alij in alio tempore comeduntur, quæ enim sunt facilioris coctionis, & digestionis debent præcedere ex Gal. libro 3. de symp. cap. 1. & libro 2. de alim. fac. cap. de persicis, & libro 3. de ratione victus in morbis acutis 22. vbi perpetuò dicebat esse ingerenda, quæ & facilius corrumpuntur, & quæ subducuntur magis, posterius verò cõtraria, & Aœtius hanc vniuersalem regulam esse dicebat serm. 1. cap. de malo persica, hinc prius comedi debent ficus, cerasæ, & lac recens, & c. huiusinodi. Mitto hic quamplura, quæ habet Conciliator diff. 119. Sed obijcies, videtnr esse Galen. contrarius huic determinationi, libro scilicet de dissolutione continui, cibos inquiens tardæ, & duræ digestionis esse prius comedendos. Nisi esset hunc librum non esse Galenicum, sed spurium: hæc satis.

An diutius sine ci bo viuere naturaliter contingat.

Theorema VII.



NVlli dubium est miraculosè tùm in antiquis, tùm etiam in recentibus Sacrosanctæ scripturæ monumentis extitisse quamplures, qui quadraginta dies integros nil cibi, & potus degustarunt, vt primo Exodi 34. de Moise, 3. Regum. 14. de Helia, & de Domino nostro Iesu Christo Matthei 4. qui cum miraculosè hoc fecissent, non est cur in præsentiarum de ijs in hoc theoremate sermo longior fiat, hæc omnia concedentes, & admittentes, quinimò maiora his diuina ope fieri facilè posse autumamus, Dei enim potentia, Sanctus Chrysostomus inquit, homilia 13. in Matthęum, Moisem, & Heliam sine cibo fuere substentati, vel cum Diuo Augustino libro 1. de mirab. Sacræ scripturæ, Moisem dicimus diuini sermonis consortio fulsum, tamdiu exuriuisse. Iesus autem ex Sancto Anselmo in enarrationibus cap. 4. Matthæi intus habebat, quod eum substentabat, & si qui alij Sancti viri fuerint, vt de Beata Catherina Senensi, & de alijs legitur, hos omnes diuina ope fuisse adiutos credendum est, de quibus omnibus in præsentiarum sat sit. Nec etiam loquimur de illa cibi abstinentia, qua non nulli vsi sunt diabolica fraude ad multos dies, & menses, vt copiosè recitat Prosper Aquaticus libro de promissionibus, & prædictionibus, & Antonius Panormita de Antonio Picente impostore, & Æneas Syluius de Anna muliere. Hæc enim omnia dimittantur, tanquam naturæ leges superantia. Sed vt propriùs ad theorematis explicationem accedamus, dicẽdum præter miracula, fraudes diabolicas, & dolos, homines posse naturaliter viuere per plures dies, & hebdomadas sine cibo, & potu, de potu non est multum controuersum, an scilicet naturaliter contingat posse, vel potuisse aliquos sine illo viuere, nam præter quam, quod hoc in auibus quibusdam obseruatur, tamen Plinius lib. 7. cap. 18. testis est ea de re, & Raphael Volateranus in se ipso hoc est expertus. De cibo tamen oppositũ alij dixerunt, scilicet Marsilius Cagnatus Veronensis c. 7. de tue. san. scilicet ieiunium vltra diem septimum, vel ad summum decimum, vel duodecimũ diem non esse naturale. Verum nos oppositum defendimus, asserendo vt supra, homines naturaliter sine cibo viuere etiam ad hos dies, & plures, & ad hoc probandum afferrem sexcentas historias, nisi labor iste mihi demptus esset à Marcello Donato libro 2. de admirab. hist. med. cap. 12. qui authoritate multorum virorum, & multis historijs nititur comprobare, diutius, homines sine cibo vixisse, vt de illa muliere Coloniæ ab Alberto Magno libro 7. de animal. quæ viginti quandoque triginta dies sine cibo vixit, de Petro de Apono libro 10. part. probl. probl. vltimo in annalibus Regum Francorum de puella duodecim annorum, quæ decem menses vixit sine cibo. Videndus Laertius de vita philosophorum de Epimenide Philosopho, Carolus Clusius in historijs aromatum Indianis, Auicen. fen. 3. 1. cap. Sauonarola tract. 6. cap. 14. Franciscus Petrarcha libro 4. de mirabil. cap. 22. Beneuenius de abditis rerum causis cap. 18. Simon Portius Neapolitanus de puella germanica, quæ duos vixit annos sine cibo, Rondoletius in libro 5. Theophrasti de causis plantarum inquit, cuidam monacho quindecim diebus contigit, vt sine cibo viuat, & tandem Plinius libro 11. cap. vltimo recte dixit inediam septem dierum non esse lethalem, vt dicebat Hip. vitam hominis esse septem dierum.

De potu res est clara.

De cibo quid sentiendum.

Nec omnes prænarratæ historiæ diabolica fraude, vel dolo contingere potuere, vt Cagnatus inquit. Sed hæc dimittantur, & rem paulò altius repetamus.

Rationibus res agitur. Quæ ratio naturalis est in quibusdam animalibus, vt glyribus, Taxis, Marmotis, limacibus, & alijs animalibus, vt diutius sine cibo viuere possint, dicente Auerroe libro 2. de anima per sex menses in terra thesaurizare, eadem certè in quibusdam hominibus reperiri potest, nam quæ maior ratio in his, & in hominibus, cùm enim hæc animalia, quàm homines naturalem habent calorem, cui pabulum, seu alimentum opus est, ergo illa causa naturalis, quæ facit vt illa animalia irrationalia per menses sine cibo, & potu viuere possint, eadem potest esse in hominibus, saltem per hebdomadas, vel per aliquos menses in aliquibus.

Parum

Parum autem refert in hominibus adesse animam rationalem. Quare ridiculum non est, nec videri debuit hoc argumentum infirmum Cagnato, quinimo necessarium, & demonstratiuum. Idem etiam potest confirmari exemplo multarum plantarum, vt alij, cæparum, alois, Scyllæ, semper viui & c. quæ diutius à terra auulsa virescunt ab extrinseco à nullo alimentum sumentia. Parum autem refert, quod differant plantæ: ab homine, cum eædem causæ, eademque principia substentatiua, quæ sunt in his plantis, possint esse in hominibus, non tamen in omnibus, sed in quibusdam, quare hæc sunt argumenta ab experientia desumpta, summeque necessaria. Mitto nunc alia experimenta breuitatis gratia, quæ libro 1. theorematum, theoremate 9. legi possunt. Sed quæ nam est ista causa naturalis, vt tamdiu homines viuere possint sine cibis, & potibus. Certè fugienda est illorum responsio, tamquam Philosophorum auribus dissona, scilicet ab astris hæc posse prouenire, vt homines diutius viuant, quorum syderum nomina exquire prolixe ex Materno optimo temporum nostrorum Astronomo. Sed hac causa omissa ad eam, quæ magis ad particulare accedit descendamus. Ea igitur, inquam, vt Albertus loco citato, Iobertus in paradoxis, & Portius, est phlegma in totius corporis ambitu contentum, multum, & crassum, & calor debilis. Hinc venerandus senex Hip. lib. 1. Aph. 13. dixit, senes facilè ieiunium ferre, quare cùm possent, ac potuissent reperiri quidam homines, qui frigidi, & humidi, multisque crassis excrementis abundantes, frigido stomacho, tunc hi per multum tempus non appetunt, & hæc est ratio, quare illa superius dicta animalia diutius sine cibo viuere possunt, nā multo phlegmate, aut excrementis abundantes debili, ac imbecillo calore fruuntur. Idem etiam secundum proportionem de illis plantis venit philosophandum, nam propter earum humidum viscosum, crassum, excrementosum, diutius virescere possunt. Sic referunt extitisse puellam illam Germanicam, scilicet desidem, somnolentam, mitem, & taciturnam. His adde, homines hosce habere strictissimos poros, vt calor non ita facile dissoluatur, ac exhalet. Sed dices ex Hip. vita hominum est septem dierum, ergo. Respondetur Hipp. dictum vt plurimum, & magna ex parte esse intelligendum. Sed obijcies curiosius, illos homines, qui diu vixerunt aere esse nutritos. Respondetur nequaquam, nam elementa non nutriunt, vt theoremate 9. primi libri demonstrauimus, & si aer, quatenus non est simplex dicatur nutrire, non nutriet nisi spiritus, & non alias corporis partes, quare tamdiu viuere non potuissent homines illi supradicti, nam solidæ solido cibo indigent. Dices vltimo, contradictio est in dictis, namque si supra in altero theoremate fuit conclusum cibum esse valde necessarium homini, cur nunc sine cibis viuere homines posse demonstrauimus?

Cur tādiu homines sine cibo viuere possunt.

Impugnatur responsio quorundam.

Obiectio.

Responsio.

Alia obiectio diluitur.

Dubitatio.

Dicendum hoc theorema non derogare superiori, namque nos etiam volumus cibum esse necessarium hominibus, & quemadmodum lampadis flamma continuò consumit ea, quæ ei apponuntur propter sui conseruationem, sic & calor naturalis incessanter agit in membra, & corporis humiditates, & sicut deficiente oleo ipsa flamma moritur, ita est noster calor ex Auic. 3. part. c. 1. quod etiam confirmauit Gal. libro 5. de simpl. med. fac. & Arist. libro 2. de anima 48. & idem Gal. cap. 1. de alim. cap. 1. sine alimento non posse viuere, nec sanos, nec ægros, calor enim semper resoluit, ergo restauratore indigemus, tamen diximus hæc dicta Gal. & Arist. & Auic. esse secundum maiorem partem intelligenda, vel esse de alimento, seu cibo interno intelligenda. Nam quam uis homines, qui diu vixerunt sine cibo, cibum externum non assumpserunt, tamen habebat calor naturalis intus alimentum scilicet phlegma illud superius dictum. Non igirur est vlla contradictio, & hæc satis.

Solutio.

An melius salubriusque sit, sæpius in die, seu bis, an semel comedere, et an in epilepticis cæna debeat esset gracilior prandio.

Theorema VIII.



Qvemadmodum rectè dixisse arbitramur Auer. libro de insomnijs, scilicet verba famosa esse, vt plurimum vera, ita & à pari famosæ, & vulgares, & antiquæ obseruationes quandoque necessariæ sunt, & veræ. Quò factum est, vt veluti ex causa necesaria orta sit vulgaris consuetudo cibum eodem die bis capiendum, quod vt vulgare, & famosum, ita vtilius, verius, ac magis necesarium semper existimaui. Et primo certum est apud Philosophos, & Medicos generosos, & arte Hippocratica dignos, maximam esse vim istius consuetudinis. Quo circa cum nos ab ineunte ætate pluribus, & sæpe in die reficiamur, ergo prouectioribus existentibus sæpius in die comedere debemus, saltem bis in die. Namque si semel in die comedas, est necesse vt multum cibi asumas, quod onus, & torporem, & somnolentiam potius indncet corpori, quàm robur virium, præterquam, quod longa coctione indigebit, & diutius in corpore morabitur, qui semper noxam aliquam afferret.

Hoc obseruarunt antiqui, & præsertim Iudæi, Iudicum cap. 20. & secundo Regum cap. 1. & Tobiæ cap. 2. & 3. Esdræ cap. 3. & Lucæ 14. & Ioannis 13. & 20. vbi prandium, & cænam distinguebat. Hoc etiam in Græcorum, & Romanorum historijs legere est. Quinimo Græci non solum bis, sed ter, & plerunque quater in die comederant, nulla enim apud veteres illos Græcos, & præsertim tempore Hippocratis erat huius consuetudinis lex stabilita, nam multi bis, alij ter, quamplurimi semel in die comedebant, vt ob id rectè dixerit M. Antonius Moretus, quod etiam quater in die manducasse non erit absurdum. Vt ob id non multum Arabes laudare possim, qui ter biduo esse comedendum asseuerauerint, ita vt altero die bis, altero semel cibus sumatur ex Auic. tertia part. doc. 2.

Quater in die manducasse nō est absurdum inquit Muretus.

doc. 2. c. 7. & Auer. 2. super cantic. sed ex supradictis reijcienda est istorum sententia. Hanc theorematis veritatem docuit etiam Arist. qui in physicis quæst. vt refert Apollonius in mirabilibus historijs dixit eos, qui in die semel tantum cibis vescuntur amarulentioribus esse moribus, quàm eos, qui bis. Arist. ergo laudauit bis in die esse comedendum, quod etiam confirmauit Plinius libro 28. cap. 5. & Gal. 2. de ratione vic. in morbis acutis cap. 28. & Celsus libro 1. cap. 1. sanis rationem victus perscribentes, autumarunt bis in die esse cibum assumendum, & ideo author libri 4. de ratione victus in morbis acu. 89. inculcat eos, qui cibum semel in die assumunt, nam deterius concoquunt, & ventriculus prauis refertur moribus, qui coctionem interturbant, & hinc est ex Hipp. loco citato, quod ijs fit os amarum, & salsum, & libro de salubri dieta dicebat, ventriculum istis concalescere propter malorum succorum abundantiam, iuxta illud Auicennicum, diutius tolerare famem ventriculum replet malis humoribus. Hoc idem etiam confirmauit Eoboanus Hessus Medicus, & Poeta,

Pulchra sententia Aristot.

Bis tibi quoque die cibus est sumendus, at ille
Sit bene conditus, sit leuis, & modicus.

Patet igitur ex his, bis, vel pluries in die esse comedendum, quàm semel. Quamuis in hoc multum possit consuetudo, & mira hominum ἰδιοσυγκρισία, nam sunt quidam homines obesi, & phlegmatici, qui semel in die melius est, vt comedant. Illud tamen antequam ad aliam partem theorematis accedamus sciendum est, senes, & pueros ab hac superioris theorematis lege esse arcendos ob rationes ab Hipp. primo Aphor. tactas. Nunc quæso discutiamus, an scilicet in epilepticis cæna debeat esse gracilior prandio. Certè in hac re videtur esse communis omnium medicorum sententia, scilicet cænam prandio debere esse minorem, præsertim ijs, qui herculeo morbo laborant, cuius sententiæ est Auic. fen. 1. trac. 5. cap. 10. & huic sententiæ assentitur ratio, nam ex multa cæna multa fit euaporatio ad caput hoc autem epilepticis maxime obest, cum morbifica causa magis, ac magis inualescat. Vnde non immeritò Medicorum grauissimorum non nulli suis scriptis mandarunt, testatumque dereliquerunt, vt si fieri potest, ille, qui sacro morbo corripitur, semel in die comedat, hoc autem in prandio, verum quoniam omnium ferè consuetudo, & ipsa natura id non tolerat, ob id medici ferè omnes præcipiunt vt è tribus cibi partibus præscriptis duæ ab epileptico in prandio assumantur, altera vero in cæna.

An in Epilepticis cæna debet esse gracilior prandio.

Sed huic communi, & ordinariæ & antiquatæ medicorum sententiæ Rasis in nono continentis cap. de epilepsia aduersatur, dicens duas cibi portiones in cæna epileptica esse sumendas, alteram vero in prandio. Huius sententiæ quoque est Galen. libro de puero epileptico cap. 4. Magna quidem est difficultas, & controuersia, quam videns Manardus libro 13. epist. epistola vltima dixit in aliud tempus maiori otio esse soluendam, fortassis responsionem ignorans.

Galenus, et Rasis communi opinioni contradicunt.

Nec valet quorumdam responsio ex eo, quia in nocte fiunt meliores coctiones ex Arist. libro de somno, & vigilia, ideo Galen. cænam esse grandiorem prandio scripserit, nam si sit melior coctio in nocte, tamen non fit pauca euaporatio. Neque cuiusdam nostri familiaris doctissimi Medici responsio omni ex parte tuta videtur, qui dixerit, Galen. libro de puero epiletico cænam grandiorem prandio iussisse non ob aliud, quia illi puero erat epilepsia ex humore pituitoso cum bilioso admista ratione ætatis, atque ob id Galen. cibaria frigida iussisse, vt lattucam, blitum, maluam, &c. Hæc certè responsio mihi non placet ob plures causas, prima, quia Galen. hoc non poterat scire, restabatur enim ipse loco citato in fine c. 4. se ignorasse naturam illius pueri, & quantum virium ille morbus sibi asciuerit, quod etiam in principio libri fatetur, dicens se nunquam puerum illum vidisse, ergo Gal. non poterat scire, an bilis sit admista.

Responsio quorũdam impugnatur.

Familiaris responsio impugnatur.

Secundo ex ætate hoc nec etiam colligi licet, nam ætas puerilis cum sit mollis, & humida non est apta generationi humoris biliosi, qui in ætate adolescentiæ gignitur, quæ est ætas calida, & sicca, pueritia enim est ab ortu naturæ vsque ad decimum quintum annum exclusiuè, quam uis alij totum hoc spatium in infantiam, quæ est vsque ad septem annos, & in pueritiam decimum quartum annorum attingens, diuidant, proprie autem hic morbus cæteris derelictis nominibus, vocatur puerilis ab Hip. libro de morbo sacro.

Tertio concesso quod erat admista bilis, tunc non est maior ratio, quare cæna maior à Gal. proponitur ipso prandio, quam è contra, cum potius oppositum debuisset docere, nam magis in die bilis prædominatur, ergo prandium debet esse largius ipsa cæna, hic enim est ordo motionis humorum, vt sex horis primis diurnis sanguis moueatur, reliquis sex ipsa bilis, sex horis primis nocturnis humor melancholichus, & sex alijs pituitosus humor, ergo Galen. potius in die lautius cibare debebat.

Motus humorũ quando est.

Quarto certè probabile est, Galen. illa cibariorum genera non exhibuisse vt coortent, & corrigant bilim, sed potius cum curationem quamdam generalem docuisset, quia modus erat longus, ratione, & gratia varietatis dedisse illa cibaria, quam rem Galen. melius patefecit in cap. 4. eiusdem libri, vbi se liberalem ostendit in pueris ex ijs, quæ non multum nocent, præsertim de fructibus, vt, tempestiuè, & palam illis moderate vtantur potius, quam propter vehemens desiderium furtim ex his, & voraciter assumere festinent.

Addimus etiam lactucam ex Gal. fuisse concessam, nam hæc, vt ipse inquit libr. 2. de alim. cap. 40. non improbabilem sanguinem gignit, quod etiam Auic. confirmauit libro 2. tract. 2. cap. 41. generat namque sanguinem meliorem cæteris omnibus oleribus, concessit etiam, & maluam, & blitum, vt aluus lubrica fiat. An verò bilis requiratur in epilexia, vt irritet cerebrum in Hip. & Galen. doctrina dubium est, nam libr. 3. de loc. affec. c. 7. humor pituitosus, & melancholichus sunt causæ epilepsiæ, mala verò qualitas illa, quam venenosam Fernelius lib. 2. de abd. rerum causis cap. 15. & quinto de morbis, & sympt. c. de epilepsia appellat, non est semper admittenda, quæ tamen, si admittatur non prouenit ab ipsa bili, sed ipsis humoribus pituitosis, & melancholicis.

Quare

Quare in suo robore manet contradictio, præsertim loquendo de curatione præseruatiua ipsius epilepsiæ, nam clarum vnicuique est, vt rectè in hoc dixit Manardus, quod si accessio epilepsica noctu futura est, his certè cænam minorare deberet. Quid igitur in tanta controuersia inter Galen. & Auic. & rei naturam dicendum? Equidem quid dicam nescio, certè authoritas Gal. plurimum valet, sed non minoris est illa Auic. cui & ratio fauet. Nec mihi placet Rorarij conciliatio asserentis Gal. fuisse locutum de Epilepsia per consensum à ventriculo, & in hac inædia longa multum afficit, nam replet ventriculum malis humoribus, & sic epilepsia proritabitur, & exacerbabitur magis. Sed contra nam Gal. in principio libri fatetur se ignorare naturam pueri, & quantum virium ille morbus sibi asciuerit. Certè diutius ea in re cogitans, alterum duorum asserere non erubesco, aut Galen. codicem esse falsum, & deprauatum, vt inquit Gentilis de Codice Rasis, nam eadem est ratio, cum Rasis à Gal. furatus fuerit curationem epilepsiæ, vt ob id non nulli in eam descenderint sententiam librum de puero epileptico non esse genuinum Gal. vel si hæc responsio non placet, vera dixerim Auic. docuisse, vt cæna scilicet leuior prandio debeat esse in epilepticis. *Responsio ad contradictionem.* *Responsio Rorarij impugnatur.*

De potu, et quod temperamentum vinum fuerit sortitum.

Theorema IX.



ALijs derelictis liquoribus duplex tantum ex frequentiori vsu est potus, alter est aquæ, de qua alibi diximus, & alter est vini (licet, & non nulli, nec malè in genere ciborum vinum reponant) sat autem nunc sit, si in genere potus vinum reponamus. Vinum autem à quampluribus plantis, varijsque fructibus oritur, exprimiturque, vt fusè Dioscorides libro 5. de mat. med. docuit, sed nos tantum de vino ligni vitis, seu riuarum torculari, vel alio quo uis instrumento expresso loquemur, hic enim gratissimus, & suauissimus liquor maximè naturæ hnmanæ principijs est appositus, & proportionatus, vt eius sexcenta encomia breuitatis ergò dimittamus, quæ à præstantissimorum Medicorum monumentis peti possunt. *Vinum est maximè naturæ humanæ propitium.*

Tantum ergo de vinorum temperie disputatur in præsentiarum, tàm ex sui natura, tàm comparatione habita ad homines: cuius quidem rei inuestigatio maxime redditur difficilis ob illam, quam in vinis est reperire varietatem, atque diuersitatem, quæ ex multis oritur, scilicet primo ex varietate liquoris.

Secundo ex sapore.
Tertio ex odore.
Quarto ratione coloris.
Quinto ratione maioris, vel minoris energiæ.
Sexto ratione temporis.
Septimo ratione ponderis.
Octauo ratione locorum, situs, &c.
Nono ratione varietatis effectuum.

Ratione primi nam in substantia, & liquore alia sunt vina crassa, alia subtilia, alia mediocria.

Ratione secundi, nam alia vina sunt acerba, stiptica, alia acetosa, alia pontica, amara, acuta, acria, salsa, dulcia.

Ratione tertij quædam sunt ponderata, & ferè omnia, alia sine odore.

Ratione quarti alia sunt alba, alia nigra, alia rubea, alia subrubea, subrufa, flaua, subflaua, aurea, & media in his.

Ratione quinti aliud est vinum polyphorum, seu multiphorum, aliud oligophoron, seu pauciorum ex libro 3. de rat. vic. in morb. acut. 20.

Ratione sexti aliud nouum, aliud vetus, aliud vetustissimum, de quo Plinius libro 14. cap. 14. inquit fuisse ducentorum annorum. *Vinum ducentorum annorum.*

Ratione septimi aliud ponderosum, aliud leuius, aliud mediocre.

Ratione octaui nam in montibus est alterius naturæ à vallibus, & apricis locis. Vt alias diuersitates omittam, quæ ex varijs misturatis, & artificiosis vinis colliguntur, quæ non faciunt ad rem.

Ratione noni nunc quidem lætos, modò mæstos, modò silentes, & taciturnos, modò garrulos, & loquates, modo ridentes, effusum risum, mente torpidos, ingenio strangulatos, nunc obliuiosos, nūc memores, modo extenuatos, modo impletos, nunc vigiles, nunc somniculosos, nunc sanos, & vegetos, nunc ægros, mortales vina reddunt. Vnde in tanta diuersitate vinorum, in tanta contrariorum effectuum varietate, maxime mirari subit, & ardua, abstrusa, salebrosa, & mille tricis inuoluta redditur temperamenti, & facultatis vinorum contemplatio, vt non mirum, si grauissimi viri de vinorum temperie in varias abierint sententias, vt alij calidum, alij frigidum, alij siccum pronunciauerint, alijque obscurè locuti sunt, & alij per fabularum velamenta eam naturam significarunt. De hac materia fuit olim controuersum inter Veronenses Medicos, inter Antonium Fumanellum, & Bartholomæum Gaionum, quæ quidem controuersia eò deuenit, vt arbitros, & Iudices quatuor in ea dirimenda adhibuerint, quorum ego scio Fracastoreum libro proprio de temperamento vini, & Manardum, & alios. De hac materia scripserunt etiam Alexandrinus, & Consaluus Barreda Hispanus. Sed quoniam nobis non est philosophandi præclusus campus, & libera est philosophandi via, quid sentiamus, nunc in medium afferamus. *Controuersia olim agitata.*

De vinorum igitur facultatibus, seu qualitatibus, tùm primis, tùm secundis, & magis de secundis, quàm de primis res in controuersia est posita, vt vini inueutor, an fuerit Noe, an ab initio fuerit creatum, vt ex 31. Ecclesiast. patet, vinum ad iucunditatem creatum est ab initio, non ad ebrietatem, essentia, an sit terræ sanguis, vt Plinius libro 14. nat. hist. cap. 5. ex mente Androcydis refert, eius commoda, & incommoda, multaque alia curiosa, & præclara, ad occultas qualitates incumbentia, prætermittemus.

Vinorum non est vnũ temperamentum.

Vinorum igitur in primis vnicum, ac simplex temperamentum non potest assignari, si nos rectè, ac secundum rei naturam philosophari velimus, nam vina omnia si eorum materiam contemplamur frigida, & humida esse inueniemus, nam liquor ligni vitis, qui colligi solet obtruncatis salmentis, vere aqua est, & omnis saporis expers, ipsa quoque vitis frigida est, & secundum totum, & secundum partes, secundum folia scilicet pampinos, omphacium quoque satis est frigidum, quare vina omnia secundum materiam eorum considerata frigida, & humida sunt, & non ob aliud naturæ maximus rimator Arist. libro 4. meteor. 41. ponit vinum à prædominio aqueo, & secundum Empedoclem eodem Arist. teste lib. 41. topicorum 6. vinum vocatur aqua in ligno putrefacta, vnde sic inquit pars metri.

Vina secundum materiam sunt frigida.

In ligno putruit vnda.

Simpliciter tamen vinum non est aqua ex Arist. loco supra citato, si præsertim, secundum formam eius, vinum consideratur, per putrefactam aquam debemus concoctionem intelligere, vt aduertit Mercurialis, tempore enim Hip. & Empedoclis putrefatio vocabatur coctio, quare vina secundum materiam considerata frigida, & humida sunt, eoque magis quia fluunt more aquæ. Immiscetur quandoque in quibusdam vinis elementi terrei aliqualis portio, ratione cuius siccitatem etiam adipiscuntur, vt sunt vina Archadiæ secundum Aristot. quæ adeo crassescunt, & congelantur à calido tamen, vt in frusta secentur & quando illud bibere volunt in frusta secant, & in aquam illa immittunt, & sic liquefiunt. Si verò vina secundum eorum formam contemplamur secundum illam vinorum considerationem, quæ vina ab hominibus bibuntur, non ita facilè eorum temperamentum assignare poterimus, dicimus tamen vinorum alia esse calida, & humida, alia calida, & sicca, alia frigida, & humida, quæ omnia sunt declaranda, calida, & humida sunt quædam vina, vt crassiuscula, mediocriter dulcia colore flaua, subflaua, aurea, tempore non multum antiqua leuia: Calida, & sicca (sed humida tamen) sunt multum crassa, amara, acria, multum odorata, nigra, fulua, rubra, vetustissima. in apricis locis orta, & multiphora. Frigida, & humida sunt tenuia, insipida, acida, pontica, non odorata, alba, aquosa, oligophora, non multum vetera, in frigidis locis orta, aliquantulum ponderosiora, exiguæ energiæ, vt Fornacentia, & Louanientia ex Iacobo de Partibus super Auic.

Vina secundum formam considerata sunt multiplicia.

Vina calida, & humida.

Vina primo modo dicta calida esse patet, tùm ex conditionibus supradictis, tùm ex Hipp. libro 2. de dieta, & Gal. 2. Aph. 12. quod sint humida, & non solum in actu, seu potentia, non pluribus verbis est opus.

Calida, & sicca.

Secundo modo dicta vina calida, & sicca sunt, nam in multa crassitie elementum terreum prædominatur, amaritudo caliditatem, & siccitatem ostendit, & ob id Gal. libro 7. meth. med. cap. 7. dixit valenter exiccare vina amara, idem etiam de acutis, & acribus, & multum odoratis venit philosophandum. Idem etiam ex antiquitate colligitur, nam vinum antiquum calidum, & siccum est ex libro 2. de loc. affec. cap. vltimo, & libro de præcognit. ac Posth. cap. 2. vulnera seu vlcera siccant secundum Hip. & Gal. caninam sedant famem, ergo. Et in hoc rectè se gessit Fracastoreus asserens præsertim vinum ænode, seu meratum esse calidum, & siccum, & per se siccum, quod multis probat suo libello in cap. 7.

Frigida, & humida.

Vina tertio modo dicta frigida, & humida sunt, nam acida, & acerba non calefaciunt ex Gal. secundo Aphor. 21. & lib. 3. de compos. med. 5. l. vina acerba frigida sunt, alba quoque, & aquosa vina non sunt calida ex Gal. 12. meth. med. cap. 4. austera, & acerba frigida, & terrestria sunt ex libr. 3. de fract. 21. austera tamen vinosa possunt esse calida ex Gal. 3. de simpl. med. fac. c. 20. idem de albis est philosophandum, nam apud Hipp. libro 3. de rat. vic. in morbis ac. & quotidiana experientia datur duplex differentia vinorum alborum, quædam enim sunt oligophora, quæ sunt frigida, quædam polyphora, quæ caliditatem sapiunt. In his omnibus tribus supradictis vinorum differentijs dantur extrema, & media, & quo fuerint in summo talia, eò magis erunt alia, si verò aliquam supradictarum conditionum non habuerint à suis temperamentis non declinabunt, vnde vina tertio modo dicta, tenuia, acida, acerba, pontica, non odorata, alba, aquosa, oligophora erunt frigida, & humida. Si verò non habebunt hæc omnia, retinebunt quippiam caloris, vel saltem non erunt omnino frigida. In hunc sensum locutus est Gal. libro 3. de rat. uic. in morb. ac. 6. vbi dicit, vina alba valenter non calefacere, & ruinas prouocare, coctionem adiuuare ex libro 6. epid. com. 4. 20. & in hoc sensu intelligitur Hipp. libro de aere, aquis, & locis, vbi inquit vinum pueris aquosissimum potius esse exhibendum, quàm lac, nam minus hoc vinum adurit, & exiccat.

Duplex est vinum album.

In hunc quoque sensum venit intelligendus Hipp. libro 3. de rat. uic. in morb. ac. 41. vbi in illis morbis, de quibus mentionem fecerat, non esse vinum exhibendum astruit, verum aquam, vel vinum aquosum, flauumque, & inodorum, & ab ipsius potione aliquantulum aquæ exhibet, nam hoc modo vini potentia caput, mentemque non offendet, non enim Hipp. intellexit vina tertio modo dicta cum supradictis omnibus conditionibus, nam hæc vina neutiquam caput tentant, sed intellexit vinum, quod accedit ad hæc vina tertio modo dicta, nam vinum hoc, de quo Hippoc. meminit erat flauum, ergo aliquid caloris retinebat, & poterat aliquantisper euaporare.

Taxatur Augenius.

Non ergo rectè Augenius ex hac tantum authoritate colligere debebat, vinum omne esse calidum, nam hoc vinum est fuluum, licet aquosum, ergo non sapit naturam vinorum, tertio modo à nobis dictorum. Hæc igitur vina tertio modo dicta, & secundum materiam, & secundum formam erunt frigida, & humida.

Verum

Verum quoniam à forma denominari vnumquodque melius, & honorabilius est, ideo, quando de temperamento vinorum disputatur, sumuntur inditia temperamentorum à forma, & non à materia; Sed subtiliter obijcies, hæc vina tertio modo dicta non erunt vina, sed potius aqua. *Obiectio.*

Respondetur quod non, nam in aqua tantum frigiditas, & humiditas, attamen, quia sunt mista, in ijs inest aliquid caloris, à quo non sumitur denominatio, vnde boraginem dicimus frigidam, & febribus etiam in dies illam exhibemus, cum tamen sit calida in primo gradu, vnde hæc vina tertio modo sumpta erunt dicenda vina, & non aqua. *Responsio.*

Vnde secundum supradeterminatam sententiam temperamenti vinorum multos locos pugnantes possumus concordare, variasque Arist. Gal. etiam Auic. sententias sedare. Bene dixit Arist. libr. 4. metheor. 48. quando dixit vina specie differre, & Gal. libro de bonit. & vitio ciborum 11. & libro 4. de simpl. med. fac. cap. 14. admittit, & vocat vinum modo natura sua frigidum, modo natura sua calidum, nec comparatiuè Galen. intelligi potest, vt perperam Horatius Augenius contendit. Hanc veritatem doctissimus Auic. cognouit dum dixit 2. 1. doc. 3. cap. 11. vinum calidum natura, & frigidum natura; frigida sunt vina, secundum materiam considerata, & calida secundum formam non vt Rorarius in Auic. contradictionibus dixit, pro uario, quo applicatur modo, & pro diuersa temperatura assumentium calidum vinum, & frigidum est, nam melius est vt ex supradictis philosophiæ fundamentis absolute philosophemur, quam vt sic respectiuè loquamur. Vnde ex hac veritate cognita facilè innotescit non esse recipiendam sententiam Valleriolæ libro 2. enar. med. enar. 4. qui ex Gal. libro 8. de simpl. med. fac collegerit vinum esse calidum in secundo ordine, cum de omni vino pronunciauerit, quod non est recipiendum, vt ex supra dictis patet. Nec mihi Vallesij opinio arridet libro 9. cap. 6. suarum controuersiarum asserentis vinum omne esse humidum, & per accidens siccum, nam vina quædam per se exiccant, & à proprio temperamento, quod patet ex rei natura, & ex Hip. & experientia, nam licet vina omnia sint actu humida, tamen non nulla excellentem siccitatem possident ex Gal. libro 4. de compos. med. 5. l. cap. 1. & libro 8. de compos. med. 5. l. cap. 7. nam videmus multa actu humida, quæ in potentia sunt sicca, vt aqua vita, mel, & terebentiora, quæ omnia per se exiccant. Deinde ex supra dictis fundamentis, cum in quibusdam vinis adsit commistio elementi terrei, ideo de necessitate fatendum per se exiccare vinorum nonnulla maxime nigrum, austerum, & rubrum. *Error Valleriolæ.* *Error Vallesii.*

Videmus etiam vina per se exiccare vlcera, ergo. Vinum quoque siccum esse ostendit illud græcum Epigramma Meleagri antiquissimi Poetæ?

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κῶρος
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν νύμφαις Βρόμιος φίλος. ἢν δέ μιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

id est,

Bacchus vt è flammis puer exilijsset, in vndis
Tinxerunt Nymphæ sordidum adhuc cinere.
Hinc iunctus Nymphis est Baccus gratus ad ignem
Ardentem capies, hunc nisi mescueris.

Vel.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodijt, inuentum sub cinere, abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Seiunctus, quod sit ignis, & vrat adhuc.

Neque Manardi sententia probatur, dum inquit libro 14. epist. epist. 3. quia fuit etiam Conciliatoris sententia diff. 70. asserentis vina si considerentur ratione alimenti, plus, minusue omnia esse calida, & humida, si vero ratione medicamenti, præter vina aquosa, omnia calida, & sicca esse. Sed hæc in quam opinio non probatur, nam vinum vnum est ens, ergo vel calidum, & humidum erit, vel calidum, & siccum. *Manardi sententia non probatur.*

Amplius, abstrahamus quæso ab alimenti, & medicamenti ratione, & de vinis seorsum, & in genere proferamus, tunc turpe quidem erit dicta omnia vina in se considerata esse, vel calida, & humida, vel calida, & sicca, cum vtrunque sit falsum, vt supra patuit. Mitto etiam, quod rectè Fracastoreus confutat hanc sententiam in c. 8. qui etiam errauit vniuersalem non faciens vinorum considerationem, sed tantum vinosorum, seu meracorum, quare facilis fuit eius sententia, & inuestigatio. Non tamen ipse, nec Manardus iusti Iudices fuere. Nec rectè quoque philosophatus est Mercurialis proprio tractatu, & Horatius Augenius 2. tom. epist. med. libro 5. ad Taurinenses discipulos cap. 3. asserentes vinum omne esse calidum, cum ex supradictis appareat hanc sententiam esse falsum. Hæc igitur de vinorum temperamento sint dicta. Quomodo vero vina ebrietatem inducant, & quomodo ebrietas ad felicitatem conducat ex Seneca exemplo Catonis, Solonis, & Achesilai, nunc non disputo, nec non quomodo illi supra dicti effectus contrarij proueniant, nam nimis in longum oratio nostra excresceret. Sic finis esto præsenti theoremati. *Nec Mercurialis, & Augenij sententia probatur.*

De cibo, et potu, vbi non nulla curiosa problemata dissoluuntur.

Theorema X.



Ntequam finem huic argumento de cibo scilicet, & potu imponamus, non nulla sunt curiosa problemata examinanda, ac dissoluenda, & primo vnde est, quod vinum aliquo modo dilutum citius inebriat, quàm purum meracumque?

Secundò cur debet imponi vinum prius in cratera, & deinde aqua.

Tertiò cur inter comedendum loqui vetitum sit?

Quartò cur aliqui in angina potius rem crassam, & duram deglutiunt, quam tenuem, liquidamque, vt verbi gratia aquam?

Quintò cur cibus delectabilis, & suauis post satietatem fit indelectabilis?

Sextò cur citius famem, quàm sitim ferre possumus? Etsi vtroque quis longo tempore priuabitur vter istorum diutius viuet?

Septimò cur quod vni est alimentum, alteri venenum esse dicitur?

Octauò cur simplicia quædam valeant producere sitim, ac famem longo tempore?

Nonò an radicula primo cibo sumi debet, an vltimo? Sed breuiter his sic responsum volo.

Respõsiones ad problemata. Ad primum respondeo tripliciter ex Arist. 3. part. probl. probl. 3. primò namque ratione tenuitatis, quam ab illa pauca aqua acquisiuit vinum temperatum citius, & expeditius loca plura, & angusta subit, è contra merum, seu vinum intemperatum. Secundo, an quia merum minus bibitur, quam temperatum vinum ob eius austeritatem, & sensibile nocumentum, quod statim ori stomachi, & cerebro infert, & ob id temperatum citius inebriat. Tertiò, an vinum merum cum sit calidius temperato, & concoctio fiat à calido potest merum digerere alia indigesta, quod non facit temperatum? Notat tamen conciliator in expositione supradicti problematis, vinum debere esse vinosum, & calidum, vt quarti, & quinti climatis, & aquam illi admistam debere esse subtilem. Sed circa primam responsionem dubitare contingit, nam circa primum falsum est, vinum temperatum ingredi plura loca, & angustiora, cum aqua ex Hip. libro 3. de att. vic. in morbis acutis 40. transire moratur, secundo ex Gal. libro 1. de simpl. med. fac. vinum adiuuat aquam ad penetrandum, ergo magis penetrat intemperatum, quàm temperatum, tertio contra eandem responsionem, nam quod bene, & citò natura est fieri, cito, & bene natum est solui ex Gal. 3. Aphor. & lib. 4. meth. med. sed crapula, & ebrietas ex vino temperato cito fit, ergo cito dissoluitur, & per consequens curatur. Quarto Medici aiunt crapulam à vino grosso causatam tardius fieri, & dissolui. Dicendum ad primum Hip. ibi comparatiuè, & respectiuè de aqua loqui, illam enim comparat potioni ex melle, & aceto, & mel citius penetrat propter abstersionem, & caliditatem, & acetum propter subtilitatem, vel dicẽdum, in aqua duo considerantur, substantiæ subtilitas, & tenuitas, & maxime de hac aqua, de qua problema intelligitur, & quantum ad hoc cito pertransit, & angustiora subintrat, vel consideratur frigiditas, quæ penetrationem hebetat, & sic aqua ratione istius frigiditatis moratur transire, verum hæc tollitur cum vino mista, nam vinum calidum est. Ad illud Gal. dicas, loqui de aqua multa, & magna quantitate, & sic vinum dicitur penetrare, quare non absolutè loquitur. Ad tertium, secundum rei veritatem loquendo dicimus, ebrietatem apparenter citius fieri à temperato vino, & solui, re vera autem nequaquam, nam, vt certè Medici inquiunt, quod erat quartum argumentum crapula vino grosso inducta magis durat.

Ad secundum problema debet vinum prius, deinde aqua apponi nam aliter ebrietas contingere solet, nam cum vinum sit leuius aqua, & aqua grauior, & hoc sensata experientia patet, vinum enim supernatat aquæ, si in poculo posita aqua pedetentim, & paulatim immittatur vinum, vt nos domi, vt iocemur quandoque sodales inebriamus, namque posita aqua in poculo vitreo, deinde panis offam subtilissimam in illam aquam immittimus, & ibi vinum infundimus, vnde videmus, vinum supra manere, aquam deorsum.

Ad tertium, an quia periculum est tussis, & strangulationis loquendo, & comedendo, nam in capite asperæ arteriæ aliquid cibi, vel potus ingredi facile potest comedentibus, & loquentibus, nam ligula dum loquimur aperitur, est autem ligula quædam veluti lingua caput asperæ arteriæ cooperiens, vel quia locutio debitam impedit cibi contritionem.

Ad quartum, an quia facultas attractiua, & expulsiua æsophagi est debilis, ergo facilius expellitur res crassa, quàm tenuis, & liquida, nam crassa res, magis grauis est, & leui indiget expulsione, & suo pondere decidit, è contra tenuis, seu liquida, vel quia humiditate refertæ fauces, & ventriculus potius attrahunt dura, & crassa, quàm tenuia, & humida, sicut è contra, si nimis fuerint exiccata humida potius attrahuntur, quàm sicca.

Ad quintum an rectè Poeta dixit omnium rerum esse satietatem? namque etiam ipsa natura rei nouitate gaudet, de qua re rectè dixit Arist. 28. part. probl. 7.

Ad sextum dicimus, & vt supra quoque diximus, nos famem ferre longius, quàm sitim, nam vita nostra consistit in calido, & humido. Ad propositum casum de illis duobus dicimus, quod citius peribit, qui diu abstinebit à cibis, quàm ille, qui diu abstinebit à potu, nam qui à cibo abstineret priuatur humido substantifico, qui verò à potu priuatur tantum illa alteratiua frigiditate, & humiditate.

Ad septimum contingit illud, vel ratione terrarum, vel ratione consuetudinis, vt diximus in tractatu de venenis.

Ad

Ad octauum vellem prius scire quæ sunt ista simplicia, Plinius libro 11. cap. 54. inquit, butirum, hippacem, glygirisou gustu exiguo famem, & sitim sedare. Solinus capitul. 17. inquit in Creta esse quandam herbam, quæ ἀλιμος græcè dicitur. Theophrastus libro 9. de plantis inquit in Scythia circa Mæotim radicem vocari Scythicem, quæ si in ore detineatur sitim sedat, & idem Plinius libro 20. cap. 9. de scylla, quæ recens lingua subiecta præstat, ne hydropici sitim persentiant. Auctores etiam de simpl. noui orbis testantus, occiduos Indos triduum, & quatriduum viuere sine cibis per deserta loca iter facientes pillulam quamdam ore habentem confectam ex puluere cuiusdam conchilij, & Tabaci folijs. Sed quæ nam istorum ratio naturalis? nam veræ sunt historiæ? An hæc omnia ore retenta succum ex internis corporis partibus ad os trahunt, qui succus deinde absorptus subit speciem cibi, & potus instar ruminationis, & sic ventriculus desinit esse molestus in appetendo.

Ad nonum dicas cum Gal. libro 2. de alim. fac. cap. 22. & 70. radiculam ante omnem cibum esse comedendam, cum quo Paulus, & Aetius consentiunt, licet oppositum Dioscorides libro 2. cap. 106. de materia medica, & Tralianus, sed Dioscoridis rationem pulchrè infringit Aloysius Mundeilla libro suo epist. epist. 11. & hæc satis. *Radiculæ ante omnē cibum est comedōda.*

De motu, & quiete, & primo quid exercitatio, et quies.

Theorema XI.



Etsi de motu quamplurima theoremata exagitari possunt, quid scilicet sit motus, & in quo genere rerum sit locandus, quive sint eius termini, & quot sint, pluraque alia, de quibus aliàs si per otium licebit, tamen nos hoc celebre, atque præclarum theorema subsilendum minime putauimus de causa scilicet proiectorum, si prius viderimus, quid sit ipsa exercitatio, eiusque commoda, & an cunctis animantibus sit necessaria.

Et vt à primo exordiamur, est exercitatio, si Galenum insequi volumus, motus vehemens cum mutatione anhelitus ex libro 2. de san. tue. cap. 2. non ergo ad aures Gal. qui vis motus exercitatio est, sed ille qui fit cum anhelitus alteratione, & loco citato Gal. separare, seu distinguere videtur exercitationem à motu, nam ille motus, in quo nulla est respirationis mutatio, non est exercitatio appellanda, siue modo differat exercitatio à labore nunc non quæso, non enim me latet apud Hip. & Gal. libro 2. Aphor. 16. & libro 6. epid. com. 4. 31. confundi quandoque laborem, & exercitationem. *Quid exercitatio.*

Pro nunc igitur de exercitatione verba facientes dicamus hanc differre à motu, nam hic est nimis genericus, & in plus se habet, quàm exercitatio. Hanc eandem exercitationis diffinitionem insectatur Aetius libro 3. cap. 2. Hanc eandem insequitur Auic. libro 1. fen. 3. doc. 2. cap. 1. dicens exercitium esse motum voluntarium, per quem anhelitus magnus, & frequens est necessarius, est motus voluntarius ad differentiam motus cordis, qui est naturalis, & coctionis expulsionis, quæ mera sunt opera naturalia, magnus quidem pectoris extensione aucta secundum dimensionem, frequens verò diminuta pausa, vt cum Auicennistis loquar solita euenire inter duas aspirationes. Vtraque quidem est conueniens definitio, cui hucusque tota medicorum cohors se se subscripserit, & ferè in vnam concidunt ambæ diffinitiones.

Verum peritissimus Mercurialis libro 2. de arte gymnastica cap. 1. vtranque carpit diffinitionem & pluribus quidem motiuis, primo aduersus præceptorem Gal. arguit, nam in gymnasij potest quis ab aliquo per vim vehementer moueri, qui tamen nullo modo exerceri diceretur, quare Galen. non est diffinitio integra. *Sententia Mercurialis.*

Secundo aduersus Auic. nam istius diffinitio est insufficiens, cum non comprehendat omnia causarum genera cum desit, & materialis, & finalis.

Tertiò multi voluntarie mouentur, & tamen non dicuntur exerceri, sicut serui cum celeritate mandata dominorum exequentes, & sicut illi, qui vel inimicorum impetum, vel quid aliud triste effugientes & vehementer mouentur, & frequenter, & magnopere anhelant.

Cæterum non absque forti ratione sunt præceptores derelinquendi, nam vtraque diffinitio optima est, & propterea ad obiecta respondeamus. *Non probatur sententia Mercurialis, cuius rationes soluuntur.*

Ad primum dicimus, illum motum, qui per vim fit adhuc esse exercitationem, parum tamen refert si vi fiat, non enim hæc particula diffinitionem perturbat.

Ad secundum Auic. dicendum subintellexisse causam materialem, & finalem, & breuitatis gratia dereliquisse, causa namque materialis est ipsum corpus viuentis, quod tamquam in arte motissimum supponitur, causa finalis inferius patebit cum de commodis exercitationis loquemur.

Ad tertium, & vltimum dicimus adhuc esse exercitationem illam de seruis, & de illis &c. quare hæc momenta rationum Mercurialis non infirmanr allatas diffinitiones. Ex his quæ de exercitationis essentia, naturave sunt breuiter dicta patere arbitror, quid sit ipsa quies, nam cognito vno contrariorum facile, & reliquum cognoscitur cum teste Philosopho, oppositorum est eadem disciplina, est igitur quies priuatio motus præsertim, quæ ociositas potest appellari, & hæc breuiter sint dicta.

Quæ sint exercitationis commoda, et quomodo sit necessaria.

Theorema XII.



Ot sunt exercitationis commoda, quæ sensata experientia visuntur, vt si omnia complecti velim satis in longum nostra protraheretur oratio, & in immensum excrescere hoc theorema, ea propter non nulla, quæ magis vtilia erunt nos recensebimus.

Et primo venerandus ille senes Hip. aureis illis verbis huius exercitationis commoda patefecit libro 6. epid. comm. 4. *ἄνθρωπος ἐσθίων οὐ δύναται ὑγιαίνειν, ἢν μὴ πονέῃ*, seu sanitatis studium est non repleri cibis, & impigrum esse ad laborem, vel vt libro 1. de diæta dicebat, vt græcam sententiam supradictam in latinum conuertam, homo comedens sanus viuere non potest nisi laboret; idem etiam confirmauit libro de aere, aquis, & locis. Diuinissimus Plato in vltimis Timęi verbis; exercitationis vtilitates mellifluis suis illis verbis decantauit, Arist. libro 2. eth. cap. 2. Huius quoque exercitationis commoda, adeo recte latinæ eloquentiæ Pater M. Tullius Cicero obseruauit, vt dixerit Plutarchus in eius vita, Ciceronem mala stomachi valetudine affectum opportunis, ac numeratis exercitationibus, ita corporis sui habitum corroborasse, vt ad multa, & magna certamina se validum reddiderit. Sed vbi Gal. relinquo? Non ne hic plurimis in locis, & præsertim libro de medicat. & dignot. renum affectuũ, cap. 7. tres ponit vtilitates? Et libro 1. de san. tuen. propè finem dicebat melius conseruari corpus exercitationibus, quàm pharmacijs & attenuantibus cibis, nam ex libro 2. de rat. vic. in morbis acutis cap. 12. omnia pharmaca sunt naturæ nostræ inimica, & aduersaria, & idem Gal. libro de parua pila cap. 2. dicebat exercitationem non solum corpus, sed animam quoque lætam reddere, & ibi quoque, & alibi sexcentisque alijs in locis testatur magnus Gal. multos exercitijs à grauissimis morbis esse liberatos, & libro de consuetudinibus, si modo Gal. est ille liber, inquit, partes, quæ exercentur fieri fortiores, & solidiores, idem etiam confirmatur ex Auerroe 6. colliget.

Quinimo vt multa in vnum colligamus, dicimus exercitationem humanam conseruare vitam, limam esse, atque naturalis caloris entelechiam, excrementorum consumptionem, virtutum omnium corroborationem, & animæ gaudium cum Gal. dixerim. Verùm pro tot, tantisque commoditatibus capessendis in exercitatione debet esse aliqualis modus, atque mensura, vnde rectè Pythagoras in aureis carminibus decantauit *μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον*, idest rebus in omnibus mensura optima est, & præsertim cibi, potus, & exercitationis, & idem author inquit in his eam mensuram esse ponẽdam, quæ rem dolore non afficiat. Hanc veritatem voluit etiam patefacere Peripateticæ disciplinæ princeps Aristotel. libro secundo ethicor. capitulo secundo, vbi inquit exercitationes, quæ modum excedunt, & quæ deficiunt, vires corrumpere, corpusque labefactari, & lyricus ille Poeta decantabat.

Est modus in rebus sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum.

Quĩ nã est exercitationis terminus.

Otium quæ mala pariat.

Sed dices, vsque quo corpus se exercere debet? An cum Gal. dicendum libro 3. art. med. cap. 12. Cum primum lassari corpus cæperit, confestim quiescere, & nos addimus donec corpus calescat, floridumque colorem acquirat, & sudare iam cæperit. Ex commodis exercitationis præhabitis facilè vnicuique est colligere à contrario sensu quietis, seu otij incommoda, quies namque, seu otiositas, vt est in Leuitico multis malis tribuit initium, & fomentum, Dei parit contemptum, ferinos gignit mores, negligentes, pigros, effęminatos, immemores, & parum idoneos ad Reipub. administrationem facit homines, mali coloris, adauget phlegma, corpus superfluitatibus implet, generat podagram, chiragram, ad Venerem procliues reddit homines, vt rectè Poeta dixerit.

Otia si tolles perire cupidinis arcus

Et Franciscus Petrarcha

Ei nacque d'otio, e da lasciuie humane,
Nutrito di pensier dolci, e soaui.

Otium quoque ruinas, rixas, inimicitias, inhonestos ludos parit. Per otium quoque corpus infrigidatur ex Auicen. primo cantic. 184. nam ex priuatione motus augetur fumosa superfluitas super calorem naturalem, ex qua sicut ignis ex fumo, naturalis calor extinguitur, & Aristotel. pro hac veritate confirmanda dicebat 14. part. problem. 7. quod quiescit putrefit, & Ouidius libro de Ponto cecinit.

Cernis vt ignauum corrumpit inertia corpus,
Vt capiant vitium ni moueantur aquæ.

Dices,

Dices, cur est adeo necessaria hæc exercitatio, & vnde eius necessitas dependet? Respondetur breuiter à nostris corporibus incessanter per poros exire corpuscula quædam, quæ nisi instaurentur, non bene cum viuentibus ageretur, quare ideo cibo semper indigemus, vt effluens substantia regeneretur, cibus autem nunquam excrementis vacabit, sit quantum vis tenuis, & prætiosum, quæ excrementa necessariò foras exeant oportet, & ob id multos meatus, variasque vias natura præparauit, quæ cum cunctis exinaniendis non sufficiant, exercitatione indigemus vt illa excrementa, partim sensibiliter, & partim insensibiliter foras producantur. *Obiectio. Responsio.*

Quomodo verò insanis exercitatio iuuet, licet oppositum alij senserint, & quomodo non omnes sint exercendi, & quomodo non assueti tantum, rectè has tres sententias confutat, & declarat Mercurialis libro 4. de arte gymnastica cap. 2. 3. 4. quo fit, vt pluribus non sit opus. Hic etiam multa de speciebus exercitationis, de quantitate, termino de locis, & non nullis alijs, missa facimus, quæ luculenter, & diffusè à Mercuriali scribuntur.

Sed antequam huic theoremati finem faciamus duo pulcherrima insurgunt problemata, primum, vnde est, si motus, seu exercitatio est causa caloris, nam calefacit corpus, vnde inquam est, quod aquæ fluuiales, quo magis mouentur, eo magis infrigidantur. An illa corpora incalescunt ob motum, quæ sunt calida vel in actu, vel saltim in potentia, modo aqua nec actu, neç potentia calida est. *Duo curiosa problemata discutiuntur.*

Secundum problema est, & pulchrius, an stare, & sedere sint motus, & certè prima fronte videtur, quod ex Gal. libro 1. de motu musc. cap. 7. & 8. stare, & sedere non sunt motus, ergo nec exercitationes. *An stare, et sedere sint motui.*

Secundò contraria non sunt vnum, & idem, sed stare, & sedere sunt quietes, ergo non sunt motus.

Tertiò moueri est transire de termino à quo ad quem, sed sessio, & status non sunt huiusmodi, ergo non sunt motus. E contra videtur quod scilicet sint motus, nam stare, & sedere sunt actiones musculorum, sed actio est motus, ergo. Amplius, qui habent vlcera non debent stare, intelligo tamen vlcera in tibijs ex Hip. libro de vlceribus, nam stare motus est. Tandem stare, & sedere defatigant corpus, ergo sunt motus. Breuiter dicamus cum Gal. loco supra citato, qui posuit motum tonitum, qui est motus immanifestus, quem Arist. non cognouit, nam stare, vel totius corporis, vel alicuius partis defatigatio est, & quamuis manifestè partes non moueantur, attamen adhuc defatigantur musculi, & maximum laborem sentiunt. Sed non plus vltra. *Decisio.*

De motu proiectorum.

Theorema XIII.



T si satis est tenebricosa cognitio præsentis theorematis, de motu scilicet proiectorum ob varias Philosophorum opiniones, eam tamen præterire, haud ab re fore duximus, cum sat erit in arduis, vt est in adagio, rem tentasse. Aggredior igitur hanc materiam, quam sic explicare liceat, vt quæratur in præsentiarum à nobis, & à cunctis Philosophis, vnde nam est, vndeque dependeat, cum sagitta, vel quod vis aliud corpus sursum, vel aliò à proijciente mouetur, motus ille productus ab illo corpore proiecto, postquam destitutum est à suo proijciẽtes, hic est theorematis, quod præ manibus habemus, sensus, hæc est explicatio, & hic est titulus. Illud tamen sciendum est præsens theorema tribus axiomatibus inniti, de quibus Arist. quam plurimis in locis, libris de Physica audientia mensionem fecit.

Primum igitur est, quod omne, quod mouetur ab aliquo moueatur.

Secundum est, quod in motu requiritur mouens, & res mota simul.

Tertium est quod motus à semetipsis prius est animatorum, nec cum rebus inanimatis hic conuenit. Quibus tribus axiomatibus sic stantibus iure in controuersiam reuocatur de sagitta, vel de lapide proiecto dum sublimes per aerem diuagantur disiuncti, & remoti ab ipso proijciente, aut lapis mouetur à semetipso, & sic non erit animantium proprium, vt à semetipsis loco moueantur, aut dixeris proximè moueri à proijciente, & sic non oportebit, vt omne mouens proximè sit cum mobili, ipsumque contangat, sin autem à nullo, primum axioma euerteretur, ac funditus rueret, quod omne quod mouetur ab aliquo mouetur. His præiactis, ac stabilitis, dicamus cum nostro Arist. libro 8. Phys. 82. & libro 4. phys. 68. & 11. part. probl. probl. 6. nec non in quæstionibus mechanicis quæst. 33. ad motum hunc proiectorum requiri aerem, cuius altera portio moueat alteram sibi contiguam, & hæc moueat aliam, cum aer aptus sit ferri ad omnes loci differentias, nec non ad omnes differentias positionis. Sed vt magis, ac magis hæc sententia lucida fiat, venit res altius repetenda. Quamobrem dicamus, aeris hunc motum non esse sufficientem, vt melius infra declarabitur, sed requiri etiam propulsionem quamdam, seu violentiam rei proijciẽdæ, nam necesse est, vt proijciens vim faciat, ac inferat, cum lapis nunquam moueretur de se, nisi ei manus inijciatur. Verùm non est credendum, vt non nulli falsò dixerunt lapidi, vel saggittæ inferri qualitatem quamdam, sed vim quamdam, & violentiam, quæ nihil aliud est, nisi motus violentus.

Quod verò motus aeris non sit sufficiens, hinc perspicuum esse arbitror, nam trochus rapidissimo motu circumuoluitur, & tamen exigua reperitur aeris exagitatio, voluo deinde trochum non rotundum, sed quadratum, quatuor angulis parum circumuoluitur, & tamen in ipsa circumuolutione maxima copia aeris reperitur in angulis illis, sic itaque proijciens vim, seu motum quemdam vio- *Quod nam etiã requiratur præter aerem.*

lentum

lentum infert non qualitatem, qui quidem motus violentus non conseruaretur nisi adesset aer conseruando, non autem proijciendo, nam aer non potest producere motum illum, sed conseruare valet. Hæc sententia sic explicata à simplicio quoque libro 3. cæli, & mundi 28. & libro 8. physic. 82. fuit recepta, nec non à lucidissimo Themistio, & D. Thoma libro 8. phys. 82. fuit confirmata. Nec coincidit hæc sententia cum illa antiquorum, de qua meminit Arist. libro 8. phys. 82. namque hi asseuerabant causam motus proiectorum esse illum motum, qui mouet lapidem, & mouendo ipsum mouet aliquam partem aeris circumstantis, & hic circundans ipsum (veluti vas) fert lapidem ipsum mouens per tantum spatium.

Sed hæc antiquorum opinio non est eadem cum hac nostra, seu Arist. nam nos non tantum aeri tribuimus causam motus violenti, sed etiam violentiæ à proijciente ipsi proiecto iniectæ, quam antiqui non cognouerunt. Rectè igitur inquit Arist. aduersus antiquos, asserens non esse aerem sufficientem, nam quomodo mouetur aer, & à quo, postquam est separatus à proijciente? Non enim à se mouetur, nam hoc animantium proprium est, non ergo videtur quod moueatur nisi à proijciente, quod si huius motus ipsum solum causa est, profectò lapis cessabit à motu, cum cesset ipsum proijciens, & mouebitur similiter cum eo, quod falsum est, ergo aer solus non sufficit vt supra cum Arist. & sensata experientia euidentissimè demonstrauimus.

Quid alij senserint.

PRimo nobis se se offert Plato asserens causam proiectorum motus esse quamdã antiperistasim, quæ explicatione indiget; quãdo proiectum separatur à manu exit velocius, quàm à suo loco, & tunc quia natura abhorret vacuum, aer existens retro ad implendum vacuum consequitur proiectum, & cum insequitur velociter attingendo ipsum mouet vltra, & sic per vicissitudinariam motionem vnum mouet alterum, & proiectum mouet aerem, qui sibi antecedit, aer, qui retro manet mouet ipsum, & sic fit ista Platonis antiperistasis, quæ latinè retro percussionem sonat. Alij, nec Platonis, nec Arist. decreta consectari volentes in aliam abiere sententiam asserentes causam istius motus, esse virtutem quamdam motiuam impressam à proijciente ipsi proiecto, quæ quidem ipsi inhærens mouet ipsum cum est disiunctum à proijciente, quæ virtus ex istorum sententia est qualitas motiua realis distincta realiter ab ipso proiecto, & est principium motus localis, & confirmatur hæc sententia primo de trocho, qui circum uoluitur motu violento, & hunc percipimus non ab aere pelli, quia in eodem loco manet, ergo per virtutem quamdam, quæ impressa est, debet moueri.

Secundò si talis motus fit ab aere, ergo cum flante vehementissimo vento, aer fit maxime motus, & concitatus, si tunc lepis in sublime proueheretur ab aere multo celerius, ac longius ferri deberet, quam cum manu hominis proijcitur, quod tamen est contra experientiam.

Tertiò contra præfati theorematis determinationem arguitur, cõtinui vnus est motus, ergo aeris vnus erit motus, quare non videtur concurrere aer, nam oportebit dicere cum aer sit continuum quippiam, quod vna pars aeris moueatur, & altera quiescat.

Quartò si esset aer causa motus proiectorum, tunc illud absurdum sequeretur, quod est contra experientiam, quod pluma velocius proijceretur, quia facilius ab aere substineri poterit, quàm lapis quod tamen est falsum.

Quintò fortior videtur magnus ventus, quàm ille, qui excitatur ab arcu, sed magnus ventus vi sua non poterit eleuare sagittam a terra, ergo nec aer motus ab aere. Hæc sunt argumenta alia missa faciens, quæ adducit Scaliger exercit. 28. contra Cardanum probans non requiri aerem. Sed ad hæc. Certè Platonis antiperistasis non sufficit, quia tunc non posset assignari causa de trocho, quare mouetur, cum in vno eodem loco persistat, ille enim motus est violentus, & locus non mutatur, ergo per solam antiperistasim fieri non poterit, Nec illorum opinio mihi arridet, qui virtutem illam impressam adducunt, nam multa sunt contra hanc opinionem.

Platonis sentẽtia cõfutatur.

Impugnatur virtus illa impressa.

Primo vel hæc virtus est substantia, vel accidens non substantia, quia vel materia, vel forma, vel compositum, non accidens, quia vel qualitas realis, & hoc non, quia vel prima, vt caliditas, & frigiditas &c. vel secunda, quæ dependet a primis, & hoc non, vt patet, neque potest esse qualitas intentionalis, quia effectus ipsius est realis, non autem aliquid intentionale potest producere reale secundum motum.

Secundo ista virtus motiua per illos cum mouet deorsum dicunt grauitatem esse, cum sursum leuitatem, ergo ipsum cum mouetur proiectum per alias differentias loci, scilicet antrorsum, dextrorsum, sinixtrorsum ista virtus nihil erit, cum non sit grauitas, nec leuitas, quæ deorsum, & sursum determinatur.

Tertio similiter etiam si per istam virtutem proiectum fieret graue, & leue, sequeretur, quod dum lapis sursum fertur proculdubio ipse fieret leuis, si autem deorsum fieret grauis, sed hoc est contra experientiam.

Quarto dicebant isti, hanc virtutem produci à proijciente, sed quomodo hoc fieri potest, vt eadẽ numero manus nunc producat leuitatem cum sursum mouet, nunc grauitatem cum deorsum mouet, nunc alias qualitates motiuas cum mouet per alias loci differentias, quare talem productionem asserere summa stultitia est.

Vltimo, vel ista virtus, quæ à proijciente producitur est vel per creationem, vel per generationem non primum, quia ad aures Arist. & omnium Philosophorum ex nihilo nihil fit, si per generationem, cum omnis generatio præsupponat alterationem, ergo ipsum proiectum oportebit esse alteratum, sed nulla alteratio percipitur in lapide, vel qua vis alia re. Sed illorum argumenta dissoluamus.

Responsio rationes.

Ad primum eorum motiuum de trocho respondetur, quod trochus non tantum ab aere moue-

tur,

tur, sed à vi, seu violentia illa, quam infert ipsi proijciens, ergo non est recurrendum ad qualitatem illam.

Ad secundum licet aer sit concitatus, non tamen potest facere illud, nam non adest illa à nobis dicta violentia, quæ est causa motus, nam aer tantum concurrit, vt causa conseruatiua illius proiecti motus, quare aer solus illud facere non potest.

Ad tertium dicimus, argumentum non verificari de omni continuo, sed tantum de continuo solido, & non fluxili, hujusmodi est aer.

Ad quartum non sequitur, nam pluma non resistit proijcienti, sed cedit, lapis autem è contra.

Ad quiutum non sequitur, quia ventus non potest inijcere proiecto illam violentiam, quæ requiritur, & hæc hactenus.

Quomodo motus sit causa caloris.

Theorema XIV.



EVidentissima, atque clarissima experientia constat motum esse causam caloris; verum de modo, quo ille producatur, non satis inter Philosophos alicuius nominis constat. Nos autem breuiter, quæ sit nostra sententia declaremus. Dicamus igitur cum Arist. communi, & antiquo Præceptore libro 2. cæli 42. & libro 1. meiheor. cap. 3. & 5. part. probl. problem. 9. motum esse causam caloris attrito aere, verum quid significant hæc vltima verba, hoc opus, hic labor.

Motus itaque est causa caloris per aeris attritionem, motus enim calefacit attrito, & extenuato, & rarefacto aere, qui sic rarefactus mediante motu generatur calor, & hæc est optima explicatio secundum Arist. & secundum rei veritatem congrua. *Quomodo motus est causa caloris.*

Verum hæc sententia sic explicata vnico argumento validissimo, quod Achilles est, infestatur, argumentum autem est huiusmodi, si generatur calor rarefactione, seu extenuato, & rarefacto aere, tunc sequeretur, quod raritas cum antecedat calorem, esset prior ipso calore, sed videtur oppositum, nam raritas est caloris effectus, ergo non potest esse prior, effectus enim, vt effectus est posterior sua causa, qnod autem raritas sit caloris effectus luce meridiana clarius est. Quare si vera est explicatio supradicta præsentis theorematis, dissoluendus est iste modus. *Dubitatio grauis.* *Responsio.*

Dicamus itaque, vt præsens nodus extricetur, duplicem esse raritatem, alteram antecedentem, & alteram consequentem, antecedens raritas est dispositio ad calorem, raritas consequens est effectus ipsius caloris posterior ipso calore sua causa. Hac stante distinctione dicamus, raritatem primo modo consideratam scilicet antecedenter esse causam ipsius caloris, nam se habet, vt dispositio ad formæ introductionem, modo dispositiones præcedunt aduentum formę, raritatem vero secundo modo dictam scilicet consequenter dicimus esse effectum ipsius caloris, & per consequens posteriorem calore, sic dissoluitur nodus.

Vt hinc pateat D. Thomam fuisse hallucinatum asserentem motum esse per se, & naturaliter causam caloris, quia motus localis est prior alijs motibus natura, & perfectione, vt inquit Arist. libro 8. phys. ergo per se hic motus est causa caloris. Sed crediderim, non est rei veritatem, mentemque Philosophi Thomas assecutus, nam si motus localis per se, & naturaliter ideo est causa caloris, seu calefacit, quia est prior, tunc sequeretur, quod cum motus violentus non sit prior, nec naturalis, non esset causa caloris, quod est falsissimum, & contra experientiam, nam etiam motus violentus est causa caloris, quinimo videmus sagittam sursum elatam, non solum calefieri, sed liquefieri eius mucronem plumbeum, teste Philosopho libro 2. cæli 42. *D. Thomas non est assecutus mentem Aristotelis.*

Nec etiam ea in re est audiendus Buccaferreus asserens motum esse causam caloris ratione distractionis aeris, nam ista distractio est motus localis, ergo motus localis calefacit motu locali per accidens, sed quoniam omne per accidens tale reducitur ad id, quod est per se tale, ideo si motus localis calefacit, calefaceret, alio motu locali per se, & tunc peterem de hoc alio motu, vtrum calefaciat, & quo motu calefaceret, & sic de alijs, vnde res abiret in infinitum, quare & si Buccaferreus ipse contra se ipsum dubitat, non tamen soluit, vnde quid dicat non habet, atque ignorat. Vt hinc etiam pateat toto cælo aberrasse Telesium libro primo de rerum natura iuxta propria principia capitulo octauo, vbi motum à calore produci, & motum esse caloris operationem autumauit friuolis quibusdam rationibus, quas breuitatis gratia ommittimus. *Cōfutatur Buccafer⁹.* *Telesius toto errat cælo.*

De

De somno, et vigilia.

Theorema XV.



On est cur multa de somni commoditatibus dicamus, clarissimum enim est quam plures esse eius vtilitates, nam corpus calefacit, membra corroborat, concoquit humores, calorem naturalem adauget, corpus pinguefacit, aufert animi ægritudines, molestiasque mentis placat, & ventriculi etiam concoctionem iuuat, vt non immeritò Poeta dixerit.

Somne quies rerum placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasque labori.

Sed hæc sat sint de somni vtilitatibus, maiora petantur ex Arist. interpretibus. Breuiter tamen de eius essentia, causis differentijs, quantitate, & qualitate dicatur. Multæ somni diffinitiones circumferuntur, aliter Poetæ vt Virgilius, & Ouidius, & Homerus, qui somnum vocat κασίγνητον θανάτȣ. Ouidius inquit.

Quid sit somnus ex Poetis.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Quid ex Philosophis

Aliter Philosophi antiqui somni essentiam naturamve rimati sunt, vt Alcmeon, Empedocles, Diogenes, Plato, & stoici, de quibus omnibus videndus est Argenterius in sua præfatione de somno, & vigilia.

Nos autem his ommissis Arist. & Gal. Philosophiæ, & Medicinæ lucernas insequemur. Arist. libro de som. & vigilia cap. 2. inquit esse somnum cessationem, seu quietem sensuum interiorum, & exteriorum, & motus Gal. 2. Aphor. 1. & 3. de caus. pulf. cap. 9. inquit esse reuocationem caloris naturalis ad cor, & spiritus animalis ad cerebrum. Arist. definiuit per essenriam, seu formam, Gal. per causam efficientem. Quare Arist. diffinitio formalis est, nam essentia, formave somni quies est, seu cessatio, sed quoniam omnis forma habet suam causam efficientem, per hanc doctissimus Gal. diffiniuit, nam ideo somnus est quies, vel cessatio, & c. quia calor, & spiritus reuocantur ad intro. Paulus verò libro 1. cap. 97. & formalem, & efficientem causam somni tetigit, dum inquit, somnum naturalem esse quietem virium animalium, ex vtili humiditate cerebrum madefaciente, prouenientem, in qua quidem diffinitione omnia sunt quatuor causarum genera, vt optime Saluus Sclanus aduertit lib. 3. art. med.

Duplex est causa somni.

Verum circa causam efficientem somni rem magis ad viuum resecemus. Vnde sciendum est, quod duplex esse potest causa somni, vt rem ad methodum reuocemus, altera est ex parte alicuius causæ positiuæ impedientis, & occludentis meatus, quibus meatibus spiritus communicantur sensibus, quæ causa triplex est ex Arist. libro de som. & vigilia, scilicet vapor cibalis, & humoralis, & vapor, qui ex colliquamine producitur. Ex cibo enim ratione caloris naturalis eleuantur in cerebrum vapores cibales dicti, qui cerebri frigiditate incrassati vias spirituum occupant, atque præcludunt, & accidit somnus naturalis, quem in dies nos experimus. Secundus vapor dicitur humoralis, & erat secunda causa efficiens somni, ex humoribus enim animalis actione caloris eleuantur subtiles vapores in cerebrum, qui etiam ob frigiditatem cerebri incrassati vias occupant, atque angustant, & somnum inducunt, qui non est naturalis somnus, vt in quibusdam morbis accidit. Tertia causa somni erat vapor ex colliquamento productus, quando nimio labore partes aliquæ subtiles fiunt, ascenduntque in cerebrum, & somnum faciunt. Altera somni causa non est vapor, sed multiplex impedimentum spirituum, quod sine vapore potest contingere.

Primò ex imbecillitate caloris naturalis, qua spiritus interni resoluuntur, & motu suo priuantur, concitatur somnus, quamuis si rectè philosophari velimus non propriè dicatur somnus.

Secundò ex labore nimio, quo spiritus resoluti interius confugiunt, tamquam ad arcem, vt reparentur.

Tertio ex nimia attentione mentis, eosdem spiritus ad partes internas retrahentes.

Quarto ex attentione alicuius sensus, vt accidit quandoque dormire in cantilonis, & melodijs.

Quot ad efficiendum somnũ concurrunt.

Quæ nam igitur sunt, quæ ad faciendum somnum necessaria sunt?

Respondeo hæc omnia, vapores, calorem ipsos eleuantem, frigiditatem ipsos condensantem, ipsos etiam opprimentes viam spirituum, qui caput grauant, somnumque inducunt, & ob contrarias causas fit ipsa vigilia, de qua cum oppositorum sit eadem disciplina, teste Aristot. non est cur multa dicamus.

Dubitatio. Solutio. Causa materialis sõni. Causa finalis.

Sed antequam vlterius procedamus curiosè dubitabis, in quo prædicamento somnus, & vigilia sunt collocandi? Breuis esto responsio, quod scilicet sit in prædicamento relationis, nam somnus est priuatio, vigilia verò habitus, habitus vero, & priuatio sunt in prædicamento ad aliquid. Causa materialis somni est cum Gal. cerebrum, & cum Arist. cor, vtrique suis fundamentis innituntur, de quibus plura diximus theoremate 4.7.1. libri. Causa finalis somni est quies, & concoctio, nam omne quod defatigatur indiget quiete, causa etiam finalis somni potest esse ipsa vigilia, nam homo est natus ad agendum, sed quia animal non potest semper agere, & vigilare, ideo datus est somnus.

Sed

Sed quotuplex est somnus? Multiplex est, primò alius est somnus naturalis, alius è contra, naturalis est, quando animal adiuuatur à somno, eique noxam non infert, non naturalis è contra, in quo scilicet animal læditur, vt in morbis frigidis cerebri, Lethargo, Comate, caro, & c. Alius est somnus nocturnus, alius diurnus, sed nocturnus magis laudatur ob plura, tunc propter caloris, & spirituum resolutionem, quæ facta est in die, quæ restauratione indiget, tum etiam ob aeris frigiditatem, quæ somnum conciliat, est autem in nocte maior frigiditas, quam in die, diurnus valde improbatur etiam à Platone in phædro, vbi habet in meridie non esse dormiendum, & Schola Salerni inquit,

Somnus est multiplex.

Nocturnus laudatur ob plura.

Diurnus improbatur

Surgere post epulas, somnum fuge meridianum.

Quamuis in hoc multum consuetudo possit. Qui enim ita ab ineunte ætate sunt assueti, minimè læduntur, cum vsus conuertatur in naturam, vnde rectè dicebat Cordubensis Auer. libro 1. physic. 69. consuetudo est altera natura. Si quando vero ob consuetudinem, vel ob aliam necessitatem in meridie dormire contingat, sat erit dormire super aliquam sedem, cum capite eleuato, vel saltem parum ad latera vergente, fugaturque.

Lectulus mollis, nimiumque durus.

Sed cur diurnus somnus est adeo corporibus noxius? An quia à somno diurno impeditur valde concoctio, & calor naturalis ob varium motum nunc intro foras, nunc foris intro valde debilitatur? Vt ob id dixerit Aristotel. part. 2. problemare 30. diurnum somnum calorem naturalem corrumpere, nam retinentur excrementa, quæ regurgitantia super calorem naturalem sui qualitate frigida, & humida relaxantia ipsum extinguunt, idem etiam Auic. 3. 1.

Vt hinc etiam dixerit Galen. vnum valde notandum libro 6. epid. comm. 4. test. 20. minus debilitare continuatam vigiliam, quam somnum intercisum, & interpollatum ob motus contrarios nũc intro foras, nunc foris intro. Sed difficultas non contemnenda quidem emergit, an omnes operationes quiescant in somno.

Dubitatio. Solutio.

Respondeo cum Gal. libro 3. de caus. puls. cap. 9. omnes ligari facultates. Sed hic sunt multæ dubitationes, quæ theoremate sub sequenti de insomnijs discutientur. Dices quando dormiendum? Respondet Hip. 6. epid. illis aureis verbis, labor cibus, potus, somnus, venus, omnia symmetra, quare post cibum per vnam, vel duas horas dormiendum est. Situs autem dormentium ex Hipp. lib. 1. prognost. 13. & 14. damnatur supinus, pronus quandoque laudatur in ijs, qui imbecilliter concoquunt, melior situs est in latera ex Auic. libro 1. fen. 3. doc. 2. capit. 16. & præsertim in latus dexterum, & ante Auicen. oculatissimus Arist. 6. parr. problem. probl. 5. idem fassus est, Auic. tamen inquit ob id in dextrum latus esse cubandum, vt cibus ad ventriculi fundum citius descendat. Notandum tamen ex Conciliatore diff. 127. si post cibum parum, & lentè spatiamur hac re non est opus, & ita tuto in quodlibet latus dormire possimus.

Quãdo dormiendum. Quis situs.

Obijcies cur somnus est periculosus in omnibus inflammationibus internis, præsertim in angina? An quia confugit calor ad intro, & sic maior fit inflammatio? Tandem dubitabis, si quis est ægrotus, qui diarrhæa laboret, quo situ dormire debet? Respondetur super sinistrum latus, nam os ventriculi est supremum, & sic non ita facile excitantur fluxus. Quantum verum dormiendum sit ex propria vnius cuiusque natura, variaque complexione, & anni tempore manifestum fit, semper tamen rerum excessus sunt vitandi, nam superfluus somnus frigefacit, calorem naturalem, parum vegetum efficit, generat humores phlegmaticos, torpidos, pigros, graues facit homines ex longo, & superfluo somno mittuntur ad caput vapores, vnde fiunt destillationes varię, & non solum corpori, sed etiam animo obest, vnde aptus est inducere homines ad asma, epilepsiam, apoplexiam, paralysim, & stuporem, vt rectè Cato dixerit.

Obiectio. Solutio.

Obiectio. Solutio. Somni quãtitas.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.

Tempus autem magis particulare ipsius somni ex Gal. petatur libro 6. de san. tuen. cap. 5. vbi vel septem, vel octo, vel nouem horis ad summum esse dormiendum præcepit, donec facta fuerit prima, & secunda coctio, signum autem ex Gal. libro 2. de san. tuen. cap. 2. peractæ coctionis est vrina subrufa, siue sufflaua, & pallida, & hæc de somno.

De Insomnijs.

Theorema XVI.



Voniam maximam habet similitudinem, & cognationem tractatio de insomnijs cum somni contẽplatione, ea propter somni theoremate absoluto, ad insomniorum naturam ascendamus, quæ quidem est contemplatio satis vtilis, & proficua medicinæ, morborumque curationi, & ipsorũ præsagijs. Hip. enim lib. 3. de morbis vulg. in principio, inter cętera signa morbos cognoscentia ponit insomnia, quod plurimis exemplis in com. confirmat Gal. nec non lib. 2. de nat. hum. text. 2. quinimo ipsemet Gal. loco supra citato, & lib. 14. meth. med. c. 8. & lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. vltimo multa peregit, vel ad morborum curationem conducentia, vel ad aliquam actionem peragendam.

Maximè præstat. sõnia cognoscere.

Idem etiam Hippocr. Si modò tamen fuit Hip. hic liber, libro de in somnijs in principio habebat, quod quicunque somnia rectè iudicare nouit, magnam sapientiæ partem nouit. Quare de insomnijs contemplatio haud erit ab re. Nos autem prius eorum existentiam non esse abnegandam putamus, quinimo insomnia inficias ire sensata, & manifestissima esset negare, dicebat Auer. in paraphrasi de insomnijs.

Quinque somni acceptiones ponit Macrobius.

Quoniam verò multę sunt somniorum acceptiones, ideo nos prius statuamus, nostrum theorema verificari tantum de illis somnijs, quæ dormientibus accidunt, varia, atque diuersa, & horum nobis erit explicanda natura, missas facientes alias acceptiones somniorum, quarum quinque posuit Macrobius libro 1. de somno Scipionis scilicet somnium, quod græcè dicitur ὄνειρος, & insomnium dicitur ἐνύπνιον, visionem, quæ græcè dicitur ὅραμα, oraculum, χρηματισμὸν, visum græcè φάντασμα, quas inter se distinxit, nos autem vt diximus has differentias missas facientes, de illis somnis supradictis verba faciemus, negligentes has omnes differentias tamquam grammaticales. Sed antequam ad somniorum essentiā, naturamve, & generationis modū accedamus, non nulla sunt prius supponenda ex mente Philosophi.

Quatuor aurea supposita somniorum notitia.

Primum suppositum sit, intellectum nil posse intelligere, quin illud prius sub sensus cognitione non ceciderit, sensus itaque necesse est, vt moueantur ab externis obiectis rerum sensibilium. Fit autem ista sensatio ex receptione specierum, seu formarum ab ipsis obiectis, quæ receptio fit in materiali modo, vt Arist. inquit libro 2. de anima 121. vbi id ipsum exemplo ceræ, quæ sicut in se recipit sigilli formam, & non materiam puta ferrum, vel aurum, quoniam sigillum non ratione materiæ, sed ratione formæ in ceram agebat, sic sensus patitur ab obiectis in quantum recipit ipsa absque materia, recipit enim subiectorum accidentia non perceptis subiectis secundum se, vt visus percipit coloratum ratione coloris, sed non ratione corporis secundum se, & sic in cæteris.

Tres sunt sensus interni.

Secundum suppositum est, præter hosce sensus externos, qui quinque numero sunt, dantur etiam sensus interni, de quorum numero, quamuis sit maxima controuersia inter præstantissimos Peripateticos, illud tamen nos affirmare non erubescimus, vt tempus patitur, ipsos esse tres, memoratiuam facultatem, sensum communem, atque ipsam phantasiam, seu imaginationem. Dicant tamen alij quicquid sibi velint de æstimatiua in brutis, & de cogitatiua in hominibus discurrente à noto ad ignotum. An verò sint istæ duæ concedendæ, & admittendæ distinctæ a phantasia, sensu communi, & memoria, non est cur in præsentia disputemus, cum nostra in immensum excresceret oratio.

Contra Auer.

Illud tantum in Auerr. dicere non supersedebimus, stultum admodum ac philosopho dignum non esse, sensibus contribuere discursiuam facultatem, cum hoc sexcentis in locis Arist. tantum intellectiuæ virtuti discursum ponenti, refragetur. Addimus etiam (si placet) Arist. nunquam verba fecisse de tali æstimatiua, atque cogitatiua. At si quando de cogitatiua mentionem fecit, distinctam tamen illam ab imaginatione non existimauit. Sensus ipse communis eam habet rationem ad quinque sensus externos, quam habet centrum, quod est vnum ad quinque lineas, est enim tamquam ipsorum radix, atque principium, & comparat inter se plurium sensuum obiecta, ac illorum discrimen cognoscit, non operatur tamen nisi præsente obiecto, quemadmodum neque ipsi sensus externi. At imaginatiua res absentes potest imaginari, necessarium tamen est eam fuisse primò motam ab aliquo externo sensibili, postquam vero semel apprehensit, ac idolum in memoria impressit potest illud idem imaginari, etiam absente obiecto materiali. Memoriæ munus est imagines causatas ab obiectis sensuum exteriorum retinere, ac conseruare, & ob id ipsa dicitur imaginum conseruatiua, & imaginatiuæ quodam promptuarium.

Tertium suppositum est, species causatas ab obiectis seruari, & retineri à memoratiua facultate. Animaduertendum tamen est, species istas causatas ab obiectis, & seruatas in ea parte cerebri, vbi viget memoria scilicet in occipite, deferri ad eam partē cordis vbi imaginatiua est, si volumus cum Arist. Philosophari, vel cum Galen. & melius feruntur ad ipsum cerebrum, quod est sedes sensuum internorum, fit autem ista delatio specierum à spiritibus, deinde imagines illæ fluxæ, & excitatæ à spiritibus, & ab imaginatione complicatæ causant somnium.

Quartum, & vltimum suppositum est, has species, seu istas imagines esse ipsasmet res visas in somnijs, & non esse rationes videndi cuiusmodi sunt imagines respectu sensuum exteriorum, species enim, quas comparat sibi sensus externus ab obiectis externis sunt rationes videndi, & non res visæ, cuiusmodi sunt in sensibus internis, quando fit in somnium. His visis ad somnij essentiam, naturamque accedamus.

Somnium quid.

Somnium cum Arist. diffinitur esse phantasma in somno ex commotione imaginum rerum sensibilium causatum in ipsa imaginatiua.

Pro explicatione istius diffinitionis animaduertendum est, genus in hac somnij diffinitione esse ly phantasma, seu visio, & apparitio, somnium autem est apparitio, non autem conuertitur, differentia in hac diffinitione est illa dictio (in somno) quæ dictio posita est non ob aliud nisi vt excludantur apparitiones, quæ fiunt in vigilia, nam apparitio illa, seu imaginatio, seu somnium illud, quod fit in vigilia differt ab illo somnio, quod fit in somno, nam apparitio illa de die est sine deceptione.

Causa efficiens somnij.

Si enim ipse vigilans imaginor Socratem equitantem, equidem me non latet, hoc esse falsum, at somnium, quod fit in somno, quamuis est imaginatio, est cum deceptione. Causam effectricem somnij iam patet esse commotionem specierum, species enim conseruata in memoria opera spirituum fluentes ad eam cordis partem, vbi imaginatiua est, vel ad illam cerebri partem cum Gal. vbi imaginatiua est, causant somnium, at non sufficiens est iste fluxus specierum ad generationem somnij, nisi istæ species commoueantur, agitentur, & excitentur, seu à perturbationibus, & animæ sollicitudinibus, quas in vigilia animal patitur, seu a nimia superabundantia spirituum. Hac facta commotione fiunt somnia, & vt varia, atque diuersa est complicatio specierum, ita varia, atque diuersa fiunt somnia.

Vt hinc fiant aliquando somnia ingrata, & monstruosa, & aliquando grata. Tunc fiunt somnia monstruosa, quando franguntur species fluentes à memoria ad cor cum Aristotel. vel cum Galen. à memoria ad imaginatiuam, seu à nimia ebullitione sanguinis, seu à vaporibus ascendentibus, & perturbantibus species, & spiritus. *Cur fiunt aliquando somnia grata, & aliquando ingrata.*

Tunc autem species illas factas, ac perturbatas complicat imaginatiua simul, & sic nos aliquando somniantes videmus, leonem caput habentem hominis, vel alterius animalis, & ista sunt somnia monstruosa, fiunt verò somnia grata, quando motus humorum est finitus, nec est vaporum tanta ascensio, quod exemplo de aqua commota commodè manifestatur. Si enim aqua verbi gratia cisternalis quieta est, & immota manet, tunc cum nos in illam prospicimus imagines rectas, & vt in nobis sunt apparebunt, si verò paululum aqua commoueatur, tunc imagines nostræ distortæ, & turbulentæ apparebunt.

Quod similiter accidit in insomnijs vt supra dictum. Animaduertendum, quod si vehemens est commotio imaginum, & magna vaporum ascensio, & magna sanguinis ebullitio, tunc non fiunt somnia. *Multoties non fiunt sõnia.*

Hinc soluitur pulchrum problema, vnde est quod pueri non somniant? An ob vehementem sanguinis commotionem, & ob vaporum magnum ascensum, & ideo bene dicebat Aristotel. libro 4. de hist. anim. cap. 10. pueros vsque ad annos quinque non somniare, & si somniant non recordantur somniorum ex libro 3. de hist. animal. *Pueri non somniant.*

Soluitur etiam, & hoc aliud vnde nam est quod sunt quidam homines qui nunquam somniant. An similiter hosce tales esse veluti pueros, quibus multus vapor ascendit ad cerebrum ex alimento assumpto, ibi autem frigefactus, & condensatus tanto impetu descendit, vt confundat omnino imagines, vt in exemplo adducto de aquæ agitatione conspici facile potest. Ex his ergo patet somnium esse phantasma in somno ex commotione imaginum causatam. Modus quoque, quo fiant somnia ex his manifestus est, fluentes enim conseruatæ species in memoria à capite ad cor cum Aristotel. vel ab ea parte capitis cum Galen. vbi est memoria ad locum, vbi est imaginatiua, opera spirituum, & eædem species excitatæ, seu ab animæ perturbationibus, seu à super abundantia spirituum, & ipsæ etiam complicatæ, causant somnium, quod somnium cui insit, seu cuius facultatis sit affectio, quod erat vltima particula in diffinitione posita, iam iam explicare aggredior, cum igitur dentur sensus externi, interni, & ipsemet intellectus, & in dubium reuocatur, cuius nam istorum somnium erit propria affectio. Somnium sensuum exteriorum non esse affectionem sic vnica ratione monstramus. Prius tamen breuiter à nobis tria supponantur, alterum est, munus visus esse visionem, auditus auditionem, & sic de cæteris, alterum est, sensibilia, quæ à sensibus percipiuntur, esse tum communia, vt numerus, & figura & c. tum etiam propria, quæ non nisi ab vnica potentia percipiuntur, vt color à visu, & sic in reliquis. *Homines quidam nõ somniant.* *Generatio somniorũ.* *Somnium cuius facultatis sit affectio.* *Tria supposita.*

Tertium est animalia aliquo oblato impedimento sensibus, non sentire, vt clausis oculis animal non videt. Quibus stantibus sic erigatur ratio, vsus visus est videre, & sic de reliquis, vsus sensus exterioris est apprehendere, tum communia, tum etiam propria obiecta, qui etiam aliquod afferunt impedimentum sensibus non sentiunt, quare sequitur, somnium non esse videre, nec aliud cæterorum sensuum, nec esse somnium circa propria, & communia obiecta cum feriantur sensus, somnium igitur cum non sit sensatio, nullius sensus exterioris erit affectio. Somnium etiam non esse intellectus affectionem tribus rationibus demonstramus.

Prima, qui somniat non tantum percipit quidditates substantiæ, sed etiam accidentis, quidditates accidentis non possunt percipi absque sensibus exterioribus, qui vt experientia constat in somno feriantur, ergo in somnio non potest apprehendi quidditas accidentis, sed apprehenditur quidditas, & hoc non est per intellectum, cum nihil possit intellectus excogitare, nisi illud sub sensibus ceciderit, ergo somnium nullo modo est intellectus affectio, quod autem in somnio non solum substantiæ quidditas apprehenditur, sed etiam accidentis, inde probatur ab Aristotel. nam somnians, non solum apprehendit Socratem vt homo est, quod denotat substantiæ quidditatem, sed etiam apprehendit ipsum, vt est albus, vel vt est pulcher. *Somnium non est intellectus affectio.*

Secunda qui intelligit certo scit se intelligere, qui somniat vt plurimum nescit se somniare, ergo somnium non est intellectus affectio.

Tertia somnium est in animalibus brutis, vt libro 4. de histor. cap. 10. inquit Aristotel. vt equis, bobus, canibus, ouibus, capris, quibus nullum intellectus vestigium apparet, ergo somnus, non erit intellectus affectio. Dices quomodo Arist. dignoscere potuit hæc animalia bruta somniare? Respondetur ex experientia, canis enim dormiens latrat, & mouetur quasi sequens feras, & huic experientiæ attestatur ratio, nam quibuscunque memoria existit reseruatur imago rei sensibilis in ea, imagine vero mota, ac excitata opera spirituum causatur somnium, at canis habet memoriam, ergo. *Dubitatio. Solutio.*

Quid ergo dicendum? Dicamus somnium esse primi sensitiui affectionem, per primum sensitiuum intelligimus phantasiam, seu imaginationem, quamuis alij per primum sensitiuum sensum communem intelligant, sed rationibus, & auctoritatibus probatur, somnium esse phantasiæ affectionem.

Primò eiusdem potentiæ animæ, cuius somnus est passio, eiusdem potentiæ somnium erit affectio, sed somnus, vt inquit Aristotel. huius primi sensitiui est affectio, quod per nos imaginatrix facultas est, ergo eiusdem phantasiæ somnium erit affectio, & clarius, nam qua parte dormit animal eadem somniat, dormit autem, somnumque sibi conciliat communi, & principe sensu, ergo huius erunt insomnia.

Secundò cuius est componere imagines cum imaginibus, & intentiones cum intentionibus eius potentiæ somnium erit affectio, fiunt enim in somnijs tales complicationes, vt supra probatum, sed imaginatiuæ hoc videtur esse munus, ergo eiusdem erit somnium affectio.

Tertiò ex communi dominum consensu, nam somnium non est aliud, quàm phantasma, apparens in somno, phantasma vero refertur ad phantasiam, seu ad imaginationem, ergo. Tandem his attestatur Auer. in paraphrasi de in somnijs vbi dicit somnia siue vera, siue falsa imaginatione facultatis esse.

Quid alij senserint.

GRaues quidem insurgunt difficultates aduersus dicta, & primò contra somni diffinitionem, nam dictum fuit somnium esse phantasma, ex commotione, simulachrorum rerum sensibilium, sed hoc videtur falsum, nam est adhuc somnium abstractorū, & tamen hæc non habent phantasmata, ergo male diffinitum fuit somnium.

Secundò oppositorum est eadem disciplina, si ergo in somnij diffinitione cum Arist. facta est mentio de phantasmatibus in nocte apparentibus, ergo etiam facienda erat mentio de phantasmatibus in vigilia apparentibus, reperiuntur enim quam plura istorum de die facta vt legitur in vita Catonis Vticensis, cui Vticæ manenti fuit nuntiatum die tertia ante commissum certamen castra Scipionis capta fore Cæsare victore. Illud etiam dictum de Simonide præstantissimo Poeta fidem faciet. Hic enim duobus adolescentibus ipsum ad ædium ianuam magnopere acclamantibus, foras exiuit, ac neminem vidit, hoc interim spatio conclaue illud vbi ipse cum amicis epulabatur magno impetu decidit, omnesque sodales statim occisi fuere ipso superstite.

Tertiò principaliter arguitur contra vltimam particulam somnij, dictum enim fuit somnium esse imaginationis affectionem, sed contra, nam in somno verè fiunt intelligentię, quę non nisi partis intellectiuæ sunt affectiones, ergo non imaginatiuæ.

Quartò idem confirmatur, nam somniantes videntur componere, diuidere, ac discurrere, quæ omnia intellectus sunt, & non imaginatiuæ.

Quintò cur somnia frequenter melancholicis accidunt, cum tamen ipsi sint pauci sensus?

Sextò cur magis dormienti, quàm vigilanti fiunt somnia?

Octauò cur magis homini ignaro, quàm docto somnia immittantur?

Nonò an omne somnium sit cum deceptione? an sit ne aliquod verum, & aliquid ex ipso liceat præsagire? Sed adhæc quam breuiter respondeatur.

Responsiones ad argumenta.

Ad primum dIcimus quod licet substantiæ abstractæ per se non habent phantasmara, per accidens tamen habent, quando præsertim illas intuemur cum phantasmatibus, picturis, vel sculpturis, vel mixturis, vel aliquo quouis modo elaboratas.

Ad secundum dicerent Peripatetici illa omnia, vel esse fictitia, & vana, vel supra caprum humanum, vt libro de diuinat. per somnia inquit Arist. de oraculis, & alijs vaticinijs, vel illa ad atram bilem referrent, cum igitur illa omnia non sint scientifica, nec ex sensibus pendeant, non est mirum si Peripatetici, vel paruam, vel nullam illis rebus fidem præstant, & ideo de illis non est facta mentio in diffinitione insomnij.

Ad tertium duplex est somnus, alter simpliciter, alter secundum quid, somnus simpliciter est, quando perfectum, & exactum est vinculum sensuum exteriorum, & interiorum, quod procedit ex multa copia assumpti pabuli euaporantis, & petentis sursum, & in tali somno nulla facultas operatur, & tunc ipsemet intellectus quiescit, & reconditus manet, somnus vero secundum quid est ille, qui nec est statim post repletionem, nec post inanitionem, sed in media quadam dispositione, in quo somno tunc intellectus vigilat, cæterique sensus interni possunt operari, & de hoc somno secundum quid loquebatur diuinus, & venerandus senex Hippocr. in principio libri de insomnijs, quando dicebat, quod ipsa cum corpus quiescit est in motu, ac vigilat, & corporis partes perrectans domum suam gubernat, & omnes corporis actiones ipsa perficit, nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, animaduertit, tristatur & c. qua stante distinctione, & tertium, & quartum soluuntur argumenta, nam in somno secundum quid concedimus intellectum operari, verum non sine imaginatiua, quare primariò somnium est imaginatiuæ affectio, secundariò vero ipsius intellectus, quia cum imaginatiua concurrit, sed quoniam vt plurimum fiunt somnia, vbi intellectus non concurrit, ea propter dicimus non esse intellectus affectionem ipsa somnia, sed imaginationis, nam in somno simpliciter non concurrit intellectus, & illi discursus, qui quandoque fiunt in somno non debent dici vere in somnia.

Ad quintum respondetur quia melancholici sunt flatuosi, & flatus ille ascendens agitatur per corpus, & mouet spiritus animales deferentes simulachra, & imagines.

Ad sextum respondetur, quoniam imagines fortius mouent in nocte organa dormientis, quàm vigilantis, & obiecta maiora sunt in nocte, quia paruus strepitus dormientibus videtur tonitruum, inquit Arist. quoniam vero sensibilium imagines exiguæ sunt in die, ideo dormiētibus magis, quàm vigilantibus apparent insomnia.

Ad septimum respondeo cum Aristotel. 30. part. problem. problem. decimotertio, quod post repletionem minorantur somnia ob vehementem motum, ac vaporum ascensionem, anima enim tunc recondita quiescit tota cum suis potentijs, minorantur somnia ob vehemenrem laborem, spirituumque dissolutionem, maxime vero fiunt somnia in media nocte, fiunt adhuc tempore matutino, sed non ita frequentia, quæ dicebat Aristotel. libro quarto, de histor. animalium capitulo decimo, sunt plerumque vera, omnes enim tunc cogitationes quiescunt, & motus humorum sunt finiti.

Somnia matutina sunt vt plurimum vera.

Huc

Huc vergit illud antiquissimi Poetæ Orphei dictum de somnijs Auroræ, quę veridica sunt vt plurimum.

Ad octauum an quia homo ignarus, & fatuus curis, & cogitationibus vacat, & eius imaginatiua vacua est, imaginatiua vero hominis docti plena est multarum cogitationum, multarumque specierum, & motus fortiores, qui sunt in ea excludunt debiliores, & ob id in hominibus ignaris non impediuntur in somnia.

Ad vltimũ, Arist. libro de diuinatione per somnia reducit omnia somnia ad tria capita, ad somnia vt causa, ad somnia, vt signum quodam, & ad somnia, vt accidens fortuitam, ita vt triplex sit somnium, scilicet animale, naturale, & fortuitum, verum quia obtruncatim loquitur, nam dantur somnia etiam à Deo, & ab Angelis, tam bonis, quam malis secundum fidem nostram, hoc etiam testante Homero, Platone, & Galeno libro 1. de rat. vic. in morbis acutis, nam somnia ἐκ Διός ἐστιν. Vnde plura dantur somnia, quam Arist. conscripsit, scilicet somnia, animalia, naturalia, fortuita, diuina, & demoniaca. *Quot sunt somnia.*

Verum vt clarius ad propositam difficultatem respondeamus, breuibus rem complectemur, duplex datur somnium, pro nunc dimisso, fortuito, quod quandoque verum est, & dimissis dæmoniacis somnijs, & visionibus diuinis, quæ verissimæ sunt dijudicandæ secundum Catholicam fidem, quæ à Poetis somnia ἐκ Διός dicuntur, vt fuere somnia Iacob, Iosephi, Danielis, Pharaonis, Nabuchodonosoris, hæc enim somnia continent non res friuolas, non plebeias, sed publicas de administratione regnorum, imperiorum, de gubernatione Ecclesiæ, & similibus, duplex inquam his dimissis datur somnium, alterum est somnium naturale, & hoc vocat. Aristotel. somnium vt signum, quod valde considerant Medici, vt Hip. & Gal. & alterum est somnium animale, somnium naturale est illud, quod ex dominio complexionis humorum contingit, quorum somniorum Hippocr. affert curationem libro de in somnijs, & Galen. libro 2. de hum. text. 2. inquit hæc somnia naturalia solent corporis affectionem, & humorem redundantem in corpore significare, si quis enim inquit se videre incendium putet, res citrinas, volatus, rixas, rumores, & id genus similia, hunc flaua bilis vexat, si imber ei videatur, nix, frigus, grando, glacies, & stupor, scito frigiditatem, & humiditatem redundare, si vero quis res sanguineas, & delectabiles videbit, ac in conuiuijs versari, gallorum cristas videre, ille sanguinem in prædominio habebit, si vero humor melancholicus prædominatur, tunc res nigras, per terrentes, ploratus, casus, & loca mortuorum videre putabit, qui verò se in fætido loco esse putat, corruptelam subesse humorum indicabit, & si quis caliginosus videat, aut tenebricosis in locis versari videatur, flatus in eo esse argumento erit, sic qui res venereas somniat rem scilicet habendo cum aliqua, aut nocturnas patitur pollutiones, aut quid aliud simile seminis habere abundantiam significat. *Sonium naturale quod sit. Sõnia quæ corporis biliosi. Somnia pituitosi. Sanguinei. Humoris melancholici. Somnia putredinis. Libidinosi somnia.*

Quinimo doctissimus Galen. libro 1. de morb. vulg. com. 1. in principio dicebat habendam esse rationem temporum somniorum, an scilicet in principio accessionum, aut in vigore, aut aliquo tempore, atque si à cibo, & tali statim, aut sine cibo. Multum enim refert hæc cognoscere tempora, namque qui se niue putet conspergi, idque sub accessionis initium vna cum rigore, vel horrore, vel algore accidere sibi imaginetur, tempori id potius, quam affectui corporis est attribuendum, at verò si eiusmodi in somnium videat in febris remissione fidelius præbet argumentum frigidorum. Longe etiam magis, si nihil comederit ante ciborum pituitosorum, nam dum illi in ventre continentur potest talem habere quis imaginationem vt assimilis non sit corporis totius status.

Hæc igitur somnia naturalia veritatem habent vt plurimum, & quasi semper, & Galen. multas recenset historias libro de curat. rat. per sang. miss. & libro 14. method. meden. à patre etiam ipse fuit admonitus, vt medicinæ operam nauaret, cum id per somnium nocte vidisset Auicen. de splenetico non nulla narrat, & Hippocr. horum somniorum in animalibus venientium exactam docet curationem. *Naturalia somnia veritatem cõtineat aliquam.*

Vnde maxime miror M. Tullium Ciceronem, qui libro 2. de diuinatione per somnia, omnia somnia esse vana dixerit. Somnium verò animale illud est, quod ortum ducit ex multa animi sollicitudine circa quædam in vigilia, nempe circa animi perturbationes, & alias curas, & vitæ actiones, & artes diuersas, sic famescenti rapræsentantur nocte cibi, sitienti fontes, strepitus concertanti, arman tis res armatæ amanti res amata, & vt inquit Claudianus. *Somnium animale.*

Iudicibus lites, auriga somnia currus.

Et hoc somnium animale dictum, vt plurimum, & semper cum deceptione est, & parum habet veritatis, est enim magis illusio quædam eorum, circa quæ anima fuit sollicita, & occupata in vigilia, & præsertim circa diem, & hinc est, quod maxime, & vt plurimum ea somniamus quæ recenter egimus, quæ de nobis, & maxime notis negotiamur, & iuxta hanc somnij animalis acceptionem verificatur illud commune dictum.

Somnia ne cures, nam fallunt somnia plures.

Et illud Catonis.

Somnia ne cures, nam mens humana, quod optat
Cum vigilat sperans per somnum cernit idipsum.

Huc vergit quod à Mose præceptum est, ne somnia obseruentur, & in Ecclesiastico dicitur, multos errare fecerunt somnia, quam vis diuina, & naturalia non sunt excludenda, nam veritatem attestantur. Hic multa derelinquimus magis particularia de somnijs, quemadmodum quid significat videre Solem, Lunam, astra lucida, vel obscura, a mortuis aliquid accipere, vel aliquid eis erogare, & sexcenta alia, de quibus consulendus diuinus senex Hippocrat. nam multa dicit notatu digna,

O 3 illo

illo aureo libello de insomnijs, quæ fortassis naturæ limites non eccedunt, quemadmodum sunt irridendi gentilium quamplures teste Ioan. Francisco Pico Mirandulano libro 6. de rerum prænotion. cap. 7. & 8. vt Synesius præsertim Platonicus, qui multa superstitiosa de somniorum interpretatione conscripsit.

De excretis, et retentis, & primo de concoctionibus, & quid sit concoctio.

Theorema XVII.



Ix excrementorum naturam cognoscere vnquam poterimus, si nos latuerit prius, quid sit ipsa concoctio, quotve eius species fuerint, cum enim ex libro 3. method. med. cap. 3. omnis concoctio excrementa habeat, non rectè de excrementis conscribere possumus, nisi prius calleamus naturam coctionis, eiusque differentias. Eapropter antequam ad fæcum, vrinarum, & sudoris naturam, causas, & differentias accedam, non ab re prius fore duxi, si quot sint coctiones, & quid prius ipsa coctio sit, determinauero. Coctio igitur si naturæ lumen peripateticæ disciplinæ principem Arist. consulamus ex libro 4. metheor. text. 14. est perfectio, græcè τελειότης à naturali, & proprio calido ex oppositis passiuis, quomodo autem concoctio perfectio sit, tùm inductione, tùm etiam ratione probat Arist. loco citato; Inductione in text. 15. nam quæcunque concoqui communiter dicimus, ea antequam concoquantur imperfecta conspiciuntur, sed coctione fiunt perfecta, vt patet in arborum fructibus, & in cibis assumptis. Ratione, nam coctio est via ad finem, qui perfectum quippiam à Philosophis decantatur, quare concoctio perfectio est à calido, & hoc tùm inductione, tùm etiam ratione probatum est ex Arist. sententia, sed quomodo hæc diffinitio sit intelligenda, quis ve sit verus Arist. sensus hucusque inter interpretes non satis constat, nos autem vt rem ad viuum resecemus, dicamus in hac diffinitione adesse formam, efficientem, & materiam, forma est ly perfectio, nam in accidentium diffinitione, vt habemus ex physicis, & logicis præceptis, genus formæ locum tenet, efficiens est, naturalis, & proprius calor, materia sunt qualitates passiuæ.

Coctio quid.

In hac re tamen non possum non admirari Mercenarij oscitantiam in impugnando Buccaferreum, namque Buccaferreus exponens Aristotel. tex. 15. in diffinitione coctionis dixit cum Aristot. quod cum aliquid plenè concoctum fuerit, perfectum dicitur, & factum, ergo si concoctum perfectum est, ergo concoctio perfectio est, nam à concretis ad abstracta, vt inquit Scotus vniuersalium primo, quando est prædicatio per se valet consequentia, quare explicans Buccaferreus dixit, quoniam id, quod potentia erat, iam actu effectum est, vt potè quod erat potentia caro, cum concoctum est in fine coctionis est actu caro. Hanc probationem, seu exemplificationem Mercenarius impugnans dixit alimentum cum iam concoctũ fuerit, non est caro, aut ossa, sed est sanguis, qui postea in substantiam carnis commutatur, nam in ventriculo inquit Archangelus alimentum fit chylus, non caro, & in hepate nec etiam est caro, quare reprehendit in hoc illum quod, quod Buccaferreus vocat coctionem est nutritio.

Oscitantia Mercenarij.

Verum si sana mente Buccaferreum intellexisset, non sic gratis fuisset in illum locutus, namque Buccaferreus exemplificauit, sed exemplorum non est exquirenda veritas, inquit Auer. libro secundo de anima. Deinde etiam in nutritione quo pacto alteratur, ac perficitur alimentum, scilicet ipse sanguis, nec Buccaferreus loquitur de coctione, quæ fit in ventriculo, & hepate vt ipse impugnat, sed de completa, & vltimata, quando alimentum factum est sanguis, & est in naturam carnis, & ossis iam iam transeundum, quare siue hanc voces nutritionem, siue assimilationem, seu largo modo concoctionem parum refert, nec erat sic gratis Buccaferreus impugnandus, cum alibi hic distinxerit, inter nutritionem, & concoctionem.

Sed calamum quæso conuertamus ad diffinitionis coctionis exactiorem intelligentiam. Sciendum igitur est ex Olympiodoro grauissimo Aristotel. interprete, quicquid diminute dicat Alexander, terminum coctionis esse humidi consistentiam, atque crassitiem, cum enim humidum acquirit consistentiam, & crassitiem, tunc coctio est, & propriè est humidi terminatio, nam resoluto humido superfluo, alimentum iam perfectum, & concoctum est, vt inquit Olympiodorus, sicut econtra in concoctio scilicet interminata humiditas ex libro 4. metheor. tex. 20.

Quare concoctio est perfectio scilicet terminatio, & consistentia humidi existentis in alimento, per quam alimentum nutritioni vtile est factum, & hoc voluit dicere Galen. libro primo, de humoribus 3. & libro primo epidem. com. 2. text. 44. quod concoctio est deductio quædam, eius quod concoquitur in naturam concoquentis. Aristotel. etiam addidit, coctionem esse perfectionem ex oppositis passiuis scilicet sicco, & humido, quæ verba Aristotel. multipliciter exponi possunt. Mitto nunc breuitatis gratia Alexand. expositionem, quæ non est contemnenda, nam ipse exponit de materia coctionis, quæ materia opposita est, vt cibus in principio est contrarius, deinde in fine similis, vt dixit Aristotel. libro secundo de anima, & nos supra.

Solum illam expositionem, quæ Olympiodori est, amplectimur, scilicet concoctio est perfectio à calido & c. ex passiuis oppositis, scilicet humido, & sicco, quæ inter se contraria sunt, & opponuntur frigido, & calido, & simili loquendi modo vsus est in libro 1. de generat. & corrupt. dum generationem diffiniuit.

Olympiodori expositio optima est.

Sed

Sed circa hæc notandum est præcipue vnum, nam in coctione licet, & humidum, & siccum concurrant, tamen præcipue humidum coctionis est materia, nam Arist. cap. de concoctione inquit, coctio est terminata humiditas, siccum vero eatenus materia coctionis est quatenus humidum absque sicco terminari non potest ex Arist. 4. metheor. 21.

Obiectio, et Solutio. Sed dices, quæ nam est causa efficiens coctionis? Respondetur, animam esse efficientem immediatam, verum mediatam, & instrumentariam calorem naturalem, in ventriculo est calor internus viuentium, in rebus, quæ concoquuntur ab arte est externus, vt vel ignis calidus, & siccus, vel aqua calida, & humida, nam elixatio, & assatio sunt coctionis species.

Potissimum autem Arist. libro 4. metheor. definiuit coctionem viuentium, vt rectè Franciscus Vicomercatus com. 18. aduertit, calor ergo naturalis est causa instrumentaria coctionis. Hinc nos videmus, ea minime concoquere, quæ naturalis caloris nihil habent, parum autem quæ parum, multum, quæ multum.

Hinc ventrem frigidum habentia animalia difficilius concoquunt, & hyeme, & vere meliorem coctionem fieri, quàm æstate scripsit lib. primo Aphor. Hip. Non est tamen negandum esse quamplura extrinseca, quæ non sunt causæ coctionis, sed illam adiuuant, vt libro 4. metheor. text. 15. dixit Arist. vt balnea, somnus, exercitatio, & c. Dices an sub hac coctione, quam ex Arist. mente diffiniuimus, comprehendatur coctio morborum? *Dubitatio.*

Solutio. Respondetur, quod sic, vere tamen intelligitur diffinitio de coctione viuentium, deinde possumus illam adaptare coctioni morborum, nam tunc morbi concoquuntur cum à naturali, & innato calore vincuntur, & eò citior, & melior fit concoctio, quo efficacius ab illo superantur morbi, & ob id morbificæ causæ concoctio sanitatem portendit, ac nullum est tutius bonæ crisis signum, quàm materiæ coctio, vt in epid. & libris de crisibus, sexcentisque alijs in locis scripserunt Hippoc. & Galen. Signum .n. est victricem fuisse naturam. Econtra si debilis, ac pusillus fuerit calor, succumbit, nullaque facta morbi coctione necessario subsequitur mors. Eodem pacto etiam dicimus, vrinam, & fæces concoctas, non enim hæc propriè concoquuntur, nam corpus non alunt, nec sunt alimenti pars, sed dicuntur quoquo modo concocta, nam arguunt naturalem calorem vegetum esse, ac superasse causam morbificam.

Ex his ergo concludatur, coctionem esse perfectionem à proprio, & naturali calore, seu consistentiam passiuarum qualitatum sub esse interminato existentium à calore in viuentibus interno, in non viuentibus externo, sicut econtra in concoctione, quæ erat à frigido, nam effectus contrarij arguũt causas contrarias ex 2. de generat. & corrupt. 56. & libro 4. metheor. text. 40. Sed aduersus allatam diffinitionem grauis oritur difficultas, nam dictum est, quod coctio est perfectio à calido passiuarum scilicet humidi, & sicci, idest concoctio est terminata humiditas, sicut è contra, inconcoctio est humiditas interminata, ergo humidi terminatio erit eius perfectio, sed contra, nam tunc humidum à propria natura recedit, nam humidum ex libro 4. metheor. 1. & libro 1. de generat. & corrupt. 8. est quod proprio termino est interminatum, illud ergo, quod à propria natura recedit imperfectum potius dicitur, quàm perfectum, quo fit vt coctio sit potius imperfectio humidi, & è contra inconcoctio perfectio. *Dubitatio.*

Responsio. Nisi esset humidum posse dupliciter considerari, vno modo absolute, & secundum propriam eius naturã, alio modo respectu nutritionis, & cõseruationis viuentis, cuius gratia fit concoctio, si primo modo, tunc humidi terminatio non est perfectio, sed potius imperfectio, vt probat argumentum, si secundo modo, tunc humidi consistentia perfectio est, nã fit perfectum, & vtile animantiũ saluti.

Secundo dubitatur, nam si ita res est, tunc coctio admistorum generatione non differret, nam hæc ex libro 4. methe. 2. est trasmutatio, passiuarumque terminatio à dominante calore super passiuas, quare vna, & eadem erit diffinitio coctionis, & generationis. *Secunda dubitatio.*

Solutio. Respondeo, dupliciter capi posse generationem, vno modo alteratione præcedente, alio modo pro formæ substantialis introductione, si primo modo sumatur coincidunt, nam generatio ita sumpta nihil aliud est, nisi transmutatio, passiuarumque trans terminatio à calore supra passiuas dominante, non secus ac concoctio, & vtriusque terminus intrinsecus consistentia humidi est, si secundo modo, differunt, nam terminus intrinsecus generationis est substantia, terminus autem coctionis est accidens ex Arist. libr. 4. metheor. 14. Finis enim coctionis est cum humidum tale fit, & tantum.

Tertia difficultas. Tertio, non differt coagulatio à coctione, nam ex lib. 4. meteor. coagulatio est humidi, consistentia per resolutionem humidi superflui à calore, non secus hac concoctio.

Respondetur concedendo coagulationem esse consistentiam humidi, & c. iterum differre à coctione, nam hæc à calore naturali, & proprio, & commensurato, coagulationem verò esse humidi consistentiam à quocunque calore, etiam intenso, & immoderato. De speciebus verò concoctionis, & inconcoctionis non est cur multa dicamus, nam nimis in longum nostra excresceret oratio. Si quid singulæ earum sint, docebimus, ac difficultates emergentes sedabimus, sat tantum erit si illas secundum breuem quamdam historiam enumerabimus. Tres sunt coctionis species, veluti etiam inconcoctionis, prima species coctionis ex Arist. lib. 4. meth. 14. græcè πέπανσις, i. maturatio, secunda ἕψησις, i. elixatio, tertia ὄπτησις, i. assatio, inconctionis ὠμότης, i. immaturitas, seu cruditas, μόλυνσις i. inquinatio, seu imperfecta elixatio, & στάτευσις, i. inconcoctio, vel inassatio, seu praua assatio. *Tres sunt species coctionis.*

Quot fiant coctiones in animalibus, et præsertim in hominibus.

Theorema XVIII.



CVm ex superioribus satis superque satis constiterit fuisse necessarium viuentibus alimentum, vt quod in dies deperditur, restauretur, & cum alimentū, etherogeneum sit, varijs, impuris, ac inutilibus partibus constans, quæ neque alere, neque viuentium substantiam fouere queunt, quare sordas, impurasq; partes, quæ excrementa vocantur secernere opus fuit, ita vt ex harum secretione, purius, ac syncerius alimentum, alendoque corpori magis idoneum reddatur, quod certè caloris ope per coctionem à nobis supra declaratam, perficitur, in instrumentis enim coctionis accidit, quod in tritico, quod defertur ad Ciuitatem, quod primò expurgatur à lapidibus, & terra, quæ cum illo erat per mista, postea expurgatur à palea, & denique à furfure, & hoc modo ad nutritionem vtile redditur dicebat Gal. libro 4. de vsu part. 1. 2. & 3. quod postea frumentum optime præparatum, & coctum post quam in ventriculum fuerit ingestum calor naturalis ipsum calefacit, & exagitat, & rarefacit, & attenuat, nec ista coctio fit à calido, & sicco squallenti, vt est febrilis, sed à calido, & humido vaporoso, nanque ex libro 3. de nat. fac. cap. 7. & libro 4. meth. med. cap. 14. coctio cibi, seu alimenti in ventriculo, est similis elixationi, quæ est species coctionis ex libro 4. meteor. Calor itaque concoquendo duo producit opera, alterum est, quod calor rarefaciendo inutiles, dissimilesque partes ab homogeneis secernit, vnde alimentum perfectius euadit, ex inutili quoquo modo vtile efficitur, alterum est, quod calor attenuando humidum superfluum resoluit, & partes, quæ aereæ sunt, & aquosæ euaporant, & proinde remanet humidum, quod magis solidum, & consistens est, quare facta secretione dissimilium à similibus, & humido superfluo resoluto alimentum iam est concoctum. Ex quo illud obiter adnotandum, frigus ad obeundam coctionem non concurrere, nisi per accidens, scilicet ad caloris contemperationem, & ad prohibitionem, ne foras exhalet calor, nam cum in concoctione iam puræ, inutilesque partes ab vtilibus separandæ sint, vt alimentum perfectius reddatur, id autem caloris proprium est, cum hic ex 4. metheor. 1. congreget homogenea, & etherogeneas secernit, frigus verò, & homogenea, & eterogenea simul præmiscet, ob id recte dixit Gal. libro 3. de caus. sympt. c. 3. frigidum non concurrere ad opera naturæ, quam uis ex Arist. libro 4. de generat. animal. cap. 4. habeamus ad duo concurrere frigus, scilicet ad feruorem caloris, & ad faciendam consistentiam, & ob id rectè dicitur vulgo, frigidum est naturæ inimicum, namque cum calor sit veluti causa vitæ, frigusècontra sit veluti inimicum, & idem calor causa est omnium eorum, quæ ad vitam ordinantur, siquidem, idem est causa finis, & eorum, quæ ad finem diriguntur, ergo sicut calor est causa vitæ, ita etiam concoctionis, & nutritionis causa est, non autem frigus.

Quomodo concurrat frigus ad operationes naturæ

Sed receptui canamus, asserendo in homine tres esse concoctiones, vnam in ventriculo, alteram in hepate, tertiam in omnibus partibus, Doctrina hæc non est mea, sed Gal. pluribus quidem in locis libro 1. prognost. vltimo, libro de bon. & malitia succorum cap. 5. libro 1. de san. tuen. cap. 12. & libro 3. de sympt. caus. cap. 2. & ratio fundamentalis est, nam concoctio est, vbi fiunt transmutationes insignes in nostro corpore, sed hæ tres sunt manifestæ, vt patet, & infra probabitur, ergo tres erunt concoctiones.

Tres sunt coctiones in animali

Sed contra dices, nam insignis mutatio fit, quando sanguis euadit os, & tamen generatio ossis non facit coctionem differentem à tribus.

Obiectio.

Nisi esset, tertiam coctionem non consistere in indiuisibili, namque gradus habet, deinde addo, & aliud, nam generatio ossium fit pedetentim, & fit in ipsa tertia coctione.

Dissolutio.

Prima igitur coctio fit in ventriculo ex ingestis cibis, spatio tot, tantumque horarum, iuxta ingesta, ætatem, anni tempus, gradum caloris, & temperamenta. Cibi igitur ingesti in candidum, quippiam vertuntur, qui ptisanæ succum similitudinem refert, græce χόλωσις. Habet hæc coctio iuxta decretum Gal. libro 3. meth. med. cap. 3. excrementum crassum, & tenue, crassum sunt pituitosum illud, quod non solum in ventriculo, sed etiam in intestinis reperitur, & vulgò vocatur gelu, sunt etiam & fæces, tenue sunt flatus, & ruptus, quamuis perperam Argenterius, & Saluus Sclanus lib. 3. art. med. cap. 45. dixerint vrinam esse tenue excrementum primæ coctionis, quod infra melius patebit.

Prima coctio est in ventriculo.

Secunda concoctio est in hepate, quæ αἱμάτωσις dicitur, de qua Gal. ad summum libro 4. de vsu part. 1. 2. 3. Ad hepar factus chylus permeat per miseraicas venas, à medio intestino, quæ venulę non solum ex ventriculo deducunt, sed etiam attrahunt, iecur autem hoc præparato accepto alimento, & veluti rudem quamdam effigiem, obscuramque sanguinis speciem referente, inducit ei postremum ad exacti sanguinis ornatum, & quemadmodum inquit Gal. libro 4. de simpl. Med. fac. cap. 3. in musto, vt in omni alio succo quatuor sunt substantiæ ita in sanguine, in musto fæx est, & spuma, quæ sunt excrementa, quorum alterum sursum, alterum deorsum, ita natura in αἱματώσει separat duo excrementa, alterum crassum, scilicet atram bilem, quæ per quasdam venas deducitur ad lienem, & inde ad ventriculi fundum, & alterum tenue scilicet flauam bilem, vt purior sanguis in venam cauam, & inde in totum contendere corpus possit, & portio istius bilis trahitur ad vesicam felleam, & inde deducitur ad intestinum tenue, & ibi naturam ad fæcum expulsionem irritat, & simul cum illis expurgatur, & eius ratione fæces sic coloratæ excernuntur. Non tamen, cum tot tantisque sagacis

Secunda coctio est in hepate.

sagacis Naturę machinamentis, sanguis ita prius contendit, vt secum admistos non habeat quatuor humores, nam vtraque bilis tanta secernitur, quanta si non secerneretur nocumento potius, quàm emolumento esset. In vino ad huc præter dictas illas duas substantiæ partes est pars aquea, quæ toti vino permista est, quarta est, quæ re vera est vinum. Sic in sanguine vtraq; bilis, altera tenuiori vini parti, altera crassiori similis est, pituita est, quæ aquosæ parti assimilatur, est postremo sanguis, qui re vera sanguis est. Duo igitur illa, scilicet atra, & flaua bilis sunt excrementa, quæ à sanguine separat Natura, & eis vasa accomodauit, flauæ cistam fellis, atræ lienem. Pituita non habuit locum ob rationem in tractatu de humoribus dictam, non enim oportet eadem semper repetere. Vnde ex his patet atram, flauamque bilem esse secundæ coctionis excrementa, crassum est atra bilis, tenue flaua, & vrina est illa aquea humiditas, quæ vrinæ materia est, nam ille venæ miseraicæ adeo sunt angustæ, vt per eas non facile meare potuisset alimentum, vnde opus fuit re aliqua humida, & tenui, vt facilè per has vias daretur aditus, & hunc vsum habemus potissimum ab aqua, quæ ab Hip. libro de alimento ὄχημα τροφῆς dicebatur. Vnde ex Gal. notandum libro 4. de vsu part. cap. 5. & 6. quod hæc materia serosa partim vadit cum sanguine, quæ postea vel insensibiliter resoluitur, vel fit sudor, & partim trahitur à renibus, nam alienum, & graue onus venis futurum erat, & ideo alma, & sagax natura, vt ferè purus sanguis ad corporis vniuersas partes contendat, renes fabricauit, qui insita quadam vi aqueam illam humiditatem attrahentes, reliquum per vreteras secernunt, quod vrina est. Vesica verò ex libro 5. de vsu part. cap. 7. non amplius hanc humiditatem trahit sanguine perfusam, vt sibi foret alimentum, nam aliunde hoc sibi comparatur, sed tanquam excrementum attrahit illud rectis fibris, veluti obliquis maxime detinet, donec supra modò repleta grauetur, quo tempore laxato musculo ad eius osculum posito, transuersis fibris præcipue excernit vrinam, quare vrina secundæ coctionis excrementum est. *Aqua vehiculum nutrimenti.*

Tertia concoctio est in singulis partibus, & hæc quoque habet tenuia, & crassa excrementa, tenuia sunt, vt quæ vaporis specie sine sensu expirant per spiracula cutis, & ἀδηλα, & aliud est sudor factus ex illa humiditate, quæ fuit sanguinis vehiculum ad partes nutriendas, crassa excrementa sunt pili, vngues, sordes, quæ in subuculis apparent. *Tertia coctio.*

Quid alij senserint.

ACtuarius in trac. de vrinis, & Auic. libro 1. fen. 1. doc. 4. cap. 3. de qualitate generationis humorum, non tres in animalibus coctiones, sed quatuor esse autumarunt, prima est in ventriculo, secunda in hepatis concaua, & miseraicis, tertia in Iecoris gibba, & venis alijs, quarta in singulis partibus. Contendunt & alij præter has dictas concoctiones admittendam esse aliam coctionem ciborum, quæ scilicet fit ore, & videtur Gal. fuisse mens libro 3. de nat. fac. cap. 7. & Auic. videtur Gal. assentiri lib. 1. fen. 1. doc. 4. cap. 2. & libro 3. fen. 6. trac. 1. capit. 1. & libro 3. fen. 14. trac. 1. c. 1. & probatur à Galeno, nam in ore mutatur color, pristinus odor perit, nam panis inquit Galen. in dentium interuallis relictus non est prorsus panis, neque caro, prorsus caro. Idem arguitur ex tritico manso, & furunculis applicato, scilicet paronichijs, nam ocyssimè eos mutat, & concoquit, quare magna est in ore alteratio. Mitto alia; quæ ibi recenset, quare non sunt tres coctiones. Adhuc videntur esse plures, nam lac, & semen sunt res concoctæ, & non sunt in prima, nec in secunda, nec in tertia concoctione. Adhuc generatio spirituum non potest reduci ad vllam illarum trium concoctionum, ergo non tres. Tandem pituita, quæ generatur in ventriculo vertitur in sanguinem, tempore necessitatis, & ob id locum proprium ei natura nō destinauit ex libro 2. de nat. fac. c. 9. & ista transmutatio fit per vlteriorem coctionem, quæ non est, nec prima, nec secunda, nec tertia concoctio.

Sed his non obstantibus rectè fuit conclusum, esse tres concoctiones, nec esse multiplicanda entia absque necessitate, cum frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene, vt inquit Scotus. Ad id quod primò aiunt, vnam esse concoctionem in concaua, & aliam in gibba, valde hallucinantur, nam concaua, & gibba vnum faciunt opus, quam uis sint diuersi loci. Auic. etiam libro 1. cap. 5. de generat. humorum est deceptus, nam in uenis non fit coctio, & si fit, fit ratione hepatis, quare non est tertia coctio. Addo etiam contra Auic. dicentem esse eadem excrementa tertiæ, & quartæ coctionis, ad quid ergo si sunt eadem excrementa, oportet in venis tertiam fieri coctionem? nam propter eandem rationem deberet fieri alia in arterijs, cum tamen Gal. libro 1. de san. tue. c. 12. vnam, & eandem faciat coctionem ordine secundam, quæ fit in hepate, venis, & arterijs, quare non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ad illos, qui in ore coctionem aliquam fieri autumarunt dicendum est, in ore tamen præparari cibos ad coctionem, quare non coctio, sed præparatio venit dicenda, & si coctio fit, seu, vt meliùs loquar, alteratio, illa fit ratione tunicæ interioris ventriculi, eadem enim est linguæ, & oris ventriculi tunica ex libro 4. de vsu par. 7. & libro de instrum. odor. Si igitur virtutes sunt in temperamentis instrumentorum, in vnico instrumento virtus vnica est, & ab ea mutationes, quæ proueniunt non sunt differentes. Ad illud de semine, & lacte dicerem horum coctionem ad tertiam pertinere, nam lacte nutriuntur mammæ, & quod superfluè resecatur fœtui conducit. Idem de semine philosophandum, Hoc enim nutriuntur testes, superfluum ad generationem resecatur. *Responsio ad argumenta. Aduersus Auicennam.*

Ad illud de spiritibus idem dicendum, scilicet eorum coctionem ad tertiam reduci, nam tertia coctio dirigitur ad partes nostrum corpus constituentes, quæ tres sunt solidæ, humores, & spiritus.

Ad vltimum de pituita dicerem, illius coctionem reduci ad coctionem secundam, quæ est in hepate, & venis, ergo tres coctiones.

De

De excretis, et retentis, et primò de fæcibus, quid sint, et vbi generentur.

Theorema XIX.



Iure merito absoluta contemplatione de concoctionibus, de excrementis theoremata insurgunt, & primò de alui fæcibus, nam hæ primò, & vrinæ post ventriculi absolutam concoctionem sunt in propatulo,& primò de fæcibus, namque videtur esse magis vniuersalis hæc tractatio,& Gal.noster libro 1. de crisf.cap.11.& libro 2 prognost.13.de his primò pertractauit. Nec vilis, & contemnenda est præsens fæcum speculatio, nam tantum abest, vt medicorum laudi obsit hæc sordida tractare,vt vel isto nomine nos præcipue laudari mereamur, qui vt hominum calamitatibus, cruciatibus, doloribus,& mortibus subueniamus ex quadam sublimitate ad hæc sordida deuenimus,vt ob id dixerit Hipp.1.Aphor.12.& Arist.libro 4.Metaph. tex.2. maxime necessariam, & vtilem esse fæcum alui contemplationem, nam sunt hæc sanitatis, & ægritudinis inditia. Sed quoniam auctoritate Galen.libro 3.meth.med.cap.3.omnis concoctio duo habet excrementa,alterum crassum, tenue alterum, primæ coctionis excrementum crassum sunt fæces, & illud pituitosum, de quo supra, tenue sunt flatus, & ructus, verum omnibus his alijs excrementis derelictis huius primæ coctionis,tantùm de alui fæcibus in præsentiarum sermo absoluatur quamplurimis theorematibus, & primo exordiamur ab alui fæcibus hominis sani, seu animalis sani, seu de fæcibus naturalibus, cum auctoritate Philosophi rectum sit iudex sui,& obliqui libro 1.de anima 85.& Galen.dicebat libro de ossibus in principio,& libro 8.meth.med.cap.9.& libro de diff.respirat.in principio,& lib.1. de art.cur. ad Glauconem cap.1.& Auic.4. primi cap.1. non potest cognosci id quod est præter naturam nisi cognoscatur id,quod est secundum naturam. Dicamus igitur vt aliquid de earum essentia,naturave affingamus.Fæces alui siue stercora,siue onera alui,siue egestiones, & deiectiones vocentur parum refert,sunt excrementa crassa,& terrestria primæ coctionis,inchoata in ventriculo,& absoluta in intestinis,dicuntur excrementa,seu superfluitates,nam post primam coctionem celebratam oritur chylus,cuius quidem nobiliori,& meliori parti attracta à miseraicis,id quod remanet,& resecatur crassi, & terrestris ab intestinis trahitur, seu a ventriculi fundo ad intestina pellitur, & ibi per aliquod temporis spatium manens postea excernitur, dicuntur excrementa crassa, & terrestria ad differentiam ructuum,& flatuum,qui etiam in hac prima coctione generantur: dictum quoque fuit hæc excrementa esse inchoata in ventriculo, & absoluta in intestinis, quod vt facilius percipiatur rem altius repetamus.Difficultas igitur est de loco generationis fæcum, quam quidem difficultatem sic componendam putamus. Dicamus itaque alui fæces generari in ventriculo, & in intestinis, nam ex libro 10.de vsu partium cap.16.& 17. prima coctio fit in ventriculo, & intestinis, & ratio primi dicti desumitur ex multis argumentis, namque ibi saltem inchoare debet excrementum, vbi fit illius rei concoctio, sed prima coctio fit in ventriculo, vt nos supra probauimus in superiori theoremate,& ex Gal.patet libro 1.prognost.vltimo,& alijs sexcentis in locis.

Fæces quid.

Quo loco generentur fæces.

Secundo addo, nam veluti bilis, & humor melancholicus generantur in hepate, vbi fit secunda coctio, & sudor in tertia coctione, ita à pari fæces debent fieri in ventriculo, vbi fit prima coctio. Adhuc ex Auic.libro 3.fen.16.trac.1.cap.1.patet alui fæces descendere ex ventriculo ad intestina. Ratio secundi dicti inde petitur, namque non erat naturæ legibus consentaneum,vt fæces exactæ, completæ absoluantur in ventriculo, hoc loci dignitate non compatiente, cum colligantiam habeat maximam ad cor, & cæteras partes principes, nec non ventriculi valida expulsiua, vnde si in ventriculo fæces absoluerentur, vt plurimum in statu sano eijcerentur per os, non loquor de statu præter naturam, vt in voluulo. Adderam etiam, nam semper perturbarent coctionem chylumque inficerent,ergo dicamus inchoatiuè fieri fæces in ventriculo,perfectiuè verò,& completè, & manifestatiuè in intestinis, vbi intestinorum sumunt formam, vt ob id non multum à ratione, & ab hac sententia recesserint nonnulli neoterici asserentes,substantialiter fieri fæces in ventriculo, accidentaliter verò in intestinis,quasi quod in intestinis, & formam,& colorem,& fætorem acquirant.Vnde Vallesio libro 6.cap.10.suarum controuersiarum non assentior qui dixit alui fæces esse quodammodo excrementa ventriculi, & excrementa nullius coctionis, vt pus, quamuis de pure nec etiam sum cum Vallesio,nam pus fit in tertia coctione ex libro 2. Aphor.47. & libro 1. prognost.vltimo. Sed dices quæ sunt optimæ fæces? Respondeo cum Hip.& Gal.libro 2.prognost.13.& libr.1.de crisf.11.debere habere multas conditiones,vt sint molles,non multum siccæ,consistentes,consueto tempore excretæ, ingestis proportionatæ subrufæ, non grauiter olentes,non viscosæ, non stridentes, non spumosæ,non variæ,quę quidem conditiones melius inferius declarabuntur.Hic tamen vnum in Gal.libro 2.prognost.cap.13.& libro 1.de Crisf.11.animaduertimus,quibus in locis inquit, si fæces alui sunt bonæ,bene habet inferior venter,quæ doctrina debet sane intelligi,nam valet Galen. propositio,fæces alui sunt bonæ,ergo venter inferior bene habet,non è contra,nam potest ventriculus bene habere, & intestina, sed malos irruere humores à supernis partibus nostri corporis, vt à liene, iecore, & ita fæces commaculabuntur, & hæc satis.

A Vallesio dissentit auctor.

Quæ sint optimæ fæces.

Notandum Gal. dictũ.



An intestina habeant vim attractricem, retentricem, concoctricem, et expultricem.

Theorema XX.



Ntequam vlterius progrediamur de differentijs, causisque fæcum hoc theorema subterfugere non putauimus, maxime enim est necessarium pro absoluenda tractatione fæcum. Vt igitur facilius hoc theorema intelligatur, illud in primis sciendum est, duo esse genera actionum, vt alibi diximus, aliæ enim sunt actiones communes, seu officiales, aliæ priuatæ peculiares, ac propriæ dicuntur. Communes, autē quorundam partium principum gratia sunt comparatæ, sic hepar de sanguine non tantum sibi, sed vniuerso corpori, sic cor de vitali spiritu, & cerebrum de animale spiritu, sic ventriculus non sibi, sed hepati chylum concoquit, & sic de quibusdam alijs, quare hæ dicuntur actiones communes, seu officiales, quasi deseruientes, ac alijs ministrantes. Priuatæ verò actiones sunt proprie singularum partium conseruationi dedicatæ, sic ventriculus præter chylosim pro se trahit sanguinem. Sciendum & aliud est, ad priuatas, seu peculiares actiones, scilicet tractionem, expulsionem, fibrarum, seu villorum opus non esse, & ad communem tantum, & officialem, nam hæc fit semper cum motu locali, illa absque motu, sic trahunt ossa, & expellunt sine fibris, in actionibus verò communibus, & officialibus hoc non contingit, nam semper est opus villis, nam in his semper adest motus localis. His declaratis sciendum est hoc theorema non verificari de priuata, & peculiari actione, nam quis est tàm cæcus in Gal. doctrina, & in vera philosophia, qui non admittat in singulis partibus corporis illas quatuor virtutes scilicet attractricem, retentricem, coctricem, & expulctricem, nam hæ omnes sunt peculiares, & priuatæ singulis partibus, cum vita definiatur nutritione, nutritioni autem hæc quatuor famulantur, hoc testatur Gal. libro 1. Aphor. 22. quare theorema non verificatur de priuata, & peculiari actione, sed tantum de communi, seu officiale, an scilicet intestina vim habeant trahendi chylum à ventriculo. Pro qua re breuiter explico partem istius theorematis, scilicet intestina non habere hanc vim communem, vt attrahant à ventriculo chylum, & ex Galen. libro 4. de vsu part. 17. expellunt, sed non trahunt intestina, idem etiam ex libro 5. de vsu part. & libro 3. de nat. fac. & libro 6. de loc. affec. colligitur. Quare secundum Galen. in his locis, intestina non trahunt chylum à ventriculo, sed peracta coctione adaperiri pylorum, & tamquam redundans quid, ac superfluum in intestina prolabi chylum, in quorum anfractibus dum moratur fugitur à mensenterij venis subtilior chyli portio, crassior verò ad crassiora intestina suo pondere decidit.

Duo sunt genera actionum.

De quibus actionibus verificatur theorema.

Dices ex Auicen. libro 3. fen. 16. tract. 1. cap. 1. & libro 13. de nat. animal. intestina trahunt à ventriculo. *Dubitatio.*

Secundo à ventriculo pellitur chylus, tunc motus ille est violentus, at valde absurdum est nutritionem fieri impetu, ac vi, nam non duraret hoc modo, ergo trahitur chylus non pellitur. Ad hæc dicendum Auic. male sensisse. *Solutio.*

Ad secundum dicimus motum non esse violentum, nam est naturalis, nam ventriculi contractionem sequitur, cui naturalis alimenti forma, scilicet grauitas non repugnat. Sed quid de retentrice facultate dicendum? certè si loquamur de propria, & priuata, hanc omnes corporis partes habent vt supra diximus, officialem, communemque negamus. Obijcies ex Gal. libro 3. Aphor. 22. & libr. 4. Aphor. 12. & libro 6. Aphor. 1. & libro 3. epid. com. 3. 53. & libro 1. de crisibus, vbi exponens causas lyenteriæ ad imbecillitatem retentricis refert, modo lyenteria dicitur leuitas intestinorum; ergo. Respondeo lyenteriam non esse intestinorum, sed ventriculi affectum, quare nulla est obiectio, ergo intestina non habent virtutem retentricem, de communi loquor, seu officiali. De concoctrice clara est Galen. sententia libro 4. de vsu part. vbi dicit intestina adhuc deseruire pro chylo perfectius concoquendo, & auctoritati fauet ratio, nam eadem est substantia ventriculi & intestinorum. De expultrice adeo clara est Galen. auihoritas sexcentis in locis, & libro de vsu part. & libro 6. de loc. affec. & libro 3. de nat. fac. & præter has authoritates adest necessitas ineuitabilis actionis, scilicet expulsionis excrementorum. Quinimo validissima fuit hæc expultrix. Quomodo vero fiat hic motus intestinorum, & quotuplex sit alibi dicetur à nobis. Nunc tempus est, vt ad causas, & differentias fęcum accedamus, vt sit ex omni parte absoluta contemplatio fæcum.

Obiectio.

Solutio.

Quæ

Quæ sint fæcum differentiæ, et causæ.

Theorema XXI.



SVmuntur à quamplurimis fontibus differentiæ fæcum,& præsertim ex sex capitibus,à substantia,quantitate,qualitate,tempore,modo exitus, & loco. A substantia,seu consistentia earum multæ pullulant differentiæ, nam vel est crassa, vel tenuis,vel liquida,seu madens,& fluxilis,vel sicca,leuis vel aspera,æqualis,vel inæqualis,vel mollis;A quantitate alia est pauca,alia multa,alia moderata iuxta proportionem assumptorum, & varias viuentium naturas, corporumque dispositiones,nos enim loquimur vniuersaliter de alui fæcibus,tàm in statu sano, quàm in statu præter naturam;A qualitate,quæ quatruplex est (gustatili derelicta) vel visibilis,& sic aliȩ sunt flauæ, aliæ splendidæ, aliæ nigræ,aliæ virides, æruginosæ, &c.vel odorabiles, nam aliæ magis, aliæ minus fætent, vel tangibilis, & sic fæces, vel sunt siccæ,vel calidæ, vel humidæ, vel audibilis, & sic aliæ cum sono, aliæ sine sono excernuntur; A tempore, alij semel in die excernunt, alij bis, ter alij non nulli pluries,alij in debito,& consueto tempore cacant,alij è contra; A modo exitus, vel fæces cum difficultate,vel sine difficultate eijciuntur;A loco,vel per aluum,& sic naturaliter, vel per os; vt in ileo, & voluulo. Nunc autem ad causas conuertamus calamum. Causa verò ob quam fæces alui debent esse crasse,& molles,nō est alia, quia fit bona concoctio,Coctio autē incrassando procedit,vnde rectè dixit Hipp. & Galen. loco supra citato , & Celsus libro 2.cap. 3. quod fæx debet esse constans , & mollis , & figurata ad formam intestinorum . Ad faciendam hanc fæcem sic affectam concurrunt quoque cibi molles,& intestinorum humida complexio; Econtra verò quare sunt duræ alui fæces possunt esse plures causæ, in primis est aer calidus exugens totam humiditatem à corpore, motus nimius, nimius somnus, cibi austeri, & astringentes, vt pyra , mespila , brassica nimis cocta,& c.sed an frigus induret fæces,an liquidas illas faciat est difficultas.Hip.3. Aphor. videtur affirmare,& cum eo Arist.lib. 4.metheor.Gal.libro 5.de simpl.med.fac.cap.10.Auer.libro 5.colliget cap. 7. Verum experientia est in contrarium , nam frigus solet diarrhæam excitare . Breuis esto responsio , corporibus robustis aquiloniæ constitutiones aluum excitant , namque calor per antiperistasim fortior,& vegetior factus magis depabulatur supra fæcum humiditatem,corporibus non robustis fit humida aluus,nam calor pusillus est,nec multum retinere valet. Hæ omnes causæ externæ possunt fæces indurare,sunt etiam internæ vt humores calidi faciunt fæces duras,priuatio bilis,quȩ ob aliquod impedimentum non descendit ad intestina;Causæ coniunctæ vt ratione facultatis imbecillæ non expelluntur, & sic senes trahunt omnem humiditatem, & indurantur. Sed quæ res,cur quam plura animalia, vt capra, & oues, & vulpes , & lepores stercus durum reddunt ? Respondet Mercurialis,hoc esse ob excrementa,quæ trudunt,vt pili, & cornua,sed contra, nam ob eandem rationem vaccæ,& boues deberent duram reddere fæcem, quod nequaquam contingit, & ob id melius esset dicendum , vt ipse in prima responsione dicit , scilicet hoc esse ob intestinorum conditionem , sunt enim multum sicca intestina huiuscemodi animalium . Liquidarum fæcum causæ externæ,vt otium cibi,& potus humidi,internæ,vt iecur, & habitus totius corporis calidus, & humidus , instrumenta,& viæ præpingues,scilicet intestina humida,& pinguia. Obstructio quoque miseraicarum facit liquidas fæces , nam pars chyli succosa non penetrat in corpus , ac retenta in intestinis liquidas reddit fæces. Vitium quoque ventriculi, vel quod cibus non conficitur, vel quia non alteratur,capitis defluxio humida ad intestina ex Arist.4.part.probl.probl.3.liquidas faciunt fæces.

Causa differentiarū.

De frigore difficultas. Solutio.

Problematis dissolutio.

Fæces liquidæ a quo fiant.

Sed dices an fæces liquidæ fiunt à robore facultatis.Respondet Gal.libro 1.de cris.11.negatiuè. Dices etiam,an liquidæ,& humidæ fæces sint vnum,& idem? Respondet Mercurialis esse differentes,tùm quia liquida excretio est differentia substantialis fæcum, humida verò est accidentalis.

Confutatur Mercurialis.

Secundò,humida excretio potest esse crassa,liquida non est crassa,quare hæ sunt differentes.Sed toto aberrat cælo in probatione conclusionis , namque ipsi non assentior, scilicet liquidam, & humidam fæcem esse differentes,&in vtraque probatione ab ipso dissentior . Quoad primum falsum est quod sumit,nam tàm humida,quàm liquida excretio sunt differentiæ accidentales,& modi substantiæ,ergo falsum dicit.

Quoad secundum,dubium est apud Arist.an humidum possit cum crasso copulari, nam secūdum Arist.& eius cōmentatorē Auer.liquidū,& crassum sunt disparata,ergo nō copulantur,quod sic probatur ex Arist.libro 2. de generat.& corrupt.tex.8.primæ qualitates producūt secundas,vt humidū producit tenue,& liquidum,siccum producit durum,addit etiam,crassitiem fieri à siccitate,liquiditatem, seu tenuitatem ab humiditate, ergo errat Mercurialis, nam crassum, & humidum non coniunguntur , sed sunt disparata . Hanc eādem doctrinam confirmauit Auer. loco citato afferens esse idem,ergo fæces liquidæ,& humidæ coincidunt contra Mercurialem. Cȩterarum verò differentiarum fȩcum à substantia desumptarum causȩ facilè innotescunt ex commistione supradictarum causarum, quare scilicet sint leues, asperȩ, ȩquales, vel inȩquales, & c. Multarum fȩcum causȩ sunt multi cibi,& excremento si,è contra paucarum,aer calidus,motus multus,iecur calidum,& bilis impedimentum,chylus non perfectè distributus.

Quoties cacandum.

Causa albedinis fæcum.

Dices an semel,an bis in die sit cacandum?Hipp.libro 2.prognost.15.dicit bis,& ter in die, & semel in nocte esse cacandum, Galenus falsum dicere Hipp. affirmat; Sed pace Gal. dicere possumus rectè dixisse venerandum senem Hip. si dixerimus illum fuisse locutum de aluo humida, & conualescente,Sed quare semel in nocte,dico quia facultas est sopita,& non potest bene expellere, è contra in die.Erant differentiæ fȩcum desumptȩ à qualitate,vel enim albȩ erant,vel pallidȩ, vel nigrȩ, crocȩ

croceæ &c. Albarum fæcũ causæ plures sunt. Prima est priuatio, & impedimentum bilis, hinc videmus in ictericis fæces albas, quia non transmittitur bilis ad intestina, accipitres, & aues rapinæ fæces albas reddunt, quia bilis in pennas, & rostrum abit.

Secunda causa, est cruditas, hinc in cæliacis videmus fæces albas.

Tertia causa est permistio pituitæ, quæ est veluti gelu, & est illa vitrea pituita, de qua Galen. libro secundo, de loc. aff. cap. 5. Aliquando est propter cibos albos non bene concoctos. Pallidarum, viridium, violacearum, porracearum, æruginosarum causæ sunt commisti humores tales, fæces sunt rubræ, ergo commistus est sanguis, sunt virides, ergo pituita viridis, porraceæ virides, liuidæ arguunt caloris extinctionem, pingues sunt in dysenteria, quando humor acris, & mordax abradit pinguedines intestinorum, secundo ramenta ipsorum, tertio substantia eorumdem; viscosæ fiunt, quando cambium commiscetur; Nigrarum fæcum causa est triplex, prima est sanguis niger, qui solet eijci ab hepate, secunda est fæx sanguinis, seu huius humoris melancholici, tertia est atra bilis, quæ terram fermentat, quæ quomodo generetur, & quæ nam sit eius causa, alibi diximus.

Dices an frigus possit facere nigras fęces, nam videtur quod sic, veluti enim videmus in principijs accessionum vngues nigras, ita in internis. *An frigus faciat nigras faces.*

Respondetur in animali viuente non posse esse tantum frigoris, vt denigret fæces. Ad illud de principio accessionum, respondetur esse disparem rationem in externis, & internis, nam in externis concurrit ambientis frigiditas, non autem in internis, deinde pollent maiori calore interna, quàm externa. Has nigras deiectiones aliquando bonas esse, aliquando malas experientia didicimus, viticè si excernantur bonæ sunt, è contra symptomaticè. *Decisio.* *Nigræ deiectionis quãdo bonæ, & quando malæ.*

Sed de ea differentia non nulla sunt dicenda, quæ ab odore, seu fætore sumitur, in quo quæritur, quare fætent fæces alui, etiam in sano, & inculpato corpore. An ob duplicem causam efficientem scilicet, & materialem, de efficiente sic philosophandum est, calor noster, vt alibi diximus, subiecto licet sit vnus, tamen ratione varius, dupliciter potest considerari, aut quatenus calor est simpliciter, aut quatenus natiuus, & functionum omnium animæ instrumentum, quatenus calor est, humidum continuò exhaurit, & depopulatur, quatenus natiuus coquit, assimilat, procreat, dum in ventriculo fit chylosis, natiuus calor se se in omnes materiæ partes æqualiter, pariterque insinuat, & homogenea cogit, etherogenea separat, homogenea, tamquam proficua à venis mesenterij trahuntur, & ad hepar transportantur, etherogenea ad crassiora intestina demandantur, vbi tamquam inutilia à calore natiuo deseruntur, quare in hæc non agit calor in quantum natiuus, & ab anima directus, & regulatus, sed tamquam calor extranei naturam inducens, vnde fætor procreatur. *Cur fætor in fæcibus.*

Ad hæc, materiæ aptitudo, nam cruda sunt, & humido multo scatent superflua hæc, hinc putredo, quod si exhauriatur humidum minor est putredo, & leuior fætor. Hinc est stercus hominis alioquin temperatissimi magis fætere, quàm cæterorum animalium stercus, teste Alexand. Aphrodisæo libro primo problem. problem. 29. nam humidissimo, & vario vtitur alimento homo, vitam vt plurimum inertem, otiosam, & sedentariam degit, cætera verò animalia siccioribus vtuntur cibis, à quibus semper gallinas excipio, qua fædissimum stercus emittunt. Dices an rectè dixit Arist. 13. part. probl. probl. 1. alui scilicet deiectiones, quo longiori tempore detinentur eò minus fętere, è contra vrinam? *Stercus humanũ maximè fætet.* *Obiectio de mora fætũ.*

Respondetur rectè dixisse Philosophum, nam diutina mora resiccantur fæces, ita putredini subtrahitur fomentum. Dices cur si fæces alui in ægrotis nihil fætent pessimum est signum, vt rectè dixit senes Hip. libro 2. prognost. 17. an quia caloris extinctionem ostendunt. Sed quædam dicamus de fæcibus, quæ cum flatu exeunt, vnde sciendum, vel cum sono multo, vel exiguo, vel cum silentio, cum silentio optimum est, cum exiguo sono melius cum multo peius, nam cum sono excernuntur arguunt materiæ crassitiem multam, è contra è contra. Hic tamen vnum notandum ex Hip. & Galen. nam si à languente crepitus fit coram aliquo viro honorato, & bene morigerato pessimum est signum, vel delirij, vel doloris. De spumosis fæcibus sciendum, eos spumosa excrementa eijcere, qui laborant pituita. Hinc rectè dixit Hip. libro 7. Aphor. 30. Quibus in aluis profluuijs excrementa spumosa sunt ijs ex capite pituita defluit. Dices an variæ deiectiones bonæ sunt. In hac re videtur esse inter Hip. & Hip. controuersia, habet enim libro 2. prognost. 24. semper esse malas, & libro 4. Aphor. 21. è contra verò libro 2. Aphor. 14. in deiectionibus excremeniorum mutatio iuuat, & Gal. in com. dicit, à medicamento si plures humores mali proijciantur bonum est, nam ars imitatur naturam quantum potest. Sed respondetur ex libro 2. prognostic. 50. & euacuationem vel esse criticam, vel symptomaticam, si critica salutaris est, si symptomatica pessimum signum, quia arguunt facultatem expultricem irritatam à quantitate, mala qualitate humorum. A medicamento verò bonum est signum variatio excrementorum, nam hoc euacuat, antequam fiat inanitio naturæ ab humoribus, & hæc breuiter de causis principalium differentiarum fæcum sint dicta, vt multas alias breuitatis ergo dimittamus. *Solutio.*

P Quid

Quid sint vermes, eorumque differentiæ.

Theorema XXII.



Ntequam fæcum tractationem absoluamus, non ab re fore putauimus si de vermium natura, differentijs, causis, & de loco generationis eorumdem non nulla scribamus, habet enim hæc tractatio magnam affinitatem cum fæcibus præsertim in loco. Ea propter sic theorema decidatur, Vermis, seu lumbricus, vt ab eius essentia, atque natura exordiamur, animal est in intestinis genitum, ab ipsa putredine toto genere præter naturam. Quamuis Auicen. dicat non semper esse præter naturam, cum aliquando est sanitatis causa, cum ex eius generatione diminuatur ipsa putredo, Galen. tamen libro decimoquarto, method. medend. vltimo, dicit esse vermes toto genere præter naturam, quod certè verissimum est, tùm ratione causæ, tùm ratione symptomatum, ratione causæ, nam fiunt ex putredine, quæ in corpore abundet oportet, ratione symptomatum, quoniam ad hos lumbricos accedit sæpe sæpius corporis gracilitas, vomitus, nausea, & alia pessima symptomata.

Vermis q.d.

Vermes sūt toto genere præter naturam.

Intestinorum, ad differentiam aliorum vermium, qui in alijs corporis partibus nascuntur ex Gal. 1. de locis aff. lib. 5. Sed dices quot sunt vermium differentiæ?

Respondetur à pluribus fontibus, & præsertim à sex sumi, à figura, colore, quantitate, qualitate tempore, & modo. A figura, tres sunt lumbricorum species ex Aristotel. libro quinto, de generatio. animalium capitulo decimonono, ex Gal. libro tertio Aphoris. 26. ex Celso libro quarto, capitulo decimoseptimo, longi, & rotundi, & dicuntur lumbrici, secundi, lati, & longi, & dicuntur fasciæ, tertij, sunt parui, & minuti, & dicuntur ascarides ex Paulo libro quarto, suæ medicinæ capitulo 45. & licet hæ tres species vt plurimum obseruantur, non est tamen quod alij vermes in corpore non obseruentur progeniti in diuersis corporis partibus, variarum figurarum, vt in mundo magno contingit, quod ex multis historijs patet, quas legere est apud Marcellum Donatum libro quarto, capitulo vigesimosexto, suæ admirabilis historiæ medicæ, tamen tres sunt frequentiores; scimus namque apud Beneuenium obseruatos esse vermes eiectos longitudine digitorum quatuor, capite rubro, quandoque colore seminigro, quandoque lanugine refertos, cum cauda furcata, quatuor pedibus, & à quibusdam falsò, crediderim, vocantur vermes cordis, alij cornua habent, centum pedes ex Rondoletio libro de dignoscendis morbis cap. 17. à quantitate aliqui multi, aliqui pauci, aliqui graciles, aliqui pingues; A qualitate, aliqui albi, aliqui nigri, aliqui pilosi; A tempore, aliqui in principio, aliqui in fine, aliqui in augumento, statu, & declinatione morborum exoriuntur, à loco, aliqui per os, aliqui per nares, aliqui per aluum, à modo exitus, nam aliqui viui, aliqui mortui.

Tria genera vermiū.

Sed circa primam differentiam, quæ erat à figura, oriuntur non contemnendæ difficultates, tres enim species à figura præcipuè obseruabantur. Sed Hippocrat. libro quarto de morbis prope finem, & libro tertio Aphoris. vigesimosexto, duas videtur asserere species, Auicen. ponit quatuor species scilicet præter lumbricos teretes, latos, & ascarides, ponit vermem cucurbitinum. Quantum ad Hippocrat. respondet Galen. in comment. non fuisse necessarium ibi Hip. mentionem facere de omnibus.

Dubitationes.

Ad Auicen. vermis cucurbitinus potest reduci ad lumbricos latos, quare non est necesse, quatuor species ponere, sed tantum tres maximè frequentes; Vt autem magis specialiter non nulla dicamus de his tribus speciebus rem altius repetamus; Ascarides sunt vermes veluti illi, qui in caseo, & carnibus putridis visuntur, & maximè omnium generantur in iumentis, quando cibum male concoquunt rarò in hominibus, & quando in hominibus generantur fiunt propè anum, & in vtero mulierum.

Ascarides.

Quare verò sæpe sæpius in iumentis generentur redditur ab Aetio ratio, quia iumenta prauo alimento vtuntur, & frigidiora sunt hominibus, ita prorsus, vt nimia humiditate scateant, ex qua ascarides generantur. Teretes lumbrici sunt rotundi, & vt plurimum sunt palmares, in iumentis non generantur, sic teres lumbricus ex Hippocrat. sententia generatur quandoque in puellulis in vtero matris existentibus, quam vis Arist. neget, fauet Hippocr. experientia, & ratio, nam in vtero matris sunt fæces, ex quibus vermes possunt generari. Dices, quare in infantibus lactentibus non generantur vermes, & in vtero sic?

Teretes.

Obiectio. Solutio.

Respondeo in lactentibus deficere materiam, scilicet fæces aptas ad vermium generationem, quæ materia est in pueris existentibus in vtero, vt rectè dixit Hippocrat. Si verò lactant, & matres, seu nutrices exhibent alios cibos, tūc possunt generari vermes, vt libro primo, de sanit. tuend. testabatur Gal. c. 7. Quinimo, & aliā rationē addo ex efficiente desumptā, nam ex Gal. lib. 3. Aphoris. 26. Ad vermium generationem maximus calor requiritur, qui in infantibus lactentibus à nimia humiditate obtunditur, in infantibus verò, seu embryonibus existentibus in vtero possunt generari, quia adiuuatur, & fouetur calor à calore matricis. Latus lumbricus ex Pauli, & Aetij sentētia generatur ex mēbrana interna intestinorū conuersa in ipsum animal propter putredinē, quæ sententia, etsi multis non probetur, tanquā homine philosopho indigna, potest tamē reduci ad bonū sensum, si rectè Pauli, & Aetij verba ponderentur, fiunt enim lati isti vermes ex plurima, & mucosa pituita, loricæ modo inte-

Latus.

inteſtina introrſum ambiente, & ex calore præter naturam, & extraneo putreſcente, nam inſcriptis Pauli, & Aetij reperitur, non fieri propriè latos vermes ex inteſtinali cortice, ſed inquiunt (vt ita dicam) & alter (ac ſi quiſpiam dixerit) quare nemo iſtorum duorum grauiſſimorum Medicorum affirmauit determinatè latum vermem fieri ex inteſtinali membrana, vt ob id dixerit Hippocrat. libro quarto de morbis, latum vermem eſſe ſimilem tunicis inteſtinorum, & Auicen. magis exactè philoſophatus, dixit latos lumbricos fieri ex pituita illa inteſtinis adhærente, & illorum ſimilitudine figuratur, & quia à medicamentis per os aſſumptis ſolent incidi in multa ſegmenta, ſimilia ſeminibus cucurbitæ, hinc factum eſſe putamus, vt vermes cucurbitini ſoleant appellari.

De hoc verme cucurbitino pulchram conſcribit hiſtoriam Horatius Augenius libro ſexto, ſuarum epiſtol. ſecundi tomi, qui vermis longus erat ad vigintiquinque palmos, & meus ſapientiſſimus in phyſiologia præceptor nobis narrabat ſe vidiſſe vermem viginti ſeptem palmorum. *De verme cucurbitino.*

Hic vermis ſolet maximas appetentias generare, de quo Galen. libro de theriaca ad Piſon. capitulo 15. Credimus autem plures eſſe vermes cucurbitinos dictos, & non vnum vermem tantum, apparere tamen vnum, vt rectè notat Beneuenius capitulo 87. ita enim ſunt cucurbitini vermes iuncti, vt admirabili ordine, quaſi vnum dijudicares, adeo enim inuicem benè cohærent. Et Conciliator diff. 101. dicit, quod lumbrici cucurbitini latum conſtituunt vermem, & narrat ſibi quemdam retuliſſe quindecim pedum menſura quemdam emiſiſſe vermem. Mitto hic multas hiſtorias, quas recenſet Marcellus Donatus, & Trallianus libro tertio ſuæ medicinæ capitulo tertio, Plinius libro ſecundo, capitulo 33. Braſauolus in Aphoriſmis. Differunt omnes hi lumbrici materia, & loco, materia, nam ſi eſt vnita fiunt teretes lumbrici, ſi diſperſa aſcarides, ratione loci, nam teretes fiunt in ſuperioribus inteſtinis, lati in medijs, aſcarides in ſuperiori parte. A colore erunt differentiæ vermium, alij enim ſunt albi, alij nigri, & fiunt, aut ex maiori, vel minori coctione, aut ex diuerſitate alimentorum, aut ex materia miſta.

A quantitate, craſſi fiunt ob magnam putredinem, & optimum alimentum putredinale, è contra graciles, multi fiunt ex maiori putredine.

A tempore, aliquando in principio, quod arguit dominium putredinis, & cruditatis, aliquando in fine, quod fit à natura valide expellente, à modo exitus ſoli exeunt, quia non habent nutrimentum, aliquando viui, quia deficit nutrimentum, vel quia cum Auicen. propter putredinis ingentem gradum ibi permanere non poſſunt, aliquando mortui ob humorum maximam cacœthiam. Sed an in eodem die, quo vermes eijciuntur, generantur? Herodotus negat, & ita certè ſentiendum, cum tempore indigeant maxime teretes vermes.

Ex qua cauſa generentur vermes.

Theorema XXIII.



Onſentiunt, & Medici, & Philoſophi vermes ex putredine generari. Hippoc. libro 4. de morbis. Ariſtotel. libro 5. de hiſtor. animal. 19. Galen. libro tertio Aphor. 26. Sed quæ materia putreſcat dubium eſt. Hippoc. loco citato dicit, eos fieri ex fæcibus putrefactis in inteſtinis, quod ex eo probat, nam intra vterum retinentur fæces, & aliquando generātur lumbrici in illis, cum vero ſunt in lucem editi, dum ſolo lacte pueli nutriuntur, non generantur. Ariſt. verò libro 5. de hiſtor. animal. cap. 19. ait eos generari ex retentis excrementis. Oribaſius libro 3. Aphoriſ. 3. & Montanus libro de fæcibus cenſent lumbricos fieri ex omnibus humoribus, Auicen. libro 3. fen. 16. tract. 5. cap. 1. tenet eos fieri ex pituita cruda, Gal. lib. 3. Aphor. videtur dicere fieri vermes ex cibis putrefactis.

Verum ſimpliciter vermes fieri ex fæcibus, vt cenſet Hippocr. non eſt omnino verum, præter enim id, quod experientia conſtat, ſæpè lumbricos expelli ſine fæcibus, ſunt etiam fæces, aliquando adeo ſiccæ, vt non ſint aptæ ad generandos lumbricos.

Adde ſi placet, in fæcibus non eſt calor naturalis, neque etiam vniuerſaliter dici poteſt generari ab excrementis, vt cenſet Ariſtot. Oribaſius vero, & Montanus probant ex omnibus humoribus poſſe fieri, nam aliquando videmus lumbricos rubros, flauos, nigros, albos, ergo ex omnibus humoribus fiunt, ſicut enim aliquod temperamentum animalium eſt bilioſum, aliud pituitoſum, ita etiam in lumbricis.

Præterea fit aliquando vermis in venis, ergo ex ſanguine putrefacto. Verum ſi volumus rem ad viuum reſecare cum Paulo dicamus libro quarto, capitulo 54. ex Auicen. 16. fen. 2. tractat. 5. & Serapione tractat. 3. capitulo 3. & Haly libro 9. theor. cap. 28. ex pituita tantum cruda fieri lumbricos.

Quod autem non poſſint ex ſanguine generari probatur, quia ſi ſanguis eſſet cauſa vermium, neceſſe eſſet trudi à venis ad inteſtina, ſed ſanguis in inteſtina egreſſus in grumum vertitur, qui nullo pacto poteſt efficere vermes. *Quod vermes non fiāt ex ſanguine.*

Præterea nunquam ſanguis poteſt venire ad tantam putredinem in humano corpore, vt ex eo efficiantur vermes, manente vita, cum ipſe ſit reconditus naturæ theſaurus, neque vermes fieri poſſunt ex humore melancholico, qui eſt frigidus, & ſiccus, & putredini aduerſatur; Nec etiam ex

bilioso humore, nam hic est amarus, qui potius necaret vermes, non eos generaret, neque nutriret.

Quare concludatur ex pituita non illa quidem alimentitia, & naturali, sed excrementitia, quæ dicitur humor crudus ex Gal. libro 3. de alim. fac. cap. 2. genitus in ventriculo, & in intestina prolapsus, & putrefactus, ex quo vermes generantur.

Ad Gal. supra respondetur, lumbricos non fieri tamquam ex causa immediata à cibis corruptis, sed tamquam ex causa mediata.

Ad Hippoc. dicimus, eum per fæces intelligere eas humoribus crudis mistas. Hanc vermium generationem adiuuat temperamentum frigidum, & humidum, quod multis scatet humiditatibus, temperamenta verò biliosa, & melancholica per accidens, propter cruditates etiam ab eis exortas; Ex ætatibus ætas puerilis maxime apta ad vermium generationem, & senilis ob excrementa pituitosa. Ex temporibus, vernam tempus quod est calidum, & humidum.

Ætas puerilis apta ad generationem vermium.

Ad Oribasium, & Montanum dicimus, non solum putredinem, sed coctionem efficere vermes, & secundum maiorem, aut minorem pituitæ coctionem in intestinis lumbricos varios accipere colores, vel dicimus, ipsos vermes variari ex ipsis cibis, quibus nutriuntur, vel nunquam reperiri in corpore humorem syncerum putrescentem, sed semper posse ei admisceri alios humores. Sed dubitabis, an in puellulis nuper natis ex rebus dulcibus fiant vermes. Iobertus in paradoxis tenet dulcia non generare vermes, primò, quia dulcia sunt temperata, non apta vt putrescant, secundò dulcia habent abstergendi vim pituitam, qua abstersa non generantur vermes. Mercurialis contra, & his argumentis non respondet.

An puellulis possint generari vermes.

Dicendum, dulcia vel esse aquea, & sic ex illis fieri posse lumbricos, cum generent cruditates, vt lac, pepones, quæ habent dulcedinem cum aquositate, vel esse dulcia atria, vt mel, & sic non generare, sed abstergere potius, vel denique esse syncera dulcia, eaque si in multa copia conceduntur, facere cruditates, & per consequens vermes. Sed circa causam efficientem adhuc difficultas est, nam partim videntur fieri vermes à calore præter naturam, scilicet à putredine, & partim ex Gal. libro 3. Aphor. 26. à calore naturali, nam generatio non potest fieri à calore præter naturam, sed vermes generantur, ergo. Idem etiam ex Aristot. libro 4. metheor. 12. & libro 3. de histor. animal. capitul. 13.

A quo calore fiant vermes.

Dicendum à calore præter naturam corrumpi pituitam, à naturali generari vermes. Sed contra, nam idem est agens disponens materiam, & inducens formam. Respondeo cum Auerr. libro 12. metaphys. duplex esse agens vniuersale, vt cælum, & particulare, in vermium generatione, atque putredinē quoque esse duplicem, vel factam, vel in fieri, ex putredine igitur facta, & confirmata nulla fit generatio, quia in ea est separatio sicci ab humido, ex sicco autem nihil potest generari, ex putredine autem in fieri possunt generari vermes, in qua idem calor respectu pituitæ, quæ corrumpitur, dicitur præter naturam, respectu vero vermium, qui generantur dicitur secundum naturam, vt patet ex vermibus genitis in caseo, qui respectu totius massæ fiunt à calore prçter naturam, respectu vermium, à calore naturali.

Decisio.

Hinc aliquando videmus in febribus putridis, bonum esse signum vermium generationem, quia humores non sunt omnino putrefacti, & melius est cum viui expelluntur, quàm mortui, quia ab ingenti putredine necantur. Sed tandem quis erit vermium finis secundum Auic. est vt putredine nutriti eam absumant secundum Galen. sunt toto genere præter naturam, quamuis dicerem ab agente vniuersali habere finem, nequaquam à particulari.

Quis locus generationis teretum lumbricorum.

Theorema XXIV.



Breuibus, quæ nostra fuerit sententia, circa hoc præsens theorema discutietur, si prius illud prælibatum fuerit, nostrum hoc theorema non de omnibus vermium speciebus, sed tantum de teretibus, & longis verificari, de quibus quæritur an in intestinis, an in ventriculo generentur. Sed nos sumus in hac sententia, vermes in intestinis, non in ventriculo generari. Id quidem patet quamplurimis vijs, primò nanque longa temporum experientia compertum habemus, vermes in intestinis generari.

Secundò ex Galen. 3. Aphor. 26. & 1. de loc. aff. 5. vbi ait esse quosdam morbos, qui in humano aorpore certam sedem habent, vt calculus habet vesicam, oculus opthalmiam, & vermes intestina, in quibus generantur, tunc si in ventriculo generarētur non haberent dubio procul certam sedem, vt Gal. testatur.

Tertiò non potest fieri generatio ex libro 3. de nat. fac. cap. 7. nisi præcedant alterationes, si ergo vermes in ventriculo generantur, tunc alterationes præcedent, hæ autem erunt ex materia putrida, sed quomodo tanto tempore manere potest hæc materia putrida in ventriculo (vermes enim pro sua generatione multum requirunt temporis) quomodo ergo hæc materia potest esse in ventriculo, locus alioquin nobilis, & multo sensus acumine prædítus, à natura pro concoctione, & nutrimento totius corporis destinatus. Quartò ex Hippocrat. libro tertio, epidemior. comment. secundo, text. sexto, loquente de volulo acutissimo morbo, & cito terminabili stomachus, non

non potest fæcum illam spurcitiem ferre, ergo nec materiam, & generationem vermium.

Quinto natura duo fecit instrumenta, alterum pro concoctione, & est ventriculus, & alterum pro expulsione excrementorum, & sunt intestina, & tunc si in ventriculo generarentur idem esset locus expulsionis, & generationis fæcum, & coctionis, quod est absurdum.

Sexto ventriculus est vas amplum, à quo illa putredo exhalat, & continuò aeris ingressu prohibetur illa putredo, quo minus generetur, in intestinis non item.

Tandem vbi nascimur, ibi natura prouidet de alimentis, sed in intestinis est vermium alimentum, nam ibi sunt mucosa, stercorosa, ergo in intestinis generantur, & non in ventriculo. Hæc est opinio Aristot. libro 4. metheor. 27. Galen. libro primo, de loc. aff. 5. & libro 3. Aphor. 26. Hanc eandem opinionem insectati sunt quam plures viri insignes, vt Hieronymus Gabuinus, & Hyppolytus Brillus.

Quid alij senserint.

Videtur primò sanè generari vermes in ipso ventriculo, nam euomuntur in quibusdam febribus.

Secundò visi sunt ex naribus esse vermes excreti.

Tertiò vermes generantur à fortè calore ex libro 3. Aphor. 26. sed in ventriculo talis non deficit calor, nam dicebat Gal. ventriculum esse veluti lebetem vndique ignibus circundatum, quare maximus adest calor, tùm ratione sui, tùm ratione adiacentium membrorum, scilicet hepatis, lienis, omenti, & ventriculi, & musculorum fouentium ipsum.

Quartò vermes generantur ex putredine, & præsertim ex putrefacta pituita, cuius copia multa potest esse in ventriculo, qui est lacuna phlegmatis.

Quintò vbi est agens, & materia ibi sequatur effectus oportet, sed in ventriculo est agens, scilicet calor, est materia, ergo, vt ob id dixerit Auicen. fen. 16. 3. tract. 1. corpus nostrum esse raro sine vermibus.

Tandem in diuersis corporis partibus generari possunt vermes, hinc Auic. libro 3. tract. 2. cap. 2. sodam fieri quandoque ex vermibus asserere non est verecundatus, nascuntur enim in anteriori capitis parte, & super locum, qui est in narium strictura. Idem Rasis libro 1. continen. cap. 9. & Niccolus sermo 5. tract. 7. cap. 53. Idem Hollerius libro 1. cap. 1. de morbis infernis, idem Beneuenius. Cornelius Gemma libro 2. Cosmographiæ cap. 4. Clarissimus Trincauellus libro 9. cap. 11. de curand. part. affec. de quodam Veneto patritio affirmat, Ludouicus Duretus in scholijs in Hollerium. Circa dentes etiam vermes nasci docuit Fernelius libro 6. de patt. morbis, & sympt. cap. 10. Valascus de Taranta in auribus oriri suo Philonio affirmat. *Vermes generantur in varijs partibus corporibus*

Volunt alij etiam in aspera arteria, & pulmone vermes generari, vt Alfarabius capitul. de tussi, & Abynsoar tractat. 11. cap. 3. Musa libro 4. Aphor. 79. In vrinis etiam sunt vermes obseruati. Mercurialis libro 1. Gymnast. capitu. 7. Gentilis in comment. part. 3. tract. 2. cap. 3. Rondoletius cap. 17. Aloysius Mondella dialogo quarto, Robertus Dodoneus in Scolio 77. Fernelius libro sexto, de part. morb. capitulo decimo, ex his ergo patet in singulis corporis partibus, excepto corde cum Auicen.

Neque mirum, nam sicuti nos videmus in gregibus ouium esse vermes, in capite ouium, in hepate, & in alijs partibus, ita etiam & in homine, quod luculentissime testatus est Cornelius Gemma libro secundo, & Matthiolus libro secundo, capitulo 52. in capite ceruorum, & castratorum, & hepatibus &c.

Sed hæc iacta superius argumenta dissoluantur, sumus enim in hac sententia in ventriculo lumbricos teretes, & rotundos non posse generari, nec aliquem etiam aliorum vermium ob rationes supradictas in anteriori parte theorematis. Concedimus tamen nos in alijs partibus fieri vermes, vt in capite, hepate, renibus, auribus, non autem in ventriculo. *Solutiones argumentorum.*

Sed dices, an in nullo ventriculo generentur vermes? Nam fortassis negamus in sano, & affirmamus in ventriculo infirmo, vt Albertus cognomento Magnus, & Conciliator diff. 101. & 12. problemate secundæ sectionis, Bondoletius, Sauanarola, Theodorus, Priscianus, & Amatus Lusitanus cent. 1. curat. 6. & Brasauolus etiam, volentes dictum Arist. intelligi de ventriculo sano, non autem de infirmo, quia in hoc possunt generari vermes, nam dicunt veluti ex phlegmate putrefacto in ventriculo fit febris, & apostema, ita posunt generari vermes ex putredine. *Pulchra dubitatio.*

Secundo in hepate potest fieri generatio vermium, vt in ouibus, ergo etiam in stomacho.

Certè hoc problema mihi videtur esse ad vtrumlibet, nam vtraque pars potest defendi, tamen si voluerimus ad alteram istarum opinionum declinare, dicere poterimus, nec in stomacho sano, nec in ægroto posse generari vermes ob rationes supra tactas, & ad rationes Alberti, & Conciliatoris, & aliorum possumus respondere, vt recte Buccaferreus in metheor. aduertit. *Decisio.*

Ad primam dicimus, quod licet generetur febris ex putredine phlegmatis in ventriculo, tamen non possunt generari vermes, nam maior putredinis copia requiritur in generatione vermium, quàm febris, & tanta putredo non potest esse in stomacho durante vita animalis. Addas etiam, nam ob loci amplitudinem expirat ille fætidus odor. *Soluuntur rationes.*

Ad secundam dicimus, in hepate hominis rarenter generari vermes. Sed ad rationes superiores respondere debemus.

Ad primam cum Arist. dicimus libro 4. metheor. 27. vermes generari in intestinis, sed ab his postea ascendere ad os ventriculi, sursum enim ascendit animal, non autem fit in ipsa coctione ve- *Propter quid ascendunt vermes ad stomachum*

luti quidam aiunt. Dices propter quid vermes ascendunt. Dicunt aliqui, quod quærunt cibos Ego dicerem cum Olympiodoro in metheor. quod ascendunt, vel propter magnam obstructionem, quæ in intestinis reperitur, vel propter inflammationem, vel propter acrimoniam, & mordacitatem alicuius humoris illuc confluxi, vel dulcium rerum odor sursum retrahit vermes.

Ad secundam dicerem vel illi vermes sunt parui, vel magni, si parui poterunt generari in anteriori parte cerebri, vt supra dictum est, si magni, dicerem quod ascendunt.

Ad tertiam respondetur sequi argumentum ratione causæ efficientis, non autem ratione materiæ, ibi morari potentis, quia tamdiu non potest morari putredo in stomacho, quare in ventriculo non generantur.

Ad quartam, & quintam eadem sit responsio, nam deficit materia, repugnat loci amplitudo, & alia supradicta.

Ad sextam, & vltimam dicendum in omnibus illis partibus posse generari vermes, vt experientia, & historiæ testatur, & tantorum virorum authoritates monent, verum in stomacho nullo modo vermes fieri posse asseueramus, & hæc hactenus.

De natura, & essentia colorum, & primum de lumine, et perspicuo.

Theorema XXV.



Voniam colorum contemplatio vtilis est ad morbos cognoscendos, & curandos, & ad dignoscendos peccantes humores in corpore, ad vrinarum contemplationem, & ad alia innumera, ea propter de illis nonnulla theoremata inserere placuit. Et licet Galen. dicat libro 8. de plac. Hipp. & Plat. cap. 5. tractare de causis colorum ad medicum non spectare, hoc tamen de curante medico venit intelligendum, non autem de medico physico, & Theorico, cum etiam Galen. testetur libro 6. de plac. cap. 8. se conscripsisse librum de coloribus. Sed vt melius, & exactius, essentia, & generationis modus ipsorum colorum intelligatur, prius nonnulla de lumine, & perspicuo prælibabimus.

Quid lumen. Quantum ad primum. Lumen itaque, vel est substantia, vel accidens, & si substantia, vel corporea, vel incorporea. Non potest esse substantia corporis expers, vt Plato fortassis existimauit, primò nam substantia corporis expers incorruptibilis est, sed lumen corrumpitur à tenebris, vel opaco corpore interpositis, hebetatur, & obtunditur, suscipit magis, & minus, ergo.

Secundum substantiæ incorporeæ, ac spiritales nequeunt hisce sensibus apprehendi tùm per se, tùm etiam per accidens, at lumen visile est, si non per se, saltem per accidens, ergo non potest esse substantia incorporea, & spiritalis, neque etiam lumen substantia corporea est, primò ex Aristot. libro 2. de anima 69. vbi pluribus probat, lumen non esse corpus.

Secundo si corpus esset vtique sine motu perceptibili non posset per tantam diffundi distantiam, sed nullus apparet ipsius motus, non ergo est substantia corporea.

Tertio, & est Philoponi argumentum, motus omnis inanimatorum, aut est ad inferum, aut ad superum, aut in orbem est, ad nullũ istorum lumen cietur, cum vndique se ad omnem dimensionem diffundat. Quare cum non sit lumen substantia corporea, nec incorporea remanebit esse accidens, quod cum sit in duplici differentia, alterum respectiuum, absolutum alterum, non est respectiuum cum ad nullum habitudinem dicat, erit ergo absolutum, & per consequens, vel quantitas, vel qualitas, non quantitas, quia non est de genere actiuorum, lumen autem agit cum calefacit erit ergo qualitas familiari illo Arist. progressu in qualitatis prædicamento dicentis, qualitatem esse illam à qua subiecta possunt denominari qualia, huiusmodi est lumen, nam per ipsum dicitur diaphanum illuminatum.

Quæ contradicunt. Sed huic determinationi difficultatem faciunt, quæ ab Arist. sunt tradita diuersis in locis de natura luminis, libro de sensu, & sens. cap. 3. lumen esse colorem diaphani secundum accidens, & libr. 2. de anima 67. dicebat, lumen esse actum perspicui, quatenus est perspicuum, quæ diffinitiones non videntur attingere luminis intrinsecam naturam, & ob id Arist. erit incusandus, qui tàm oscitanter pertractauit tàm præclaram accidentis essentiam.

Lux quid. Lumen quid. Pro qua re sciendum est, lucem, lumen, radium, & splendorem inter se differre, lux enim qualitas est, hærens corpori denso, & lucido, vt soli, astris, & flammæ, quæ lux habet esse fixum, & permanens, lumen autem est qualitas, quæ reperitur non nisi in corpore diaphano generata ex luce corporis lucidi, habens esse fluxile, ac minime permanens, dicitur etiam lumen imago lucis, fit autem lumen præsentia corporis lucidi, vt si accipiatur corpus quodam igneum, nempe candela accensa noctu existente, atque in perspicuo aere ponatur, equidem illius præsentia in perspicuo lumen multiplicatur, e contra verò eius absentia amouetur lumen, & tenebræ statim exoriuntur.

Radius quid. Splendor quid. Est adhuc, & aliud discrimen, nam lux est causa luminis, lumen verò est effectus lucis; Radius est illa in aere concepta linea secundum rectum procedens.

Splendor

Splendor verò est ille fulgor, qui ex repercussu lucis super aliquod corpus læuigatum exoritur. Notandum secundo eiusdem rei esse posse varias diffinitiones, quamuis imperfectas, ob diuersum considerandi modum, vt patet apud Porphyrium in cap. de differentia. Clarum enim esse vnicuique arbitror, aliter fuisse lumen diffinitum libro 2. de anima 69. & in libro de sensu, & sens. cap. 3. ibi enim Arist. diffiniuit lumen in ordine ad visum, gratia cuius ibi fuerat institutus sermo, & ob id dixit lumen esse actum perspicui, & lumen esse veluti colorem, quam diffinitionem etiam tradidit libro de sensu, & sens. cap. 3.

Addimus etiam diffinitiones has, vel esse depromptas à subiecto, vel ab efficiente causa, ab efficiente causa fuit etiam illa tradita libro de sensu, & sens. loco citato vbi dixit, naturam luminis esse in præsentia corporis lucidi, eiusque naturam esse in determinato perspicuo, à subiecto fuere desumptæ illæ duæ aliæ diffinitiones.

Luminis exacta diffinitio.

Itaque nos ex his colligamus lumen iuxta sui propriam naturam non fuisse diffinitum, propterea nos exactiorem poterimus conscribere diffinitionem, si dixerimus, lumen esse speciem visibilem in toto perspicuo, à luce splendidi corporis emanantem, vt colorum differentiæ cognoscantur, cæteraque omnia conseruentur, species ponitur loco generis, formamque luminis dicimus esse qualitatem spiritualem tamen, non corpoream, cum non sit res, sed species, & similitudo, & imago rei, additur visibilis ad differentiam cæterarum specierum aliorum sensibilium, quæ à sensibus non apprehenduntur, dicitur etiam, in toto perspicuo, vt significetur substantia, quod est materia luminis adiungitur etiam, à luce corporis splendidi, vt significetur causa efficiens, quæ corpus lucidum est, finis iam in hac diffinitione duplicatus apparet.

Tenebre quid.

Hæc obiter de lumine dicta sufficiant. Ex his corollariè quid sint tenebræ patet, sunt enim, Philosopho teste, libro 2. de anima 70. absentia, & priuatio luminis in perspicuo, vnde tenebræ nō sunt quid positiuum, sed priuatiuum, vnde etiam patet, tenebras non opponi luci, sed lumini priuatiue, nam lux in diaphano corpore non reperitur, sed in denso, solidoque, tenebræ verò in diaphano tantum. Hactenus ergo de lumine, & tenebris, nunc de perspicuo quædam dicamus. Perspicuitatem Philosophus inquit tum libro de sensu, & sens. cap. 3. tum etiam libro 2. de anima esse communem naturam, & qualitatem non tantum aeris, & aquæ, sed aliorum corporum habentium perspicuitatem, quæ separari nequit, quandoquidem non sit substantia, neque per se existens. Hæc perspicuitas in aliquibus corporibus terminata est, vt in his, quæ terræ qualitatibus participant, vt vitro crystallo, & alijs lapidibus, in aliquibus verò interminata, vt in his, quę simplicia sunt, vt cælo, aere, aqua, & igne.

De Perspicuo.

Hæc etiam perspicuitas, corporibus, quibus inest, æqualiter non inest, sed secundum magis, & minus, magis enim cælo, minus verò elementis, & alijs, inter elementa conspicuus magis est ignis, deinde aer ille, qui illi continenter est subiectus, & idcircò statim ad luminosi præsentiam corporis lumine repletur vniuersus. Succedit deinde aqua, cui etiam quædam succedunt corpora, quæ conspicua esse cernimus, vt vitrum, crystallus, & huius generis alia. Hoc est illud perspicuum, quod alio nomine dicitur pellucidum, translucidum, diaphanum, & transparens, quod aptum natum est in sui natura recipere lumen, itaque perspicuum est subiectum, & materia luminis, lumen verò actus, & forma perspicui, non potest autem recipere lumen, atque aliarum rerum colores, nisi sit peruium, peruium autem esse non potest nisi habeat substantiæ tenuitatem, vt per eam possit lumen intima penetrare.

De opaco.

Hæc de perspicuo; nunc corollariè quædam de opaco dicamus, corpus opacum illud appello, quod perspicuo opponitur, quodve luminis non est emissiuum ob eius crassitiem, atque corpolentiam, & proprie opacum competit terræ, terra enim in causa est tenebrarum ob eius opacitatem, differt opacum à tenebroso, nam tenebricosum aptum est fieri illustre, ac lucidum, præsentia, scilicet corporis lucidi, vt patet de aere, opacum verò non aptum est fieri illustre cum ipsum sit tenebrarum causa. Sed dices quæ nam sunt principia opaci, & perspicui? Respondeo esse puritatem, ac impuritatem materiæ.

Quæ sunt principia opaci, & perspicui.

Causa vt sit diaphaneitas est puritas materiæ, sicuti opacitatis causa est impuritas ipsius. Ex quo sequitur, quod id, quod habet minus de fæce, & impuritate ipsius materiæ erit magis perspicuum, sicuti è contra id, quod plus habet de fæce ipsius materiæ minus habebit de diaphaneitate, seu perspicuitate, & magis ad opacitatem verget. Hactenus igitur de lumine, & perspicuo, nunc ad coloris naturam accedamus.



Quæ

Quæ sit colorum eßentia, naturave.

Theorema XXVI.



Vpposita colorum existentia, de eorum essentia disputatur, scimus enim fuisse non nullos insipientes Philosophos, vt Pyrrhonici, & Epicurus, asserentes nihil esse colores, sed tantum puras apparentias, quorum opinio, quoniam multum ab euidentia, & rei natura recedit, ideo à nobis tamquam stulta reicitur. Est igitur color, quem Græci vocant χρῶμα, si rem breuibus complecti velimus ex Arist. estremitas perspicui in corpore determinato.

Color quid

Notum enim est in corporis termino collocari colorē, cuncta enim corpora ab aspectu per suas extremitates aspiciuntur, nihilque penitus in natura aspici potest, nisi colore sit præditum, ergo color est extremum perspicui in corpore finito, seu determinato, & confirmo, nam omne corpus conspicuum, siue terminatum sit semper in extremo suo colorem habet, id quod in aere, & aqua palam est.

Quamuis enim corpora fortassis simplicia sint, colorantur tamen quoquomodo cum quemdam ad oculos nostros colorem transmittant, & si color ille verus non sit color, corpora verò determinata veris, ac permanentibus coloribus colorantur, qui in illorum extremitate cernuntur, vt colorata sunt, & vniuersaliter nullum corpus visile reperitur, quod per extrema sua, quæ de foris sunt, atque ipsum ambiunt, non videatur. Iure igitur merito dicamus, colorem esse extremitatem corporis terminati scilicet non transmittentis lumen, sed misti, & opaci. Patet enim manifestè, nos non videre res nisi ex extrinseco, non enim videmus parietem, nisi per extrinsecum scilicet colorem, & ideo color quodammodo superficies est. Ex hac diffinitione sic explicata patet discrimen intercedere multum inter colorem, & lumen, lumen enim, vt inquit Arist. est vt color, seu vt color quidam perspicui, perspicui tamen interminati, cum luminis natura consistat in diaphano interminato, color verò est extremitas perspicui, sed terminati, genus in hac diffinitione est, ly extremitas, quæ est qualitas secunda consurgens ex mistione lucidi cum opaco, intercedente diaphano, illa dictio, in corpore determinato est differentia addita mentalis, quæ poni solet in diffinitione accidentium. Hanc igitur putamus, esse exactam coloris diffinitionem nobis ab Arist. traditam de sensu, & sens. cap. 3. Nec illa libro 2. de anima tradita diffinitio coloris exacta est, cum illa non explicet quid sit, sed quid nam operetur patefacit, dixit enim Arist. colorem esse motiuum perspicui secundum actum, actu enim mouet perspicuum, at hoc colori satis alienum est, nam esse motiuum visus competit colori, non quatenus absolute est color, sed quatenus visibilis, ideo per hoc coloris ipsa natura non exprimitur, proinde videtur potius Aristotel. his verbis illam, vt coloris proprietatem proponere, quam vt coloris diffinitionem adducere, attamen, quia statim subiungit, & hoc est ipsius natura, innuere videtur, posse per hanc proprietatem diffiniri colorem, non quidem absolute, vt color est, sed vt visum respicit, & visibilis dicitur, ideo si ea est vocanda diffinitio non est talis diffinitio, per quam absolute sumpti coloris natura declaretur, sed est descriptio quędam tradita per posteriora, & pro occasione sufficiens, cum enim non alia ratione ibi de colore agatur, quam ad declarandam ex sua operatione facultatem animæ visiuam, sat fuit declarare nomen coloris, pro vt visum respicit, & quoniam visibilis est, non autem alia ratione visibilis est nisi, vt est motiuus perspicui, quod actu perspicuum sit, idest illuminatum, lumen enim actus est, & perfectio perspicui, vt in eodem loco Arist. docuit. Sed rogabit aliquis, an hæc tradita diffinitio sit formalis, an causalis, an costans ex vtraque.

Interrogatio.
Satisfactio.

Respondetur, esse quidditatiuam, & formalem, qua ratione non est reprehendendus Arist. qui non posuerit in hac diffinitione omnia genera causarum, vt primo de anima iussit, cum id intelligatur de tota diffinitione, costante tum ex causali, tum etiam formali. Nos possumus subiungere, colorem esse perspicui in corpore determinato extremitatem productam ex miscente principia colorum, vt rerum differentiæ cognoscantur.

Causam effectricem iam patet, esse eamdem causam, quæ cęterarum mistionum causa est, etenim idem agens, quod efficit alia accidentia ex permistione qualitatum efficit etiam colores ex permistione diaphaneitatis, lucis, & opacitatis. Causa finalis est, vt animalia cognoscant rerum differentias, vnde videmus animalia à longe per colorem cognoscere quamplures rerum differentias. Quare hæc erit exacta coloris diffinitio, scilicet est extremitas perspicui in corpore determinato producta, ex miscente principia colorum, vt rerum differentiæ dignoscantur.

Quid alij senserint.

Refert Gal. libro de histor. philosophica colorem esse qualitatem corporis visibilis, refert quoque Pythagoricos dixisse colorem esse superficiem corporis, Empedoclem, rem esse proportionatam meatibus oculorum, Platonem flammam è corpore prodeuntem, Genonem, colores esse primos materiæ habitus. Auic. libro 6. natural. cap. 2. dixit colorem esse qualitatem pendentem à corpore lucido, Albertus libro de sensu, & sens. trac. 2. cap. 2. autumauit colorem esse lucem incorporatam, & retentam in perspicuo terminato.

Sed

Sed præter has diuersas, quas assignarunt nuper enumerati grauissimi philosophi, sunt etiam per arduæ difficultates aduersus assignatam à nobis coloris diffinitionem, & primò, nam color videtur esse qualitas, non ergo dicendum est esse extremitatem, seu superficiem.

Secundò contra eandem diffinitionem, nam color non dum est in superficie, vt diffinitio innuebat, sed etiam in profundo corporum, quod conspicitur in lapidibus, in niue, in marmore, quæ ita sunt in profundo colore aspersa, vt in extima parte.

Tertiò Aduersus illam particulam, perspicui, color videtur affixus corporibus quibusdam, quæ tantum abest, vt perspicua sint, vt potius omniquaque opaca videantur ob maximam illorum soliditatem, veluti conspicitur in lapidibus, & metallis.

Quartò aduersus illam particulam, in corpore terminato, quoniam quam plura sunt colorata, & iucundè colorata, & tamen habent esse interminatum, vt de vino patet, nec non de succis innumeris, qui non fictum habent colorem, sed verum.

Quintò diffinitio superior, quæ Arist. est non est recipienda ex Mercuriali libro de decoratione cap. 8. & præcipuo argumento, nam supponit colores non esse sine luce colores, & tunc doctissime arguit, ergo colores nihil essent secundum sui substantiam, si dependerent à luce.

Cæterum ante quam hæc argumenta dissoluantur, sciendum non esse recipiendam Galen. illam diffinitionem, nam, Spurius est ille liber, fortassis autem Galen. magis exactè colorem diffiniuit libro proprio de coloribus, quem ipse citat libro 6. de placidis Hipp. & Plat. qui non dum extat, Pythagorici imperfectè locuti sunt, tantum genus assignantes. Empedocles satis genericè locutus est. Platonis sententia, quam Mercurialis insequitur, mihi non arridet, nam non assignat formalem, & quidditatiuam coloris diffinirionem, sed causalem potius, dum dicit in Timęo colorem esse flammam, & splendorem cælestem, nam color fit ex hac flamma, seu luce, tamquam causa, vt supra visum est, nec quod in Alemnone dicit, probare possum, non enim valeo intelligere, quid significat ille affluxus, seu apocrisis, à corporibus exiens, visui proportionatus, & sensibilis, sic enim definiuit colorem. *Aliorum sententia confutantur.*

Auic. diffinitio quoque peccat, primò, quoniam non dum color est huiusmodi, sed quicunque color ex lumine productus.

Secundò, nam conuenit talis diffinitio etiam lumini, lumen enim qualitas est à luce pendens, Nec illa Alberti sententia recipienda est loco supra citato, nam lux qualitas prima est, color verò qualitas secunda, deinde color consurgit ex mistione lucis cum diaphano, & opaco, ergo non est lux. Ea propter ad argumenta soluenda accedamus. *Solutiones argumentorum.*

Ad primum concedunt aliqui colorem esse qualitatem, negant tamen Arist. diffinitionem de colore esse intelligendam in recto, sed in obliquo, ita vt per ipsos talis sit structura diffinitionis, color est in extremitate perspicui corporis terminati, sed pace istorum nullo modo est recipienda responsio, primo nanque contradicunt Arist. in littera dicenti colorem esse extremitatem perspicui in corpore determinato. *Responsio quorũdam impugnatur.*

Secundo genus in obliquo non cadit in diffinitione, sed potius in recto.

Tertio quod magis est, sequeretur diffinitionem hanc non dicere, ac explicare quid sit color, sed in quo sit, veluti de animæ finitione dubitat Plotinus aduersus Arist. Æneade quarta libro 2. cap. 1. dicens, Arist. per illam explicasse non quid sit anima, sed cuius sit, pari pacto secundum hos non dixisset Arist. quid sit color, sed cuius sit, & in quo tantum sit. Quare dicendum melius est cum D. Thoma, & Alex. dicentibus, quod dum Arist. dicit colorem esse extremitatem non contradicit superioribus dictis, in quibus Pythagorę dicta corrigere nitebatur, scilicet colorem non esse superficiem, sed potius in superficie, duplex enim ex mente Alex. est extremitas, altera est corporis naturalis, qua naturalis, & hæc proprie dicitur superficies, & talis superficies non dicitur de colore, & in hoc sensu Arist. Pythagoricorum dicta correxit, cum ipsi per talem superficiem definierint colorem in recto, bene tamen potest dici, color est in hac superficie, altera est extremitas corporis perspicui, qua perspicuum est, & hæc extremitas in recto prædicatur de colore, quæ extremitas, seu superficies ab Alex. dicitur qualitas resultans in extremitate corporis misti, & terminati ex commistione lucidi, diaphani, & opaci, quæ qualitas est qualitas secunda, quæ generis locum tenet in diffinitione coloris.

Ad secundum communiter respondetur colores habere duplex esse, alterum potentiale, actuale verò alterum, actuale illud appellamus, per quod valent colores spiritualiter operari, & immutare aspectum nostrum, potentiale vero illud vocamus, per quod colores non sunt in proxima potentia, vt fiant visibiles, in superficie existentes colores actuales dicuntur, & extremitates diaphani appellantur, illæ enim extremitates sunt, quæ visum immutant, in profundo verò colores existentes in potentia dicuntur, non enim valent sensum immutare absque eo quod scissio facta fuerit in illo corpore, ad solutionem ergo argumenti proprius accedentes non negamus in profundo esse colores, sed non esse primo modo dictos, quomodo Arist. diffinirio intelligitur.

Ad tertium respondeo, quod duplex est perspicuum terminatum alterum, alterum verò interminatnm, voco interminatum illud, siue mistum, siue simplex, per quod sine impedimento defertur lumen, siue solidum, & consistens, siue fluxile, & rarum extiterit, vt vitrum, lapides prætiosi, aqua, aer, ignis, & cælestes quædam partes, & in hoc lumen diffinitur, terminatum voco in sublunaribus corpus mistum, in quo quatuor elementa reperiuntur, & perspicuitas trium elementorum conuocata est cum opacitate terræ, à qua terminum est consecuta, vt in pomo, lapide, auro, & c. & propterea cum sint terminata hæc, lumen non transit per illa, & impedimento sunt nostro aspectui, ne videantur opposita obiecta, hæc vocari mista, quæ siue so.ida, siue rata, consistentia, vel fluxilia extiterint, parum refert, ex quibus deducarur argumenti solutio cum illa dicantur perspicua interminata, Aristot. verò in diffinitione posuerit perspicua terminata, ex qua solutione dilucidior apparet responsio ad quartum argumentum, pro cuius solutione dicimus, vinum, & alios succos dici interminata ratione humiditatis, sed ratione luminis, sunt terminata, vinum enim à lumine percussum est impedimento

dimento ne pertranseat lumen ob eius crassitiem. Addimus etiam, vt supra in solutione tertij argumenti nos diximus, illud intelligere interminatum, per quod defertur, & transmittitur lumen, è contrario terminatum illud intelligimus, per quod scilicet nullum transmittitur lumen, per vinum nullum transmittitur lumen, ergo vinum est terminatum.

Ad quintum, & vltimum respondeo, quod Mercurialis non debet sic sine causa recedere à magno Magistro, scilicet Arist. nam ad eius rationem respondetur in coloribus reperiri duplex esse, alterum est naturæ, & alterum visus, in coloribus quantum ad esse naturæ semper requiritur lux, maximè intern, vt autem sint visibiles, id est quantum ad esse visus, requiritur lux externa, modo ad vim rationis, tunc colores nihil essent, respondetur, quod quantum ad esse visus nihil essent, non autem quantum ad esse naturæ, & hæc sufficiant.

Quis sit modus generationis colorum extremorum.

Theorema XXVII.



VT exactum nanciscatur finem contemplatio de coloribus, superest, vt primò de generatione extremorum colorum, deinde de generatione mediorum agamus. Prius tamen, antequam extremorum colorum generationem aggrediamur, quædam de non veris, & non permanentibus coloribus tangere non ab re putauimus. Non veros, ac minime permanentes colores illos appellamus, qui cito resoluuntur, ac euanescunt, vt patet de coloribus iridis, & de illis, qui in collo columbę conspiciuntur, fit autem, vt breuibus me expediam, generatio colorum in iride ex lumine externo concurrente diaphaneitate, ac opacitate nubis, & vt varia, ac difformis est materia nubis in ipsam suis radijs sol agens, varios, atque diuersos procreat colores, qui cito resoluuntur, quoniam lumen externum est, & nubes etiam cito resoluitur. Idem etiam lumen externum secundum quod varias, ac diuersas facit reflexiones in corporibus mistis, & præsertim in collo columbæ, ita etiam varios, & diuersos facit apparere colores, qui colores etiam cito euanescunt, quoniam externum lumen transfertur ad alias partes. Hoc autem non contingit in coloribus venis, cum in ipsis sit lux interna ignis recepta cum diaphaneitate, vel aeris, vel aquæ, & opacata opaco terræ. Quæ nam vero sit generatio permanentium colorum iamiam explicare aggrediamur. Extremorum colorum principia cum Arist. dicimus esse lucidum corpus, perspicuum, atque opacum, colores extremi sunt album, & nigrum, medij verò purpureus, puniceus, & alij.

Qui sint fictitij colores.

Modus generationis extremorũ colorum.

Conficitur autem generatio albi coloris ex commistione lucis, & conspicuitatis summæ cum opaco remisso, è contra verò priuatione scilicet lucis, ac conspicuitatis intensæ cum multo opaco niger procreatur color, ita enim inquit Arist. verus generatur color, vt improprie dictus, quemadmodum enim lumen, quod improprius dicitur color, fit præsentia corporis lucidi, & tenebra, quæ adhuc improprius quidam est color fit absentia luminis, ita etiam de coloribus, ex commistione enim lucis, & conspicuitatis intensæ, aut aeris, aut aquæ cum exiguo opaco terreo generatur albus color, qui similis est in modo generationis ipsi lumini, ex remotione vero corporis lucidi ab ipso diaphano cum multo opaco terreo generatur niger color, qui tenebræ assimilatur, quo fit vt modica terrę opacitas, exuperans verò ignis luciditas, & conspicuitas aeris, aut aquæ exacti albi coloris principia, atque causa extent, è contrario vero exuperans terræ opacitas, modica lux ignis, & aeris conspicuitas, aut aquæ, vera nigri coloris principia sunt existimanda, hæc igitur est generatio extremorum colorum, Nunc videamus difficultates non nullas, & per arduas, quæ aduersus dicta fieri possunt.

Generatio albi coloris.

Generatio nigri.

Quid alij senserint.

CIrca hanc extremorum colorum generationem non nullæ insurgunt perarduæ dubitationes, & primò, nam non videntur procreari ipsi extremi colores, albus scilicet & niger ex lucido, & perspicuo, & diaphano, sed potius ex primis qualitatibus, cuius sententiæ videtur fuisse Galen. libro 1. de vsu part. cap. 15. & hoc experientia confirmatur, nam ex nigro, seu luteo colore argumentari vnicuique licet caliditatem, ex colore albo frigiditatem, vt in marmore, & in pipere, quare primæ qualitates erunt causæ colorum.

Secundò difficultas est in generatione albi coloris, dictum nanque est ad procreationem albi coloris requiri multum lucidi, atque conspicui, & parum opaci, sed huius contrarium dixit Aristot. libro 2. de generat. animalium cap. 2. & libro 5. de generat. animal. cap. 6. vbi albi coloris niuis, scilicet. & spumæ, & genituræ causam esse dixit aeris, & aquæ commistionem.

Tertiò si principia albi coloris sunt lucidum, atque diaphanum, tunc sequeretur, quò corpora magis conspicuo participant, eò magis alba esse opertere, cuius tamen oppositum videmus de oui albumine, quod magis album est coctum, quàm crudum, & tamen crudum magis est conspicuum, quàm decoctum.

Quartò in oleo prædominatur aer, & tamen oleum nõ albescit, de lacte est adhuc dubitatio cum in lacte sit in prædominio terra, & tamen lac est intensè album. Sed ad hæc.

Ad pri-

Ad primum dicimus, colores non argumentari medicis primo, & per se qualitates, sed per accidens, & secundario, idest quod si contingit in corporibus humorum adustio, cum adustionem sequatur opacitas plurima, quia adustio reddit humores terreos, ad quam terrestreitatem, & opacitatem sequitur nigredo, ex quo apparet quomodo nigredo non indicet immediatè qualitates, sed per accidens, per se autem opacitatem, nec vniuersaliter verum est quorumdam medicorum commune dictum, omnia scilicet alba frigidiora esse, & omnia nigra calida esse in suo genere, nec etiam ipsas qualitates primas, vt frigus, calorem, humorem, & siccitatem species, & colorum genera diuersificare. *Solutiones argumentorum. Nō omnia alba frigida sunt.*

Si quidem ijdem colores cum omnibus qualitatibus persistunt. In marmore enim albus color stat cum frigiditate, in lacte verò, calce, saccaro cum caliditate; Marmor enim album fit ex eo, quod in eo est maxima quantitas aquæ, & aeris, quæ hærent ipsi terræ cum terreum sit. Quoniam verò aer, & aqua sunt conspicua, ideo album redditur. At calx, & saccarum alba sunt, quia calidum resoluit humidum crassum terræ commistum, in qua resolutione partes disiunguntur, & subtiliores redduntur aereæ magis, & conspicuæ, & ob id albificantes; lac verò album est ob coctionem, atq; spirituum multitudinem, qui aliquid ignis lucis in se retinent, vnde albedo illa causatur. Item nigredo in hebeno stat cum frigiditate, in pipere cum caliditate. Hebenus enim ob sui densitatem non habet elementa conspicua. Nigredo verò piperis stat cum caliditate, quandoquidem calidum non tantum humidum resoluit, sed quandoque etiam si quid aeris ibi existat, ita de humido, & sicco dicendum est. Albedo enim cum siccitate calcis, & saccari, atque cum lactis humiditate persistit. Nigredo verò cum siccitate piperis, & humiditate humoris atri sepiæ, & nigri oculorum. Idcirco qualitates primæ colores non diuersificant in specie, cum vnam, & eandem speciem cum oppositis qualitatibus persistere posse omnes norint. Quare ex hoc manifestum est, qualitates primas non esse colorum principia, & causas, sed lucidum perspicuum, & opacum, vt sufficienti oratione ni fallor supra monstrauimus.

Ad secundum dicamus nullam esse repugnantiam in dictis Philosophi, propterea quod in spumæ, & genituræ generatione est lucidum ignis commistum conspicuitati aeris, atque ignis quidem secundum lucem, non autem secundum suas primas qualitates, vt in argento cerni potest, in quo maximus albor apparet non ob aliam causam, nisi quia ibidem dominatur ignis quoad lucem, non autem quo ad suas qualitates primas. Ita in niue est commistio lucidi ignis, quoniam inniue multum quidem calidi continetur, qui acquiritur ex motu in eius exortu, adhuc ob exhalationem commistam calida est, adueniente vero frigido vnitur, ac condensatur nix, ex qua vnione oritur illa albedo. Idcirco albedo niuis maxima est, quia aerea, & spirituosa est. Aer enim perlucens album gignit colorem. Similiter genitura esse dicitur alba ex commistione multi spiritus.

Sed quis ambiget de niue, quæ cum sit purè aqua, & simplex non debet esse colorata, siquidem color, odor, sapor accidentia sint qualitatum primarum temperamentum sequentia, nix autem caret temperamento, ergo. *Obiectio de niue.*

Mitto hic responsionem Alberti, quæ non est recipienda, nos autem dicimus niuem esse corpus mistum, quamuis imperfectum, color verò, odor, & sapor tùm perfecti, tùm imperfecti misti affectiones sunt. *Responsio.*

Ad tertium respondetur consequenter accidere colorem illum altiorem ipsi albumini ex ipsa scilicet coctione, per hanc enim, educuntur partes aqueæ, & resoluuntur, quibus eductis, & resolutis aereæ partes vniuntur, ex vnione quarum candidius redditur ouum. Causa eadem de gypso calce, &cęt. lapidibus assatis, atque ossibus, quæ fiunt alba, cum à calore humidum tanquam opacum in ipsis mistis nigrum colorem producat, quod experientia patet, nam si aqua aspergatur cinis, e xalbo, vel pallido fit niger cinis, qua ratione dicimus aquam nigrotis esse causam, ratione sui humidi crassi, alboris verò causam ratione suæ conspicuitatis.

Ad quartum de oleo respondetur, non esse verum illud assumptum, vbicunque dominatur aer illud corpus debere esse album, nam concurrat oportet lucidum ignis, quod non est in tanta quantitate in oleo, vt oleum efficiat album. Obijcies, Peripateticorum dogma est ignem non lucere, quomodo ergo est causa lucis? Respondetur cum Auer. in paraphraside colore, & libro quarto cœli, & mundi 32. ignem non lucere secundum se, si tamen cum alio corpore commiscetur lucere potest. De lacte dicimus quod licet in lacte prædominetur terra, quia tamen terræ admiscetur, aer, talis aer reddit ipsum album, non enim est necesse, vt in corpore albo sit in prædominio aer, sed sufficit, quod ibi sit aer in moderata quantitate. *Obiectio soluitur.*



Quis

Quis sit modus generationis colorum mediorum.

Theorema XXVIII.



Missis antiquorum placidis circa generationem mediorum colorum, nam nimis in immensum excresceret oratio in ijs recensendis, & infringendis. Itaque breuitati studentes, & vtilioribus indulgẽtes modum ab Arist. nobis assignatum aperiemus. Verum antequam veram, & peripateticæ disciplinæ consentientem mediorum colorum productionem aggrediamur, præaccipiendum nobis est cum eodem Arist. hoc vnum, duplicem scilicet esse mistionis modum, alter est qui potius dici debet iuxta positio, & accumulatio quædam, seu apparens quædam commistio, & miscibilia hoc primo mistionis modo non miscentur secundum totum, quoniam non confunduntur, nec se penetrant, sed solum contangunt se, vt si plura accipiantur semina, vt triticum, hordeum, auena, & id genus alia, atque inuicem misceantur, & hic est vnus mistionis modus, quem tantum antiqui sunt insecuti.

Duplex est mistionis modus.

Alter existit mistionis modus longe verior, atque exquisitior hoc priori, & est quando à natura commistio fit, & tunc est, quando ea, quæ miscentur, secundum totum miscentur, mistumque redditur similare in toto, & in partibus suis, ita vt quælibet pars misti, mista esse dicatur, & ex hoc mistionis modo crasis acquiritur, quæ est mistionis terminus, ob id libro 1. de generat. & corruptio. tex. vltimo appellauit ipsam miscibilium alteratorum vnionem, miscibilia prius propugnabant inuicem, in misto verò stant simul vnita ob crasim, & symmetriam propter alterationem acquisita. Hac habita distinctione, secundum mistionis modum nostro proposito accommodamus, commistis enim secundo illo mistionis modo corporibus, vt conspicua, atque luciditate prædita, & opacitate, generanrur medij colores.

Hæc enim corpora sunt omnium colorum principia, vt sunt conspicua scilicet lucida, & opaca, tum mediorum, tum etiam extremorum colorum causæ existunt, etenim extremorum in summo gradu, in remisso verò gradu mediorum causæ existunt, nam quoties corpus ex commistione genitum plus lucis, & conspicuitatis, minus autem opacitatis in se recipit, color albori proximus exoritur, vt flauus, vel puniceus, si verò in alia proportione, alij colores exoriuntur. Hinc facile reddi potest causa multitudinis colorum, nam ea, quæ inter se commiscentur varijs, diuersisque proportionibus commiscentur.

Hinc etiam colligi potest ratio, quosdam colores iucundos, atque aspectui gratos esse vt viridis secundum Arist. cæruleus secundum Galen. quosdam vero ingratos, ac iniucundos, vt album, & nigrum. Si enim in mistione proportionis modus obseruetur, vt in numeris accidit, iucundæ, atque gratæ species colorum oriuntur, quoniam illa proportio, ac temperatura proportioni, & temperamento sensiterij correspondet. Si vero quandoque secundum excessum, atque defectum in corporibus commistio fiat, tunc iniucundæ, atque aspectui ingratæ species exoriuntur, propterea quod alterum est temperatum, vt sensus, alterum vero absque temperie, vt species secundum excessum, vel defectum genitæ. Galen. libro 1. de sympt. caus. cap. 6. nixus est aliam adinuenire causam iucunditatis, & iniucunditatis colorum ipsi visui, eamque dixit esse tutelam visus, ideo enim color iucundus est aspectui, quia ipsum tuetur, atque conseruat, quod si à temperamento recedat aspectus ratione coloris iucundi recuperatur temperamentum, atque inter omnes cæruleum commendat, tamquam primum, quo optimè visiua facultas delectetur. Parum tamen commendat alborem, & ad alborem vergentes, tamquam sensui noxam inferentes, his enim visus hebetatur, ac dissipatur, similiter nigredinem, tamquam oculis contrariam damnat, ipsam enim oculi cum molestia recipiunt.

Cæterum hæc allata causa à Gal. non multum recedit ab illa Philosophi, nam color ille, qui ex rationabili proportione exoritur, delectationem affert aspectui, & ille visum conseruat, atque tuetur, vt viridis. Ex hoc etiam colligere possimus cur species colorum sint finitæ, cuius alia non potest esse causa, quoniam extrema sunt finita, in quolibet enim genere contraria sunt, cum vero contraria sint finita, efficitur vt media quoque sint finita & certa. Vnde cum Arist. libro de sensu, & sens. cap. 4. in fine septem colorum species statuimus, duas quidem extremas, album scilicet, & nigrum, quinque intermedias, puniceum, cęruleum, viridem, rubeum, ac purpureum. Sed quis curiosè admodum nos efflagitabit, quæ nam species illæ mediæ colorum inter alborem, & nigrorem sint ordinandæ?

Cur species colorũ mediorum sint finitæ.

Interrogatio.

Responsio.

Respondeo animaduertendo mentem, & verba Philosophi, extremos colores statuimus à lateribus, inter quos medios colores locamus, quorum mediorum colorum, vnus necesse est vt sit medius per æquidistantiam, & æqualem extremorum participationem, talem nos secundum Aristot. ponimus viridem, nam in 31. part. problem. 20. quærit Arist. quare viridis color præ cæteris visum conseruet? Assignat causam, quod inter contraria, & extrema viridis color medium magis attingit, albus enim visum distrahit, niger verò perturbat. Bini deinde ex vtroque viridis coloris latere constituuntur, inter viridem, & album cæruleus, & puniceus collocantur, hoc modo vt viridis sequatur cæruleum, cæruleus puniceum, cui succedit albus, inter verò nigrum, & viridem duo alij colores collocantur, rubrus scilicet, & purpureus ita vt viridis sequatur ex alia parte purpureum, purpureus rubrum, cui tandem niger succedit. Isti ergo medij colores, secundum maiorem, & minorem

Viridis color in medio permanet.

rem proportionem conſpicui, lucidi, & opaci gignuntur. Cæruleus, ſi rem arithmetica, & muſica lance ponderare velimus, eſt in diapente, quæ proportio eſt duorum ad tria, tres enim gradus lucis, & conſpicuitatis colorem puniceum efficiunt, puniceus verò eſt in diapaſon, quę eſt proportio duorum ad vnum, cum duo gradus lucis, & duo conſpicuitatis ſint cauſæ effectrices coloris punicei. Eadem etiam reperitur proportio inter rubrum, & purpureum. Rubrus enim color eſt in diapaſon, ita vt duo gradus opacitatis, vnus autem lucis, vel conſpicuitatis procreent colorem rubrum, purpureus in diapente gignitur, tres enim opacitatis gradus, & duæ lucis, vel conſpicuitatis colorem purpureum efficiunt, quod facile hac tabella poteſt videri.

Eſt in diaphaſon duo gradus lucis, & conſpicuitatis, & vnius remiſſæ opacitatis.	*Eſt in diapente, tres gradus opacitatis, vnus lucis, & conſpicuitatis.*	*Eſt in diapente, nam tres gradus lucis, & conſpicuitatis, & duo opacitatis.*	*Eſt in diapẽte nam duo gradus lucis, & conſpicuitatis, & vnus terræ opacitatis.*
Niger, Rubrus,	Purpureus,	Viridis, Cæruleus,	Puniceus, Albus.

Hæ igitur ſunt ſpecies principes mediorum colorum, poſſunt tamen ad maiorem numerum creſcere non ſpecies, ſed differentiæ colorum, cum aliæ differentiæ ſint colorum ſecundum gradum potius, quàm ſecundum ſpecificas differentias, poſſunt enim alij colores pullulare ab his determinatis ſeptem ſpeciebus colorum, qui potius gradus dicuntur, quàm ſpecies diſtinctæ colorum, qui gradus maxime nobis ſunt incogniti, ob id manifeſtas colorum ſpecies dinumerare voluimus. Ratione quorum graduum orta fuit altercatio maxima inter Philoſophos, & Medicos, quorum alij tuentur ſeptem, alij octo, alij nouem, alij adhuc plures eſſe colorum ſpecies, & hoc, ratione maximæ difficultatis, quæ reperitur in cognitione colorum, cum difficile ſit nobis diſtinguere gradus à ſpeciebus, nec hoc mirum eſſe debeat, quoniam cum primarum qualitatum differentias exquiſitè cognoſcere non poſſimus, quarum tamen notitia nobis magis eſt ſenſata, ac familiaris, quanto minus poſtea cognoſcemus colorum differentias, quæ ex miſtione diaphani, & lucidi, cum opaco, quæ ſunt naturæ maximè ſpiritales, & maxime à ſenſibus noſtris remotæ? At quis objiciet ex Auer. in paraphraſi de ſenſu, & ſenſ. vbi dicit colorum ſpecies eſſe infinitas. Præterea, & ratione probatur, quæ Io. Grammatici eſt, in quacunque ſpecie coloris reperitur gradus intenſus, & remiſſus, in albedine reperitur ſumma albedo, & remiſſa albedo, in vnaquaque etiam infiniti gradus, ſed iſti gradus adinuicem differentes ſunt ſpecie, igitur colorum mediorum infinitæ erunt ſpecies, probatur minor, non omnis motus eſt à contrario in contrarium, & ratio eſt, quia termini ſunt contrarij, ſed inter quoſcunque gradus vt à ſumma albedine, ad remiſſam eſt motus, igitur, & illi gradus ſunt contrarij, ſi contrarij, igitur ſpecies differunt, cum libro decimo metaphyſ. contraria ſpecie differunt.

Variæ ſententiæ circa ſpecies colorum.

Dubitationes duæ.

Dicendum, finitas eſſe colorum ſpecies, vt ſupra docuimus, Ad Auer. dicimus ipſum eſſe intelligendum in hoc ſenſu, ſcilicet ſpecies colorum mediorum eſſe infinitas, quia apparẽt infinitæ, color enim albus indifferenter ſe habet in miſtis, aliquibus intenſè, aliquibus magis remiſè, ideo ſpecies colorum apparent infinitæ, re vera tamen ſunt finitæ, quod libro 6. phyſ. comment. 32. à veritate coactus Auer. faſſus eſt.

Solutiones.

Ad Io. Grammatici, rationem, ſimpliciter negamus, gradus illos ſpecie differre, nam ſumma albedo à remiſſa ſpecie non diſtinguitur, ad probationem dicimus eſſe motum à ſumma albedine ad remiſſam, ſed tamen inter ſummam, & remiſſam albedinem dicimus non eſſe verè, & propriè contrarietatem, bene tamen eſt tanta contrarietas, quæ ſufficit pro motu, non enim intenſa, atque remiſſa albedo arguit talem contrarietatem, vt ſpecie differant.

Quid alij ſenſerint.

SEd aduerſus dicta de generatione mediorum colorum, ſunt nõ nullæ dubitationes, nam quidam autumarunt, medios colores generari ex extremis, ſcilicet albo, & nigro, & huius ſententiæ ſunt quamplures interpretes Ariſtotel. Dubitatur etiam circa ſupradictum generationis modum mediorum colorum, nam ex conditionibus miſtionis habemus miſcibilia debere ſe inuicem propugnare & in miſto debere manere, ſed extremi colores has conditiones non ſeruant, igitur medij ex extremis coloribus non conſtituuntur, cum tamen videamus cineritium colorem fieri ex ſuperabundantia albi in nigrum, & ex abundantia nigri in album fieri cæruleum, & ſic in cæteris, minor probatur, nam albus color non agit in nigrum, & ſi centum annis ſimul ſteterint. Nec in miſto permanent colores extremi, nam tunc medij non eſſent formæ ſimplices, ſed compoſitæ, quod falſum eſſe omnes teſtantur. Addo tandem miſtionem eſſe corporum, colores non ſunt corpora, ergo. Sed his non obſtantibus ad has rationes aductas breuiter reſpondetur, veram eſſe ſententiam de generatione mediorum colorum, ſcilicet ipſos generari ex eiſdem principijs, ex quibus generantur extremi, quæ eſt doctrina etiam Alexan. libro primo, q. n. cap. 2. vbi dixit, medios colores non exoriri ex extremis, ſecundum formam, & actum, ſed tantum ſecundum virtutem, ideſt ex cauſis, & principijs extremorum colorum, cauſæ verò extremorum colorum ſunt lux, & conſpicuum ſimul cum opaco, ſi enim in commiſtione corporum eædem cauſæ mediocriter miſceantur, colores medij exorientur.

Reſponſio ad argumenta.

Quare fuit rectè ſupradictum omnium ſcilicet colorum, vniuerſalem cauſam eſſe lucem, conſpicuitatem, & opacitatem, quod etiam Auer. faſſus eſt lib. 2. de anima 67. & libro de ſenſu, & ſenſ. Sed antequam ſuperius aductas difficultates ſoluamus, ſoluenda erit alia difficultas.

Alia difficultas.

Si eadem ſunt principia, tùm extremorum, tùm etiam mediorum, non eſt maior ratio, quare extremi ſint cauſa mediorum, & medij non ſint cauſæ extremorum. Dico eſſe diſparem rationem, nam vt ſæpe dictum eſt, commiſtio lucis, & conſpicui cum minimo opaco, cauſa eſt alboris, & remiſſæ nigroris ſunt cauſæ. Eædem verò cauſæ commiſtæ, & ad mediocritatem redactæ mediorum colorum cauſæ ſunt, quæ tamen extremorum non poſſunt eſſe cauſæ, cum ad procreationem extremorum concurrant in ſummo.

Solutio.

Ad primum argumentum dicimus, hæc principia à nobis poſita eſſe agentia, quibus commiſtis commiſtione corporum colorem medium oriri, ſi enim ſequeremur illorum ſententiam, dicentium colores medios procreari ex albo, & nigro dubio procul militaret argumentum, cum nec niger, nec albus color ſe inuicem propugnent.

Secundum argumentum ſic ſoluitur, nam dicimus in corporibus coloratis hæc principia virtualiter remanere.

Ad tertium dicimus, quod colores quamuis non ſint corpora, attamen miſcentur, propterea quod ſunt in corporibus, ratione quorum fit miſtio, & hæc hactenus.

Quid vrina, eius vtilitas, et generationis modus.

Theorema XXIX.



Voniam circa excreta, & retenta noſtra per plura theoremata verſatur oratio, ideo de vrinis non nulla breuiter dicamus multas, atque ſexcentas quæſtiones omittentes, nam nimis noſtrum excreſceret opus. Vrina igitur ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, quod eſt meiere, latinè lotium dicitur, ſed antequam ad eius eſſentiam, atque naturam indagandam accedamus, illud primò ſciendum, maximè medico vtilem, ac neceſſariam eſſe vrinarum inſpectionem, non veluti. Quinti illud canit apophtegma, vrinas noſſe ad pictores pertinere. Nanque venarum, arteriarum, & hepatis affectus nobis oſtendit, vt lib. 4. de ſan. tue. cap. 4. & libro 3. epid. com. 2. tex. 6. dicebat Gal. conſueuiſſe Hip. inſpicere vrinas in læſis inſtrumentis reſpirationis, in ventris, thoracis, pulmonis, neruorumque affectibus, nam bonæ ſi apparent haud magnum præbent momentum ad ſalutem, contra prauæ amplificant ſimul ægri periculum, quod etiam lib. 3. de criſibus cap. 3. confirmauit. Sed quid pluribus verbis eſt opus? Si quod eſt in toto medico opere, quod medici maxime conducat, quodve ingentem vtilitatem, & incredibiles honores medicis afferat, eſt vrinarum cognitio, nanque per has maximè medicus in præſagiendo futurorum morborum euentus præſagire valebit, cum ex coctione, quæ in vrinis aſpicitur, vel malum, vel probum euentum vaticinabitur, modò de principio, modò de augumento, & ſtatu, inclinationeque morbi certus eſt, quam rem luculentiſſimè declarat Gal. libro 1. de criſ. cap. 17. quid igitur erit vrina? eſt igitur excrementum ſeroſum, hepatis ab humido ingeſtorum, & ſero humorum progenitum, à ſanguificatrice, tùm vt ſanguis depuretur, tùm vt deueheatur, & per orificis penis, vel vteri egreſſum. Et ſi longa eſt hæc diffinitio parum tamen refert, nam continet omnia cauſarum genera, adeſt enim forma, & eſt ly excrementum ſeroſum, materia eſt humidum aſſumptorum & ſerum humorum, efficiens eſt vis ſanguificatrix, finalis eſt, vt ſanguis purior euadat. Hæc igitur diffinitio tota Gal. eſt, ex multis tamen locis excerpta, eſt igitur excrementum ex Gal. libro de diffinit. med. ubi duas parum differentes diffinitiones aſſignat, prima eſt, urina eſt ſuperfluitas ex colata ſanguinis in magna vena, quæ per renes, & vreteras in veſicam delabitur, ſecunda eſt, vrina eſt excrementum, quod in iecore gignitur, diſcernitur in renibus, & per ureteras in ueſicam deriuatur, excerniturque. Ariſt. etiam libro 1. de gen. animal. cap. 18. inter excrementa corporis reponit vrinam, cum ſit alicuius alimenti reliquia, ſcilicet ſanguinis. Eſt tamen excrementum ſeroſum, ſeu aquoſum ad differentiam excrementi ſolidi, vt ungues, pili, cornua, &c. excrementi uaporoſi, ut flatus, ructus, crepitus, &c. quæ ſunt etiam excrementa ex libro 9. de vſ. part. cap. 1. Dictum fuit, iecoris, nam vrina excrementum eſt ſecundæ coctionis vt ſupra diximus, & nunc clarius fiet, ex Galen. libro de diffinit. med. & libro 2. prognoſt. 26. dicebat vrinam arguere facultatem nateralem, vel vegetam, vel imbecillam, quæ eſt in hepate, idem etiam confirmauit Auic. libro 1. fen. 2. doc. 3. cap. 1. ergo excrementum in illo loco generatur, cuius arguit robur, vel infirmitatem, ſed hepatis, & venarum, arguit affectus, ergo hepatis, & venarum eſt excrementum. Clariſſima quoque ſunt Gal. teſtimonia ſexcentis in locis idem confirmantia, vt libro 5. de vſ. part. 10. dicebat, quatuor excrementa expurgare iecur, duos renes, & lienem, & ciſtam fellis, ſi ergo renes iecur expurgāt, ergo ibi illud excrementum generatur, & ſubiungit, neque renes trahere huiuſmodi excrementa potuiſſent, niſi qualitatis communitas cum ipſis excrementis interceſſiſſet, hanc ſupradictam doctrinam pluribus alijs in locis confirmauit Gal. lib. 1. de criſ. cap. 4. lib. 3. epid. com. 2. tex. 6. lib. 4. Aphor. 77. & tandem libro 1. epid. com. 2. 44. Quinimo dicebat libro 4. de ſanit. tue. c. 4. de ijs quæ intra venas ſunt excrementis, nullum planè, nec manifeſtum, nec euidens ſignum habemus præter ſolam vrinam. Quare vrina excrementum eſt hepatis, & venarum, nam ſicut fæces dicimus eſſe primæ coctionis excrementa, & eiecta per nares cerebri, & tuſſi excreta pectoris, & pulmonis, ita vrina erit excrementum eorum, quæ in hepate, & venis ſunt; Vt ex hac habita veritate duo errores innoteſcant primus eſt lyci Macedonis, vrinam eſſe excrementum renum perperam, ac præter omnem rationem autumantis, quem tanquam de mentem Gal. lib. 5. de vſu part. in fine, & primo de nat. fac. vltimo reprehendit.

Quinti Apophtegma

Inſpiciōda ſunt vrina non tātum in affectib. venoſi generis.

Vrina quid

Duo errores alter lyci.

Secundus

Secundus error est Argenterij libro de vrinis capitulo 2. Salui Sclano libro 3. art. med. cap. 5. asserentium vrinam gigni in prima coctione in ventriculo, non tamen vrinæ nomen capere, donec à sanguine separatur à renibus, sed hi, vt nouorum dogmatum inuentores, ita falsa pronunciant, nam pugnantia loquuntur, si enim in ventriculo gignitur vrina, cur postea nomen in secunda coctione accipit, remota multum est hæc generatio, nos enim quærimus de loco propinquo generationis vrinæ, eodem etiam pacto poterimus dicere, scilicet in ventriculo generari sanguinem, sed nos non quærimus locum remotum, sed propinquum, quem diximus esse hepar ex Galen. in quo hepate præsertim in eius gibba sumit, & nomen & essentiam, & colorem ipsa vrina. Errat secundò ceruicosus Argenterius, nam nos, vt infra probabimus, tenemus non ex solo potu fieri vrinam, sed ex cibis, & sero humorum. Concludatur ergo vrinam esse excrementum serosum iecoris. Sed hic pulchra, & difficilis insurgit difficultas, nanque Gal. libro 3. de caus. sympt. cap. 2. inquit triplex esse in venarum coctione excrementum, scilicet vnum, amara bilis, alterum, atra, tertium serosum, sed per venas loco citato oportet intelligere principaliter venas, quæ sunt in hepate, vnde nil aliud voluit ibi Gal. dicere, nisi triplex esse iecoris excrementum, nanque flaua, & atra bilis, & vrina in hepate generatur. Si ergo triplex est hepatis, seu venarum excrementum, cur dicit Gal. libro 3. method. med. cap. 3. in qualibet coctione esse necessatio duo excrementa, loquendo de vlcere, cuius alterum est excremen um crassum, quod vocatur sordes, & alterum tenue, quod vocatus ichor. Vt ob vim istius rationis, & authoritatis Saluus Sclanus venerit in illam amentiam, pace tanti viri sit dictum, vt dixerit vrinam esse tenue excrementum primæ coctionis. *Pulchra dubitatio.*

Verum vt supra diximus, cum Argenterio fuit hallucinatus, nam in prima coctione habemus excrementum tenue, & sunt flatus, ructus, deinde nos quærimus de loco propinquo generationis vrinæ, nam remotè potest tolerari præsens opinio, vt est de omnibus humoribus in ventriculo, & denique si hæc opinio esset vera, tantum de vna materia vrinæ verificaretur, scilicet de materia potabili, non de humorali, nam materia humoralis gignitur in hepate. Quid ergo dicendum ad priorem difficultatem? Sunt duo modi dicendi, alter est, quod licet in aliqua coctione sint plura excrementa, tamen ad duo possunt reduci, ad excrementum tenue, & excrementum crassum, modo, & si iecoris excrementum triplex est, tamen vrina, seu serosum excrementum, & bilis flaua ad vnum reducuntur, scilicet ad tenue, atra bilis, ad crassum, idem de excrementis tribus tertiæ coctionis philosophari debemus. *Duo modi dicendi, & primus.*

Alter dicendi modus est, qui nobis magis arridet, quod sanguis in concaua parte hepatis deputatur à duobus excrementis, scilicet ab vtraque bili, quorum alterum crassum est, & alterum tenue, in gibba hepatis parte deputatur à seroso excremento, cuius duæ sunt partes, tenuis, & crassa, tenuis est liquor ipse vrinæ, crassa est ipsum contentum. Dubitatur secundo, quomodo ex Galen. dictis in superioribus vrina potest esse excrementum iecoris, & venarum, & arteriarum. Respondetur, certè lotium generari in hepate, præsertim in gibba, & ibi nomen & essentiam, & colorem accipere, verum istius vrinæ altera portio vadit per venas per totum corpus, vt sit vehiculum alimenti, & sanguinis, quæ postea suo officio functa, vel insensibiliter resoluitur, vel per sudorem foras exhalat, altera vero portio est illa, quam attrahunt renes, & hanc non ettrahunt à iecore, sed à venis extra iecur, idest à venis, & arterijs totius corporis, quo stante respondeo ad dubitationem, si vrina considератur, non ratione loci, in quo suam perfectionem acquirit, sed ratione loci, à quo trahunt renes, hoc modo vrina dicitur excrementum venarum, & arreriarum, si ab arterijs quandoque contingat attrahi, si tamen lotium consideratur ea ratione, qua generatur in hepate, sic hepatis esse excrementum putamus, quare & iecoris, & venarum, & arteriarum potest dici excrementum. *Secundus. Dubitatio. Solutio.*

Quod ex Gal. libro 4. Aphor. 69. vrina non solum est excrementum venarum, sed etiam totius corporis confirmatur, vnde venæ exinanitæ trahunt ab arterijs, hæ à carnoso genere. Quare vrina est excrementum serosum iecoris, ab humido ingestorum, & sero humorum progenitum. Hæc est materia vrinæ, quæ duplex est contra Mercurialem, prima, & potissima certè est humiditas, quæ ex potu & cibis pullulat, & de potabili loquendo Galen. libro decimo, de simpl. med. fac. cap. de sudore, & libro de atra bile cap. 2. & libro primo, de natur. fac. capitulo 17. dicebat eandem habere generationem, & materiam cum sudore; Nanque erat necessum, celebrata prima coctione in ventriculo, vt chylo fuisset admista aquosa aliqua, & tenuis substantia, & ideo Hippocr. libro de alim. vehiculum nutrimenti appellauit, cum vero sanguinis perrransierit ad iecur, & inciderit ad venam cauam, tali vehiculo, idest tota eius portio non amplius fuit necessaria, & ideo ex libro quarto de vsu part. 5. & 6. ne venis futurum esse onus natura fecit, vt à renibus traheretur, & deinde per vesicam excerneretur. *Cōtra Mercurialem.*

Verum vt diximus, non permisit natura vt totum hoc excrementum à renibus traheretur, nam portio quædam ipsius vadit cum sanguine, ex qua fit sudor, & illud excrementum, quod insensibiliter euolat, & quod subucularum regionibus sordis instar apparet, quare eadem est materia sudoris, & vrinæ, prima igitur, & potissima est materia potabilis, & cibalis etiam. Secunda materia, quam ignorauit Mercurialis est serum sanguinis, & humorum, habet enim quisque humor ex Hip. libro 6. epid. com. 2. tex. 38. & Gal. lib. 9. meth. med. cap. 3. & lib. 2. nat. fac. vltimo, & Arist. libro 3. de histor. animal. cap. 19. suum hicorem, est autem, vt in locis citatis definit Galen. hicor serum sanguinis, seu pars serosa, & differunt hæc sera iuxta humorum naturas, quare præter materiam humidam à potu, & cibo surgentem, est secunda materia vrinæ, scilicet serum, vnde apud Hippocrat. libro tertio epidem. comment. 3. tex. 61. multi fuere sanati multarum vrinarum excretione, & nos quoque multoties Messapiæ medicinam facientes, hoc obseruauimus.

Fuit tandem apposita alia particula à sanguificatrice, nam hæc est causa efficiens vrinæ, nam ex Galen. libro de differen. med. sanguinis generatio est causa efficiens vrinæ, finalis causa tandem apparet, vt sanguis depuretur, & vt deuehatur, & postea ipsum lotium per orificium penis foras eijciatur.

Vnde hac habita diffinitione quatuor causarum genera apparent, & hæc hactenus de vrinæ vtilitate, natura, & generationis modo.

An vesica vrinam trahat, & quæ actio sit retentio, et vrinæ expulsio.

Theorema XXX.



Voniam in vrinæ diffinitione, de qua in antecedente theoremate facta menrio est, de vesica factus est sermo, non ab re fore duximus, si paululum disputauerimus, an vesica trahat vrinam, & quæ nam actio sit eius retentio, & expulsio.

Quoad primum breuiter præsens theorema decidatur, vesicam scilicet trahere in corpore sano vrinam, quæ erat Gal. doctrina libro 5. de vsu part. cap. 7. vbi vtramque vesicam, felleam, scilicet purum excrementum excrementum attrahere testatus est, quod etiam libro 3. de natur. fac. cap. 12. confirmauit de ambabus vesicis, & libro 6. de vsu part. cap. 8. dicebat vesicam trahere, retinere, & expellere, vt cor, ob id quia multas habet fibras, quare palam est ex his auctoritatibus vesicam attrahere vrinam. Sed obijcies ex Gal. libro 6. de loc. affec. cap. 3. vbi inuestigans naturam diabetis, inquit renes trahere id, quod serosum est in sanguine, vesicam autem non trahere. Verum Galen. sana mente venit intelligendus, nanque vult in hoc capite in affectu diabetico vrinam serum ad se non trahere, cuius causa non est referenda ad vesicæ tractricem facultatem, sed ad renum, neque diabetem vesicæ esse affectum, & ob id nos diximus in corpore sano vesicam trahere vrinam. Dices, si vesica trahit vrinam, vel hoc est eius excremenrum proprium, vel alienum, non alienum, quia non traheret illud, si proprium, ergo vrina non erit excrementum iecoris, vt diximus.

Obiectio. *Solutio.* *Dubitatio.*

Respondetur à Gal. libro 5. de vsu part. cap. 7. vesicam trahere hoc excrementum, quod est proprium, idest familiare, partes enim trahunt excrementum ratione communitatis, non tamen trahit hoc excrementum, vt nutriatur illo vesica, nam errant ex libro quinto, de vsu part. capitul. 5. qui vesicam vrina nutriri autumant, cum ipsa vesica habeat venas, & arterias quam plures ex hypogastrico ramo, ex quibus tantus sanguis concurrit, quautus ipse sufficiens est, vt ex libro quinto, Aphor. 78. Dices vltimò, renes adhuc trahunt vrinam ex libro quarto, de vsu part. & ex alijs sexcentis in locis, vesica adhuc trahit, ergo duo trahentia. Ad quid ergo multiplicanda sunt trahentia? Respondetur non esse superflua, nam hoc fuit necessarium propter longa interualla. Quoad secundum, an scilicet retentio, & expulsio vrinæ sint actiones naturales, an animales? Breuiter equidem cum Galen. dicerem, vtramque actionem mistam esse, alteram animalem, & alteram naturalem ex libro 6. de loc. affec. cap. 4. retentionem voluntariam esse, & animalem, qui musculi perficitur opera, excretionem, naturalem quæ expultricis facultatis ministerio suscipiatur. Quamuis si volumus rem ad viuum resecare anatomica statera inueniemus, vtramque actionem mistam esse, verum retentio magis est animalis, expulsio magis pro voluntatis arbitrio, quare hæc actio purè animalis est, retinetur etiam vrina in vesicæ fundo ope obliquarum fibrarum, expulsio naturalis est, nam fit in insita vesicæ irritatæ à re noxia, expulsio etiam est animalis, nam etiam expellitur vrina volentibus nobis, beneficio musculorum abdominis. Quare vtraque actio mista est, & hæc hactenus.

Solutio. *Dubitatio.* *Responsio.* *An retẽtio, & expulsio vrinæ sint actiones naturalis, an animalis.*

De sudore quid sit.

Theorema XXXI.



Voniam adhuc versamur in contemplatione excrementorum, opere prætium facturum esse duximus, si de sudore non nulla theoremata addamus; Sudor igitur Græcè ὑδωρ dicitur, quasi aquosa substantia, quoniam autem excrementum est alicuius rei signum, vt vrina est venosi generis excrementum, & supra venosum genus indicat, sudor autem signum est, totius corporis, ac excrementum ex lib. 4. de san. tuen. cap. 4.

Sudor quid

Quid autem sit sudor variè diffinitur à Galen. Re vera tamen sic potest diffiniri, sudor est tenuis humiditas exoriens ex humoribus, humiditas, est loco generis, tenuis, est differentia ratione, scilicet vrinæ, nam sudor est plus elaboratus, quàm vrina ex libro decimo, de simplic. med. fac. ex humoribus exoriens, vt complectamur sudorem sanorum, & languentium, vel sic potest diffiniri, est sudor excrementum, tenue, tertiæ coctionis.

Dubia duo.

Dices, si sudor est excrementum tertiæ coctionis, ergo in tertia coctione resecatur, quomodo ergo potest esse sudor ex humoribus, præsertim ex bilioso, & melancholico, qui in secunda coctione secernuntur?

Secundo,

Secundo, ſudor, & vrina habent eandem materiam, ergo quemadmodum ſæpe ſępius mingimus, ita ſudare ſæpe debemus.

Reſpondetur ad primum, parum referre in ſecunda coctione reſecari bilioſum, & melancholicum humorem, cum etiam miſti humores ad venas contendant, & per conſequens ad totum corpus. *Solutio primi.*

Ad ſecundum dicamus propter corporis habitum denſum non ita ſæpe nos ſudare, vt ſæpe mingimus. Ex hac habita diffinitione patet, male diffiniſſe ſudorem authorem libri de hiſt. philoſophi dum dixit ex mente Empedocalis ſudorem eſſe excrementum ſanguinis liquefacti, nam tunc excrementum eſſet rubeum, cum orta atteſtentur ſuis principijs, & talis eſt ſuperfluitas quale eſt illud à quo deciditur. Præter quod homines multum emaciarentur. Nec Platonis in Timæo eſt omnino recipienda diffinitio quod ſcilicet ſudor ſit excrementum pituitoſum, nam non ſolum eſt pituitoſum, ſed bilioſum, & ſanguineum, & c. Nec Mercurialis ſententia eſt omnino tuta, dum aſſerit ſudorem eſſe tantum portionem materiæ potulentæ veluti, & vrinam, & confirmat hanc doctrinam ex Gal. libro 10. de ſimpl. med. fac. cap. 10. & libro 1. de ſan. tuend. cap. 12. ex experientia, nam qui multum bibunt, multum mingunt, ſed eadem eſt materia ſudoris, & vrinæ inquit ipſe ex Gal. locis citatis, ergo ſudor eſt excrementum materiæ potulentæ. *Solutio ſecundi. Male diffinitur ſudor ab auctore de hiſtoria philoſophica. Platonis diffinitio mala. Mercurialis fallitur.*

Verum quemadmodum à Mercuriali non aſſentior in cauſa vrinæ, ita & in cauſa ſudoris. Dicamus igitur vrinam, non ſolum fieri à potu, ſed etiam à cibis, & quamuis Galen. libro 10. de ſimplic. med. fac. cap. 10. & libro de atra bile cap. 2. & libro 1. de nat. fac. cap. 17. vrinam fieri ex potu dixerit dictum illud vt plurimum venit intelligendum, non enim negant Hip. & Gal. cibum, quod non faciat vrinam, nam Hippocr. libro 3. epid. com. 3. tex. 61. dicebat, vrinas eſſe plures, quàm ex potu, illumque excedebant, quare non tantum ex materia potabili, & cibali, ſed humorali fiat oportet. Quibus ſtantibus ad rem venio, ſi eadem eſt materia ſudoris, & vrinæ, & vrina non ſolum eſt ex potu, ſed ex cibis, & humoribus, ergo & ſudor non ſolum erit ex potu, vt perperam Mercurialis, ſed etiam ex humoribus, & ex cibis.

Hinc videmus ad maiorem rei confirmationem, febres ardentes ſolere quandoque terminari per vrinæ profluuium, & tunc, ò Mercurialis, non ſunt materia potulenta, & humoralis. Idem etiam in quartanis obſeruamus, & ob id ſapientiſſimè dixit Galen. libro 4. Aphor. 69. per vrinam quandoque totum expurgari corpus. Nec omni ex parte Ariſt. diffinitio eſt recipienda, qui aſſerit ſecunda particula problem. problem. 4. ſudorem eſſe humorem incoctum, nam adhuc in venis eſt humor incoctus. Nec illa quam idem Ariſt. attulit libro 3. de part. animal. cap. 5. vera eſt, & laudanda, nam non explicat totam rei naturam, ſcilicet ſudor eſt excrementum humidi vaporis. Verum fortaſſis exotericè locutus eſt, acroomaticè autem nullibi ſudorem diffiniuit. Verior igitur cæteris dictis eſt ſupra poſita diffinitio, quod ſcilicet ſudor, eſt tenuis humiditas, oriens ex humoribus, vel eſt excrementum tenue tertiæ coctionis à ſubſtantia potabili, & humorali proueniens. *Ariſt. diffinitio nō eſt exacta.*

De ſudoris differentijs, & an ſudor ſit euacuatio naturalis, an præter naturam.

Theorema XXXII.



Cum ſudor vt viſum eſt, excrementum ſit, excrementum autem reponatur in illo capite de excretis, & retentis, hoc autem eſt vnum ex rebus non naturalibus, ſed cum res non naturales, vt ſupra diximus eo modo ſe habeant, vt ſi rectè ijs corpus vtatur, ac exhibeantur, corpus in ſanitate conſeruant, è contra morboſum reddant, vt è rebus naturalibus præter naturam fiant, cum igitur ſudor inter corporis noſtri excrementa reponatur, verèque excrementum ſit, vtique ſi ſecundum naturam è corpore trudetur, naturalis dicetur, & eſt, & corpus iuuabit, cum fiat ad animalis commodum, ſin alio modo præter naturam erit, & corpori officiet, vt ſunt ægrotantium ſudores, quare hæc erit ſudoris prima differentia, vel naturalis eſt, vel præter naturam.

Dicimus ſecundum naturam, non autem à natura, nam ex Themiſtio libro ſecundo phyſicor. quinto, in plus ſe habet à natura eſſe, quam ſecundum naturam, nam monſtra, & priuationes, & alia, natura ſunt, licet non ſint ſecundum naturam, itaque ſudores ſunt præter naturales licet à natura ſint, non tamen ſunt ſecundum naturæ ordinem. *Sudor aliꝰ naturalis, alius præter naturā.*

Sed vlterius progrediamur ad alias ſudoris differentias. In ſudore conſideranda eſt materia, & forma, materia eſt ipſa ſubſtantia, ſeu hypoſtaſis, ſeu conſiſtentia, ſudoris forma ſunt alia accidentia vt quantitas, & qualitas, & c.

A ſubſtantia, ſeu conſiſtentia ſudoris ſumuntur multæ differentiæ, nam alij ſunt ſudores craſſi, viſcoſi, glutinoſi, alij tenues, alij humorales, alius bilioſus, alius viridis, alius acris, alius amarus, alius pituitoſus, alius melancholicus, alius ſanguineus de quo præter Ariſtotel. & multorum grauiſſimorum authoritatem adeſt experientia. Ariſtotel. enim libro tertio, de partibus animal. quinto, & libro tertio, de hiſtor. animal. decimonono, aliquos ſanguinem ſudaſſe teſtatur. Theophraſtus libro de ſudoribus idem affirmat, idem etiam Galen. libro de vtil. reſpir. ſi modo Galen. liber eſt. Idem obſeruauit Fernelius libro ſexto, capitulo quarto, & Rondoletius libro de dignoſcendis morbis, cap. 11. *A ſubſtantia. Sudor ſanguineus.*

Per sanguinem autem, crediderim, esse potius ichorem sanguinis vt innuere videtur Mercurialis lib. 4. variar. lect. c. 12. A forma differentiæ sumuntur, per formam autem cætera accidentia intelligo quantitatem, qualitatem, vbi, quando &c. A quantitate, si continua, alij sunt multi, & copiosi, si discreta alij bis, alij ter, alij quater in die sudant; A qualitate, alij sunt sudores calidi, alij frigidi, vt libro 4. Aphor. 37. alij rubri, alij virides, alij salsi, alij dulces, alij fœtidi, acidi secundum Auicen. quamuis Mercurialis acidos non admittat, alij epidemici, vt fuerunt illi in Germania, & Anglia anno Domini 1528. & 1529. qui multa hominum millia necarunt, vnde remansit nomen, sudor Anglius. A quando, vt vel in principio, vel augumento, vel statu, vel declinatione parosismi, vel in temporibus vniuersalibus morborum, alij in æstate, alij in autumno, hyeme, & vere fiunt, alius est diurnus, alius nocturnus. Sed dices, est ne sudor euacuatio præter naturam, an naturalis? Breuiter respondetur ex Galen. libro de diff. sympt. cap. vltimo, sudorem criticum esse euacuationem naturalem, symptomaticum esse præter naturam. Vel aliter dicamus, sudor potest dupliciter considerari, vel respectu causæ euacuatæ, & sic est euacuatio secundum naturam, vel respectu modi euacuandi, & sic est res præter naturam, nam vt plurimum est, vel à virtute debili, vel à nimio calore præter naturam.

A forma. A quantitate. A qualitate. A tempore. An sudor sit euacuatio præter naturā, an naturalis.

De sudore primo modo considerata locutus est Gal. libro de sectis, cap. 9. & libro 1. epid. com. 3. text. 27. asserens sudorem, & vrinam esse naturales euacuationes, nam quod à natura fit, naturale est, hæ actiones à natura fiunt, ergo naturalis est euacuatio sudor hoc modo consideratus, de sudore secundo modo considerato locutus est Diocles, qui ab Atheniensibus Hippocrates iunior dicebatur, qui Diocles teste Galen. libro 1. Aphor. 15. & libro de sympto. diff. cap. vltimo, & libro 3. de alim. in medio sudorem esse omnino euacuationem præter naturam, & ob id dixit Galen. duram esse Dioclis opinionem, si de sudore critico illam exponamus, si verò de symptomatico illam exponamus rectè dicit Diocles ob duas rationes, quas tangit Gal. lib. 1. Aphor. 15. nam si sudor non procederet à causa debili non fieret, sed fit, igitur à causa debili procedit, igitur signum est fieri à calore debili, nā quò maior est calor, eò magis difflatio effugit sensum, quod est in hyeme, è contra in æstate, & ideo fit maior sudor, quia calor est debilis, hyeme non sudamus, quia calor est multus, & insensibiliter difflat, præterquam concurrit etiam corporis textura, seu raritas, quæ in æstate viget, & densitas, quæ in hyeme, & hæc satis.

Quæ sint sudorum causæ, eorumdemque præsagium.

Theorema XXXIII.



SVdoris causæ plures sunt, procatarticæ, antecedentes, & coniunctæ, procatarticæ plures sunt, vt calor, qui aperit, ac fundit humores, in quo calore includo aerem, pannos calidos &c. Adhuc exercitium est causa sudoris, procatartica tamen, & externa. Antecedentes sunt temperamentum, dispositio, & corporis habitus, qui enim habent temperamentum calidum, & humidum, & qui raræ sunt texturæ. Causæ coniunctæ sunt tres, vt facultas, dispositio, & materia. Facultas est duplex, expultrix, & retentrix, fortis sit oportet expultrix, & imbecilla retentrix, hinc qui habent vires imbecillas semper sudant, corporis dispositio facit sudorem, nam vel est densa, vel ampla, seu rara, si densa non fiunt copiosi sudores, si rara è contra, & maxime est rara si insensibiliter fiunt crises, vt in pueris contingit libro 3. prognost. 1. in principio, quare & facultas, & dispositio corporis sunt causæ coniunctæ sudoris, addita tamen materia, à qua excernitur sudor. Verum quoniam hæc materia à qua sudor excernebatur erat substantia, seu consistentia sudoris, deinde forma, seu accidentia, ideo illarum omnium differentiarum supradictarum erit causa reddenda. Sudores crassi proueniunt ex poris laxis à crassitie materiæ, & ab imbecillitate retentricis, viscosi vt in laborantibus hectica, & ptisi, & à superioribus his tribus causis causantur, tenues è contra. Sudores alij erant sanguinei & c. sanguineus fit à facultate debili, & à poris latis, & apertis, tum corporis, tum venarum, exit enim sanguis ob aliquam causam, fortasse quandoque ob multas animi perturbationes, tunc enim temporis sanguis, & spiritus ad cor concurrunt, & sic tenui facto sanguine foras exit. Sudores virides fiunt ob permistionem, & abundantiam porraceæ bilis. Sudor amarus, si qui vnquam fuerit, arguit effusionem bilis per vniuersum corpus. Sudor melancholicus phlegmaticus, biliosus, causantur à copia materiæ, & à poris latis, & à facultate expultrice forti, & retentrice debili. Sudores multi adhuc proueniunt ob dictas causas, è contra pauci. Sed hic sunt duę difficultates, prima est, inquit Hip. libro 4. Aphor. 41. Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta corpus vti pluri cibo significat, si vero cibum non accipienti hoc accidat scire oportet corpus euacuatione indigere, quare talis sudor arguit, vel ciborum quantitatem, vel corporis euacuationem ob ca cochymiam, & plethoriam simul, sed huius oppositum dixit libro 3. de caus. sympt. cap. 2. vbi inquit multum sudorem fieri ob raritatem cutis, & facultatis imbecillitatem.

Sudores crassi à quo proueniāt. Sāguineus a qua causa. Viridis. Amarus. Melancholicus, &c. Multi. Difficultas

Respondet Mercurialis distinguendo de duplici sudore nocturno, & diurno, in nocturno inquit concurrere ciborum copiam, nam in nocte non potest esse rara cutis, diurnum fieri inquit sudorem propter raritatem cutis, & facultatis imbecillitatem, sic conciliat Hippocrat. cum Gal. sed errat bonus iste Medicus, nam etiam in nocte potest esse facultas imbecilla, & pori possunt esse aperti.

Mercurialis impugnatur. Vera respōsio.

Quare ego dicerem sudores fieri ob tres causas superius dictas, quæ si fuerint valde intensæ in

nocte

nocte faciunt multum sudorem, si vero remissæ faciunt in die paucum sudorem.

Secunda difficultas est an in multo sudore conueniat venæ sectio, & pharmacia? Respondet Auicen. libro 1. fen. 4. cap. 20. vel sudor est propter causam procatarticam, vt propter cibum, & potum, & tunc auferendus cibus, & potus est, & hoc cum diæta, si prouenit hoc ob cacochymium tunc medicamento purgante vtendum, si vero est ratione plethoriæ licet venam secare. Sed contra, nam eò ducere oportet, quo natura vergit per loca conferentia ex libro 1. Aphor. Respondetur pro Auicen. medicum debere esse nimis prudentem, & arte Hippocratica dignum, si enim rationabili coniectura autumabit totam materiam posse expurgari, ac euacuari per sudorem, tunc, nec pharmacia, nec sanguinis missio conueniunt, è contra ambo præsidia licent, scilicet, si fuerit magna cacochyma, & plethoria. *Alia difficultas. Responsio. Obiectio.*

Sudores calidi de quibus tractat Hipp. & Gal. libro 4 Aphor. 37. 38. 41. 42. fiunt à facultate valida, vel ab humoribus, & cuti rara, & hi boni sunt, nam sudor calidus bonus est semper, frigidus fit ab imbecillitate, & à densitate, & hic est malus, in acuta quidem febre mortem significat, in mitiori verò longitudinem morbi portendit libro 4. Aphor. 48. & libro 1. prognost. 26. & 31. part. probl. probl. 24. fit enim frigidus sudor ab imbecillitate vitalis, & naturalis. Sudores fætidi fiunt à materia male disposita, corpus autem potest affici, vel in internis, vel in externis partibus, in internis, vt in febri pestilentiali, vbi est intensa humorum putredo, vel in externis, vt in scabiosis, quorum vrina, & sudor fætidi sunt. *Sudores calidi. Frigidi sudores. Fætidi.*

Sudores naturales boni sunt, quia si febris fuerit, hæc est morbus vniuersalis, ergo ei remedium vniuersale conuenit libro 1. prognost. 26. quam uis dixerit Hipp. libro 4. de rat. vic. 84. sudorem esse communem cunctis morbis. Sudores particulares non probantur ab Hipp. in prognost. & pluribus alijs in locis. Dices quando est bonus sudor vniuersalis in febribus. Respondetur apparentibus signis coctionis, & in die critica, & in statu morbi, & cum alijs signis, & conditionibus, quæ faciunt bonam crisim libro 1. Aphor. 20. vnde rectè inquit metrum ex Rosa Anglica. *Qui boni. Particulares non probantur.*

Sudores critici confutant sic venientes,
Sed symptomatici sunt omnes damnificantes,
Mortem si frigidus in acuta significabit,
Si sit æger validus in molli tunc chronicabit
Si sit totalis melior, quàm particularis.

In principijs enim morborum non sunt boni, & libro 4. Aphor. 36. boni sunt sudores, qui fiunt in die tertia, quinta, septima, nona, vndecima, decima quarta, decima septima, vigesima, vigesima septima, trigesima quarta, qui vero non fiunt in his diebus laborem, morbi longitudine, & iudicium difficile, & recidiuam portendere solent, quod etiam confirmauit Hip. libro 1. epid. com. 2. 46.

Dices quare in hoc aphorismo dereliquit quartum diem? An quia ex libro 3. de cris. cap. 4. semel Gal. vidit crisim in hac die, Archigenes autem bis in tota vita sua, cuius rationem loco citato Galenus reddit. *Dubitatio. Solutio.*

Dubitabis, an sudantes homines sinendi sint, vt sudent, an sunt remedia afferenda, vt cohibeatur sudor? Multi multa dicunt. Ego cum Arist. 2. part. probl. probl. 28. & Auic. libro 4. fen. 2. doc. 2. c. 66. dicerem debere nos abstergere languentes, nam aliter fieret obstructio ab eodem sudore frigido facto, & Conciliator in expositione istius problematis inquit debere nos pannis calidis abstergere. Hoc tamen in febribus benignis est intelligendum, secus autem in malignis & pestiferis, in quibus si sudor diaphoreticus adest debemus illum cohibere flabello ventilantes, vel alijs remedijs adstringentibus vtentes, nam foras educitur humidum radicale, in quo vita consistit. Cognoscitur autem ille sudor quia est viscosus. *Difficultas. Responsio.*

Dices, quare bibentes æstiuo tempore statim sudamus. Dicamus breuiter missis alijs dicendi modis, calorem naturalem confugere ad ventriculum, & derelinquere externas partes frigidas, & inde fieri sudorem ob pororum constrictionem, veluti patet de spongia compressa. Tandem dices, cur in fronte est facilis sudor? An quia subiacet parti humidiori cerebri, & hæc satis. *Dubitatio. Solutio.*

De semine quid sit.

Theorema XXXIV.



Voniam in excrementorum contemplatione per plura theoremata nostra diuagata est oratio, haud ab re fore duximus, si non nulla de semine tangamus, cum ipsum quoque sub genere excrementorum veniat locandum. Vt autem ex actu, ac numeris omnibus absoluta sit tractatio, à seminis essentia, naturave exordiendum est. Hæc autem clarior fiet si à nomine auspicabimur, semē latinè, græcè σπέρμα, seu γονὴ idem sonat, quod genitura, quam uis apud Arist. sit aliqualis differentia inter semen, & genituram ex libro 1. de generat. animal. cap. 18. & apud Gal. libro de diff. med. quidquid tamen sit, nos communiter cum Medicis omnibus vnum, & idem esse censemus, & potius semen, quàm genituram nuncupabimus, nam semen certè est in frequentiori vsu, & in ore omnium.

Semen igitur nominibus derelictis grammaticis, si volumus intimius eius essentiam perscrutari, nihil aliud est cum Arist. libro 1. de generat. animal. cap. 18. & libro 4. de generat. animal. cap. 1. & *Semē quid.*

libro

Argenterius nodũ in ſcirpo quæritabat.

libro de long.& breu.vitæ cap.2.& in problematibus,niſi excrementum vtile vltimi alimenti, ſcilicet ſanguinis,quod in membra digeritur.Hanc diffinitionem magnus Ariſt.libr.1. de generat. animalium luculentiſſime explicat,ac euidenti inductione, ſufficientique partium enumeratione probat,ſemen eſſe excrementum, quicquid enim eſt in corpore noſtro, aut eſt pars noſtri corporis, aut alimentum,aut colliquamentum,aut excrementum. Cætera verò dereliquit tamquam ſuo propoſito non incumbentia, vt pinguedinem, humores, ſpiritus, meſtruum ſanguinem, quorum quidem ſingula clarum eſt ſemen non eſſe, vnde ex hoc Argenterius non debebat inſufficientiæ accuſare Ariſt. Sed non mirum, nam homo iſte fuit in omnes contumelioſus, & nodum, vt eſt in adagio in ſcirpo ſemper quæritabat. Semen igitur non eſt pars noſtri corporis, nec ſecundum naturam, nec præter naturam non ſecundum naturam, nam hæc eſt,aut homogenea, aut etherogenea, neutrum tamen poteſt eſſe ſemen,vt inquit Ariſt.loco citato, non eſt pars præter naturam vt papulæ, & alij tumores, non eſt alimentum, nam non excerneretur, modo ſemen excernitur, de in ſemen eſt animalis principium, à quo animal ſuam habet originem, alimentum autem eſt quid ad corpus accedens,etiam poſt animalis generationem,cum ergo non ſit pars,non alimentum relinquitur eſſe vel colliquamentum,vel excrementum,non colliquamentum,nam hoc inquit Ariſt.eſt præter naturã, & rectè quidem inquit, nos enim medici tenemus colliquationes eſſe præter naturam, & toto genere præter naturam,& ſecundum Galen.libro 3.epid.com.3.tex.57.colliquatio eſt ſignum pathognomonicum febris peſtilentialis, modo ſemen eſt quid naturale. Deinde ſi ſemen eſt colliquatio quædam,dubio procul in grandibus animalibus abundaret magis, quàm in paruis, & exiguis, cum maius poſſit eſſe colliquamentum in maiori quanto, quàm in minori iuxta illud Philoſophi libr. 8. phyſ.in maiori quanto, maior virtus. Sed experientia totum docet oppoſitum, nam animalia parua ſunt fęcundiora, & pinguia, à quibus poſſit fieri multum colliquamentum, ſæpe ſæpius infæcunda obſeruamus. Remanet ergo ſemen eſſe excrementum poſtquam non eſt pars, non eſt alimentum, & non eſt colliquamentum. Excrementum igitur eſt genus in hac diffinitione, & quoniam ſemen eſt ſubſtantia, ideo ly genus habet rationem materiæ, nam genus in diffinitione ſubſtantiarum locum tenet materiæ, in diffinitione verò accidentium locum habet ipſius formæ, vt ex logicis didicimus.

Ariſtoteles defenditur ac excuſatur.

Semen quare album.

Verum quoniam materia non poteſt eſſe ſine forma ex libro 1. de generat.& corrupt.27. & libro 2.phyſ.26.materia, & forma ſunt ad aliquid,ſemen igitur dupliciter poteſt conſiderari, & ſecũdum partem materialem, & ſecundum partem formalem, pars materialis eſt ipſa aquea natura ex qua conſtat,pars formalis eſt ſpumoſa,aerea,& ſpirituoſa,quæ quidem duæ naturę vnum faciunt ſemen quod ſecundum has duas partes excrementi nomine diffinitur ab Ariſt. ſubticuit Ariſtot. breuitati ſtudens, tamquam àlibi declaratum,non nullas conditiones, quas habet hoc excrementum, quod ſcilicet ſit humidum,liquidum,& ſpumoſum,& album,quæ quoniam erant clariſſima, & ne diffinitionem ſatis longam formaret, dimiſit. Adiectum etiam fuit ſemen eſſe excrementum vtile, ad differentiam non nullorum excrementorum inutilium,vt pilorum,vrinæ,fæcum, ſudorum, &c. Neque repugnat ſemen eſſe excrementum vtile, vt inquit Argenterius hanc diffinitionem carpens libro 2.art.med. nam ea ratione, qua è corpore eijcitur foras ſemen, ea quidem ratione excrementum dicitur,eſt tamen vtile ad differentiam aliorum excrementorum inutilium. Adiectum fuit vltimi alimenti,&c. nam hoc vtile excrementum poteſt eſſe duplex, primum & vltimum Ariſtot. inquit ſemen eſſe excrementum vtile vltimi alimenti ad differentiam pituitæ,quæ ex vlteriori coctione vertenda eſt in ſanguinem, modo enim non conuertitur, & ideo eſt excrementum vltimi alimenti,ſanguine enim ſaturatæ ſingulæ partes corporis, quod reſiduum eſt tamquam ſuperfluum in quantitate demandant in venis,iſtas autem reliquias trahunt teſtes,in quibus ſemen euadunt, candorem tamen recipit ob tres cauſas, prima ob vaſorum ſpermaticorum, & teſtium, carnem albam, ſecunda ob permiſtionem aeris tertia ob commiſtionem ſpirituum. Hoc, quod ſupradiximus verum eſſe probat Ariſt.ex pueris, & decrepitis, qui ſemen non emittunt, quia his nulla ſuperſunt excrementa,& qui nimis Veneri indulgent ſanguinolentum quippiam emittunt,nondum in teſtibus, & vaſis ſpermaticis alteratum.

Andræas Laurẽtius, carpitur.

Vt ex hac habita diffinitione,quæ ex ſuo genere,& differentijs conſtat, pateat valde fuiſſe hallucinatum Andræam Laurentium libro 2. controuer.anatomic.q.14. aſſerentem, hanc Ariſt. diffinitionem ſeminis eſſe imperfectam, nam tantum materiam docuit Ariſt.cum ex ſupradictis pateat,& materiam, & formam Ariſt. intellexiſſe, ſupponebat enim Ariſt. id quod aliàs libro 2. de generat. animal.cap.3.de ſemine loquens illis aureis verbis promulgauit. Ineſt enim in ſemine quod facit, vt fæcunda ſint ſemina videlicet,quod calor vocatur,idque non ignis,nam talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus,qui in ſemine,ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum,& ante Ariſt.idem etiam innuit Hip.libro de genitura,ſemen quid robuſtiſſimum,& optimum quippiam eorum,quæ ſunt in corpore pronuntians,ecce quomodo Ariſt. formalem partem non dereliquit.Nec etiam verum eſt quod idem Laurentius inquit Ariſtot. non attigiſſe omnem ſeminis materiam, cum & partem materialem, & formalem non ignorauerit. O dixeris,deficit in Ariſt. diffinitione cauſa finalis, illa vt notiſſima fuit derelicta, deſeruit enim ſemen ad animalium generationem.

Non igitur erat abſque forti ratione diſcedendum à magno præceptore Ariſt. alio modo ſemen definiendo,vt Laurentius,& Mercurialis libro de hom.generat.faciunt. Non enim ignorauit Ariſt. quod ſemen ſit corpus humidum,ſpumoſum,album, &c. nam ly corpus eſt genus valde remotum.

Difficultas.

Sed ſtatim aduerſus ſuperiorem diffinitionem pulchra inſurgit, difficultas, nam ſi ſemen eſt excrementum vtile vltimi alimenti ideſt ſanguinis,tunc ſanguis eſſet excrementum chyli, nam quemadmodum ſemen dicitur excrementum, quia fit per vlteriorem coctionem, ita ſanguis eſſet excrementum chyli,nam ex vlteriori coctione chyli fit ipſe ſanguis.

Reſponſio.

Niſi eſſet, quod ſanguis ea ratione, qua non excernitur à corpore neutiquam poteſt dici excrementum,contra in ſemine quod cum ſit vtile,& eijciatur debet dici excrementum ſanguinis,modo

non

non ſequitur, ſanguinem eſſe excrementum chyli ob dictam cauſam, vt hinc patet quam à recta philoſophandi via deceſſerint Antiqui illi Philoſophi referente Gal. libro de hiſt. philoſophiæ, & libro de diff. med. qui ſemen varijs diffinitionibus deſcripſerunt, quas ſingillatim recenſere, & confutare ſuperſedeo, tanquam parum vtilia, & ab Andræa Laurentio, & Mercuriali, ad longum explicatas, & impugnatas.

Sit ne ſemen animatum, nec ne.

Theorema XXXV.



BReuibus, quæ noſtra fuerit ſententia circa præſens theorema declarabimus. Dicimus ergo primo nos non loqui de omni ſemine, quod eſt in ſolidis corporis partibus, ſed tãtum de illo ſemine, quod in teſtibus reperitur, quod ſummam perfectionem, elaborationemque ſuſcepit. Nec à nobis in præſentiarum diſputatur, an ſemen ſit in potentia animatum, ſed theorema proponitur, an ſit in actu animatum, nec ne. Excipio ſemen humanum, quantum ad animam rationalem, de hoc enim non diſputo; In hoc tamen, non poſſum non magnopere admirari ceruicoſi illius Argenterij deſipientiam, qui ſatis temerariè, erroneè, ac ineptè libro 2. art. med. pronunciauit, ſemen humanum eſſe actu hominem, & habere actu formam, & illam à teſtibus indi; Hac igitur ſententia dimiſſa tantum quærimus de ſemine, an actu habeat animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, vt hominis ſemen, excluſa rationali, & ſemina brutorum, ſemina plantarum, ſtirpium, truticum, arborum, & c. an ſcilicet actu animam vegetatiuam, & ſenſitiuam habeant. Pro qua re vt ſupra diximus breuibus concludamus eſſe ſupradicta ſemina animata animabus vegetatiuis, vel ſenſitiuis, vel ambabus in actu primo, non autem in actu ſecundo, & primo hanc ſententiam recte olfecit diuinus Plato in fine Timæi, vbi vult ſperma eſſe animatum, ac reſpirans. Hanc etiam veritatem fusè declarauit Ariſt. lib. 2. de generat. animal. cap. 1. vbi ſemen vult eſſe veluti geometram vigilantem, non geometricantem, ſic ſemen habet animam, ſed non in actu ſecundo, ſed in actu primo, & tunc ſemen habebit in actu ſecundo animam, quando vel in vtero iaculabitur, & fit conceptus, vel in terram proijcietur, ſi de ſemine vegetatiuam animam comprehendentem, loquemur. Verba tamen Ariſt. loco ſupra citato hæc ſunt, ſemen habere animam, & eſſe potentia palàm eſſe, per ly, tamen potentia, denotatur actus primus, non enim intelligit illam potentiam, quæ contra diſtinguitur ab actu, ſed potentiam denotantem primum actum, vt eſt ſcientia reſpectu ſpeculationis, quæ eſt ſecundus actus ex Ariſt. lib. 2. de anima tex. 2.

Ad maiorem tamen intelligentiam illius ſupracitati Ariſt. loci, ſciendum eſt, quod ſemen videtur naturam quamdam mediam ſapere inter illud quod verè, & vniuocè eſt animatum, & inter illud, quod æquiuoce, nam ſemen ſi rite nos philoſophari velimus, atque à ſenſatis non recedere, dubio procul non habet animam in actu ſecundo, vt eſt animal perfectum, ac numeris omnibus abſolutum, nec eſt priuatum, & orbatum anima, vt eſt homo mortuus, ſed eam habet in potentia, ideſt in actu primo. Gal. etiam noſter hanc veritatem patefecit libro de marcore cap. 1. vbi inquit, tria eſſe viuentium genera, animalia, ſtirpes, & ſemina, & fructus, ſed præter tantorum virorum, & aliorum quas breuitatis gratia, dimittimus, auctoritates, addantur momenta rationum, & primo, cum ſemen in vterum eiaculatur, tunc illud ſemen eſt auctor generationis, & eſt veluti faber, & veluti architectus incipit formare cor, ſecundum Ariſt. ſed ſecundum Gal. hepar, tunc his ſtantibus, potentiæ animæ ſunt cum ipſa anima, actus enim, ſeu operationes faciunt cognoſcere formam ex libro 1. phyſic. Sed in illo ſemine eſt potentia generatiua, augumentatiua, nutritiua, ergo ſemen eſt animatum, minor clariſſima eſt, & ex Galen. patet libro 1. de ſemine cap. 6. & 7. vbi probat ſemen habere omnes potentias.

Secundo, & fortius, vel generatio fætus eſt ex vniuoco, vel ex æquiuoco, non ex æquiuoco, vt patet, ergo ex vniuoco, igitur neceſſe eſt vt illud ſemen habeat actu formam, nam in omni generatione vniuoca ſecundum communem philoſophorum conſenſum, & ſecundum rei naturam, talem habet formam genitum, qualem habet generans.

Nec dicendum, vt quidam perperam autumarunt, ſemen eſſe patris inſtrumentum, nam decidat ſemen à patre, & in vterum inijciatur, deinde pereat pater, tunc etiam in ſemine reperiuntur anima, & generatiua potentia, nam mortuo patre fætus adhuc viuit, & creſcit in vtero, ac ſentit. Mitto nunc diſputare, an ſemen ſit animatum ratione ſpirituum, vt non nulli contendunt, an vere formaliter cum potius in hanc, quàm in illam partem eam. Nunc igitur concludamus ſemen formaliter, & in actu habere animam, verum non in actu ſecundo, ſed in actu primo, vt ſupra ſufficiẽter eſt dictum. Sed duas, vel tres ſtatim pullulare difficultates animaduerto. *Quorundã reſponſio reijcitur.*

Primò, vel ſemen eſt animatum diuerſa anima, vel eadem cum illa, quam habet fætus, ſi eſt diuerſa, tunc corrupto ſemine vnum indiuiduum conuerteretur in aliud indiuiduũ. Si eſt eadem anima, tunc erunt duæ animæ in eodem ſubiecto. *Tres dubitationes proponuntur.*

Secundò vel ſemen, ſi eſt animatum, eſt planta, vel aliud animal.

Tertiò repugnat quidem rei naturæ, vt excrementum ſit animatum, nam nullum excrementum debet eſſe animatum, ſed ſemen, vt ſuperiori theoremate demonſtrauimus eſt excrementum, ergo non poteſt eſſe animatum.

Breuiter ad primam reſpondeo, animam, quæ eſt in ſemine non corrumpi, ſed remanere eandem animam, quæ cum erat in ſemine in actu primo reducitur ad actum ſecundum, & hoc ſiue fiat ope natu- *Solutiones*

naturalis caloris, vel virtutis formatricis, vel alterius rei nunc non disputo, nam testabatur Gal. libro 1. aphor. 15. quod eadem natura, quæ nos generauit produxit ad finem vitæ, & ad saluandum illam maximam, generatio vnius est alterius corruptio, sufficit in nostro proposito, vt aliqualis seminis potio corrumpatur.

Obiectio, et solutio. Sed contra, nam semina plantarum, vel arborum tota corrumpuntur, ergo ita de alijs seminibus cum in vterum inijciuntur. An hæc non tota secundum tota corrumpuntur, deinde est dispar ratio de seminibus in terram projectis, & de seminibus in vterum, nam hæc satis fouentur ab vteri calore naturali, quod non contingit in alijs seminibus.

Ad secundam dicimus semen illud non esse plantam, vel animal, nam non habet in actu secundo animam, est tamen veluti planta, & viuit quodammodo vitam plantæ. Deinde si loquamur de semine humano, quia illud est ordinatum ad vlteriorem formam, ideo non est necesse, vt actu sit vel planta, vel animal.

Ad tertiam respondetur nullum excrementum inutile esse animatum, modo semen est excrementum vtile. Vel dicendum nullum excrementum, quod sit excrementum secundum qualitatem, & quantitatem esse animatum, modo semen est excrementum secundum quantitatem tantum. Hæc nunc in mentem veniunt circa præsentis theorematis inquisitionem, fortassis aliàs meliora succurrent.

A quibus partibus decidat semen vbi multa de sectione arteriarum retro aures disputantur.

Theorema XXXVI.



De illo semine exagitatur præsens theorema, quod spumosum, & album, & humidum est, quod dicimus à testibus emanare, nam in testibus, eorumque vasis albedinem sumit, in quibus, magis, ac magis excoquitur, ac elaboratur, vnde in testibus est seminis generatio, & in quibusdam vasis parastatis conseruatur, quod quidem authoritate Gal. libro 14. de vsu part. 10. patet, nec non authoritate omnium anatomicorum, tùm etiam ratione, nam ibi generatur res aliqua, vbi formam, & consequentia formã sumit, sed in testibus & parastatis, & nõ in alijs partibus semen formam, & consequentia formam sumit, nam in his supradictis partibus semen candicat, quod in alijs partibus non contingit, nam subrubrum est in vasis præparantibus, vt rectè dixerit Arist. & Galen. & his experientia attestatur, quod qui nimium Veneri indulgent quandoque sanguinem foras eiaculantur, cum in testibus, & parastatis non possit semen excoqui, ac elaborari, vt candorem, & illam spumositatem sumat, & cum his seminis forma introducatur. In supradictis ergo partibus gignitur semen, & ab illis tãtum emanat, cum enim coctio incrassando procedat libro 4. metheor. ob id crassius euadit semen in testibus, & ausim dicere crassius esse semen singulis humoribus. Recipit autem semen albedinem tùm propter vasa spermatica, tum etiam, quia in se plurimum aeris, & spirituum continet, vt supra diximus. Vt recte dixerit Arist. esse irridendum Herodotum, qui Æthiopum genituram nigram esse dixerit.

Semen non decidit à singulis corporis partibus. Nec quidem à singulis corporis partibus decidit semen, vt velle videtur Arist. libro 1. de generat. animal. cap. 19. ea ratione, quia est excrementum vltimi alimenti, ita vt seminis remaneat aliqualis portio, quæ reuertatur ab omnibus corporis partibus per easdem vias ad iecur, & hinc ad vasa præparantia testes, paratas & c. vt Conciliator diff. 34. exemplificat de pharmaco assumpto contendente ad vniuersas corporis partes, & inde trahente humores ad ventriculum, & ab hoc ad intestina, nam hoc quidem fieri non potest, & fundamentum est ex modo nutritionis, nam sanguis egreditur à vasis vt nutriat partes, exit autẽ sanguis, quia à facultate attractrice attrahitur, qui sanguis crassiusculus euadit, & fit ros, ab hoc fit appositio in partibus, semper enim natura procedit incrassando, postea fit cambium, tandem fit gluten, nam aliter nou poterat fieri agglutinatio ossibus, & alijs partibus duris, & hic fit nutritio, nunc peto, ò Aristoteles, quomodo potest reuerti semen, seu sanguis ad vasa iterum, nam ille sanguis factus est crassissimus, ergo non potest reuerti. *Aduersus Aristotelẽ.* Addo etiam, venas illum non attrahere, nam eo non indigent, ergo non decidit semen ab omnibus partibus, sed potius dicendum est, quod descendit sanguis ruber, purus, & syncerus à vena caua per spermaticas venas ad vasa præparantia, & ad testes. Ea tamen ratione, qua semen est valde spirituosum dicere possumus ipsum quoquo pacto formaliter, idest secundum spiritus, à singulis corporis partibus procedere, & præcipuè à corde, cerebro, & hepate, secundum tres spiritus, cum in corpore nostro sit confluxus vnus, conspiratio vna, & omnia in omnibus, quia enim hæ tres partes principes secundum spiritus singulis corporis partibus communicant, ea fortassis ratione pro Aristot. defensione dicere possumus, semen à singulis corporis partibus procedere. Re vera tamen in testibus, & parastatis generatur, totamque perfectionem sumit, & ab ipsis quantum pro eorum nutritione illis sat fuerit, de in foras exit ad generationem deseruiturum. Neque mirum testes tantum refundere semen, nam ea est natura partium præsertim principalium, & toti incumbentium, vt non solum pro se sufficiens nutrimentum attrahant, sed etiam valde copiosum, vt ad alios vsus inseruiat. Hæc igitur est vera sententia circa præsens theorema, dicant tamen alij quicquid sibi velint.

Quid alij senserint.

VArias, atque diuersas animaduerto sententias circa præsens theorema, ea propter illas omnes compendifaciam.

Democritus ex libro de hist. philosoph. ex omnibus corporis partibus semen prouenire autumauit, vt ossibus, carne, & venis cum eo Hipp. libro de aere, aquis, & locis cap. 11. libro de genitura, & libro de sacro morbo. Arist. etiam 4. part. probl. probl. 21. & probl. 32. & Auer. libr. 1. de hist. animal. cap. 17. inquiunt ex vniuerso corpore semen prouenire, & præter has authoritates addantur rationes, & experientiæ, idem confirmantes, & primò, nam ex nimio coitu videmus vniuersalem corporis inaciem, ergo signum est, semen ab omnibus partibus corporis procedere.

Secundò Arist. libro 1. de generat. animal. cap. 17. inquit maximam homines persentire delectationem in actu venereo, nec non & animalia singula, ergo oportet argumentari multis in partibus affectionem fieri, quo loco quatuor enumerat confirmationes antiquorum.

Tertiò ex mancis manca procreantur, ex claudis claudi, ex podagrosis podagrosi, & sic de alijs. Huc illud consonat Lucretij Epicurei libro 4. vbi ex toto corpore decidere vult semen, sic inquiens.

Semen adulta ætas cum primum roborat arcus
Per membra, atque artus decedit corpore toto.

Quartò ex similitudine natorum apparentiū, vt præcessores, quinimo in Chalcedone puer procreatus est, cum stigmatis patris in brachio dextro, & Auer. loco supra citato refert de suo filio, si quod referebat vestigium aui ex matre in suis mammis. Et dum hæc scribebam mea vxor dilectissima Iordana Pecorara diuina afflante gratia alterum mihi peperit puerum Olympiodorum vocatum, qui in indicis & medij digitis pedis, sinixtri refert vestigium meum, ego enim à primordijs generationis habui illos digitos pedis non disiunctos, sed vnitos ferè per totum, meusq; pater refert, quandam eius auam habuisse simile vestigium. Ad huius confirmationem Hostunei nobili Ciuitati, vt plurimum obseruauimus claudos generare liberos claudos. Neque mirum nam crebrò auorum notæ in nepotibus elucescunt post plures affinitatis gradus, redditur enim, vt ait Aristor. libro 1. de genera. animal. cap. 18. post plura genera similitudo. Videndus Langius libro suo epist. epist. 10. *Auctoris historia.*

Quintò, & vltimo, sicut totum habet propriam suæ generationis causam, ita etiam & partes propriam causam habere debent, & ideo semen, vt partes singulæ propriam habeant suæ generationis causam, ergo ab omnibus partibus secerni debet. Hæc sunt momenta rationum, quæ ex Arist. loco citato colligi possunt.

Fuit etiam aliorum sententia non ab omnibus corporis partibus semen procedere, sed tantum à cerebro, nam ex Hipp. libro de genitura, & de aere, locis. & aquis, Macrocephali fiebant ex Macrocephalis, quinimo addit, Scythas sterilescere ob sectionem venarum retro aures, ergo signum est, quod à cerebro decidit semen. Ipse quoque Plato in Timęo visus est habuisse hanc eandem opinionem, scilicet, quod semen fluat per spinalem medullam. Arist. etiam 19. part. probl. probl. 58. à cerebro per spinalem medullam deferri semen autumauit. Idem etiam rationibus confirmatur. *Semen a cerebro procedere ait secunda opinio.*

Primo, nam ex illo membro decidit semen, quod in eius emissione maxime afficitur, sed cerebrum est huiusmodi, nanque statim eorum, qui multum coeunt videmus oculos languidos.

Secundo ex caluitie, quæ prouenit ex immodico coitu, producitur autem caluities ex defectu humidi, & calidi, & pinguis, quod coitus exhaurit. Auic. ex tribus principibus partibus prouenire semen ait ab hepate, corde, & cerebro, hanc opinionem Conciliator tenet diff. 34. hanc sequitur Fernelius libro 7. physiologiæ cap. 22. Alij à solidis corporis partibus semen prouenire fatentur. Cæterum ne singulas eorum opiniones insectemur, nam dicendi finem nunquam faciemus, tantum ad rationes ordinatè respondeamus.

Ad authoritates, Democritus & Hipp. sunt excusatione digni, nam suis temporibus non erat anatomes suam consecuta perfectionem. Nisi velis dicere Democritum errasse, & rectè ab Arist. impugnatur loco supra citato. Ipsemet Aristot. in problematibus non acroamaticè, sed exotericè locutus fuit. Ad superiores rationes respondeamus. *Responsio ad argumenta.*

Ad primam dico sequi ex coitu maciem ob plura, tum ob albæ illius, & vtilis substantiæ emissionem multis refertæ spiritibus, nam rectè dicebat Turisanus, quod debilitat magis minima seminis excretio, quàm larga phlebotomia, & Auic. libro 3. de animalibus dicebat (mirabile dictum) ex quadraginta vncijs sanguinis fieri vix vnam seminis, cum enim cum semine multis spiritus exeant, non est mirum, si corpus emaciatur.

Secundo ob exercitationem, motus enim exiccat corpora.

Tertio quia multoties debilitatur appetentia, & vix comedere possunt.

Ad secundam respondetur delectationem prouenire ex pruritu, & titillatione, quæ à multo spiritu, & calore, qui permisti sunt in semine, prouenite, cum enim genitalia sint exactissimi sensus, ideo cum semen accesserit illa sentitur delectatio, quare arguere non debemus à toto corpore semen descendere.

Ad tertiam respondetur non semper verum esse illud, nam mutili, & manci sanos generant pueros, & in dies quotidiana docet experientia.

Ad quartam respondetur pro nunc, nam fortassis aliàs de re hac vltissima disputabitur, illud prouenire à virtute formatrice potius, quàm à seminis conditione. Virtus enim formatrix singulis corporis partibus inest, & testibus etiam communicatur per spiritus, sic potest responderi ad illas historias adductas. Patet ergo ex his semen nequaquam ab omnibus corporis partibus emanare.

Ad

Responsio ad rationes probantes ex toto decidere semen.

De sterilitate schytarũ quid dicendum.

Ad authoritates, historias, & rationes alterius opinionis iam respondeamus. De macrocephalis respondetur, illud ratione virtutis informatricis procedere, non quod semen à cerebro descendat. De scytharum sterilitate non nulla breuiter dicamus. Equidem diu rem hanc considerans in hanc opinionem descendi, quod potissima causa sterilitatis scytharum non sit sectio venarum retro aures, vt multi præclarissimi Medici in suis doctissimis commentarijs conscripsere, præsertim Io. Langius exquisitissimus Medicus libro suo epist. epist. 10. vbi plurimis exemplis, authoritatibus, & rationibus hoc comprobat, Capiuaccius libro de morbis cap. de sterilitate, Ludouicus Mercatus libro 3. de morbis mulier. cap. 5. Ambrosius Parçus libro 22. cap. 37. de hominis generatione. Vallesius libro 2. controuerſ. cap. 8. quam uis etiam addat abscissionem cuiusdam neruuli, quem Vesallius dixit se obseruasse in multis à sexta neruorum coniugarione descendere in testes, & vasa seminaria, sed omnes hi viri præclari sunt quidem decepti, nam non est ipsa per se causa sufficiens sterilitatis scilicet sectio venarum retro aures, neque hoc Hipp. fatetur, nam si volumus acutius, & exactius Hipp. mentem intueri, certè plures causas sterilitatis in scythis inueniemus.

Primo nanque Hipp. verba obseruemus in libro de aere, aquis, & locis, vbi enumerantur sex, vel septem causæ sterilitatis.

Octo causæ sterilitatis scytharum recensentur.

Prima erat regio frigidissima, vbi erat perpetua hyems, & aeris constitutio huiusmodi.

Secunda erat ratio victus, præsertim circa potum, bibebant enim aquam ex glacie, & niuibus resolutam, quæ secundum omnes scriptores est potissima causa sterilitatis.

Tertia causa erat vita otiosa, & sedentaria.

Quarta erat corporis habitus obesus, carnosus, & crassus, vnde iuncturæ erant humidæ, vt inefficaces, ventriculi omnes frigidi.

Quinta causa præsertim in nobilioribus scythis erat nimia equitatio, quæ lassitudinem inducebat, & robur à visceribus auferebat, tonumque dissoluebat.

Sexta causa erat dolor articulorum, qui eis proueniebat, dolor enim maxime sterilescit.

Septima causa, seu concausa, erat sectio venarum retro aures, volentes enim mederi articulorum doloribus, illas venas secabant, ex quibus maxima copia sanguinis exibat, quæ quidem sanguinis copia cum alijs supradictis causis poterat sterilitatem inducere; Potest & alia causa adiungi, quæ ordine octaua sit ex parte mulierum, quæ erant pingues & obesæ, & non bene menstruabant, quare tot sunt causæ sterilitatis scytharum.

Obiectio, et solutio.

Dices Hipp. libro de genitura simpliciter inquit, sectionem harum venarum esse sterilitatis causam. Respondeo vel illum librum non esse Hipp. vt inquit Galen. vel Hippoc. intelligitur cum alijs causis supradictis. Ego enim mente capere non possum quomodo sectio illa simplex cum sit in externis partibus possit sterilitatem inducere, cum etiam si secantur illæ venæ retro aures sint etiam interna vasa insigniora per foramina cranei ad cerebrum concurrentia, vt ex anatome didicimus. Et Prosper Alpinus libro 2. de medicina Ægyptiorum cap. 10. refert historiam cuiusdam natione Cophsi, qui fæcundus fuit, & prius ei fuere sectæ venæ retro aures, vbi inquit minime esse obseruatum ab harum venarum sectione secutam fuisse sterilitatem, probat tamen illum Arist. in 31. part. probl. probl. 5. ad affectus oculorum.

Sectio, seu cauterizatio venarũ ab Arist. probatur ad oculorum destuxum.

Vt ob id recte dixerit Horatius Aogenius libro 9. suarum epist. cap. 9. non sequi sterilitatem ex sectione harum venarum, vt voluit Auicen. libro 1. fen. 4. capit. 20. de phebotomia dicens, Galenum etia m fuisse huius sententiæ, & negauit hoc Galen. quod scilicet faciant sterilitatem illæ venæ sectę, & Hugo Senensis in com. inquit super Auic. quod hoc dictum est de per se falsum. Idem etiam Auicen. confirmauit libro 3. fen. 20. cap. 3. dicens, & Galen. nesciuit, an faciat incurrere incisio harum duarum venarum sterilitatem, an non, idest, vt Iacobus de partibus exponit, Galen. experimen. o non cognouit hoc, Quamuis Auic. in hoc loco citato videtur dicere, quod sit verum dictum Hipp. attamen gratis, & sine ratione dictum Hipp. laudat.

Non assentiendum Vallesio, & Vesalio.

Neque cum Vallesio, & Vesalio dixerim sequi sterilitatem sectis illis venis, quia inciditur neruulus quidam, nam dato quod incidatur, non ne sunt alij neruuli? Verum hi neruuli non sunt seminis, sed spirituum delatores, vt Andræas Laurentius animaduertit, & optime. Neque illa cicatrix posset impedire quo minus spiritibus via non exhibeatur. Non ergo ex historia scytharum arguere debemus semen à cerebro defluere, nam secundum rei veritatem à cerebro ad testes non sunt viæ patentes, quæ semen deferant. De Aristot. potius exotericè fuit locutus. Ad rationes. Ad primam respondetur cerebrum pati ratione consensus in actu venereo, nam cum sit in corpore confluxus vnus, conspiratio vna, & omnia in omnibus, cum semen sit valde spirituosum, & cerebrum cum sit mollis substantia facilè exhauritur. Ad secundam, & si à cerebro non emanat semen, tamen per accidens ipsum afficitur, nam euacuato semine à testibus etiam & corpus euacuatur cum statim testes attrahant à partibus vicinis, & ille à longinquis, vnde potest per accidens sequi caloris. Quo pacto verò possint Auicen. & Conciliator reduci ad bonum sensum ex supra dictis patuit.

An

An Mulieres semen emittant, nec ne.

Theorema XXXVII.



Elebris, præclara, difficilis, & auditu iucunda se se offert contemplatio de semine, an scilicet mulieres semen emittant in concubitu venereo, celebris, & preclara ob grauissimorum virorum dissentionem, Hip. scilicet, & Gal. & Arist. difficilis ob eandem rationem, auditu iucunda eo quod cum animalia cuncta & ratione prædicta, & eiusdem expertia ad generandam prolem sint naturali quodam instinctu ad coitum propensa, scire propterea hoc ingenter flagramus, an semen emittant, & cui nam vsui sit id quod à fæmina eijcitur, quod in altero theoremate apertum fiet. Nunc igitur quam breuibus fieri poterit authoritatibus, rationibus, & experientijs patefaciemus, quæ nam sit ea in re nostra sententia. Nos igitur cum Hip. veritatis lumine dicamus, libro 1. de morbis mulierum, fæminas emittere semen, & quando per somnum fit seminis effusio docet ibi remedium, & lib. 4. de morbis idē Hipp. confirmauit vtriusque semen requiri ad generationem hominis. Idem etiam libro de genitura, & libro de diæta, & libro de natura pueri testatus est. Eandem sententiam quoque habuerunt ex Gal. libro de hist. med. Pythagoras, Epicurus, Democritus, & Hippo, & Diocles Medicus, & Stoici. Aristot. etiam libro 10. de hist. animal. cap. 3. 4. 5. 6. & 7. fateri cogitur fæminas semen emittere, & licet me non lateat quid aduersarij dixerint de hoc libro, quod scilicet non sit genuinus Aristot. quodve Theodorus Gaza illum non interpretatus fuerit, tamen cum multa sint in eo, scitu digna non erit quidem ignobilis authoris, si Arist. esse non creditur, eoque magis, quia inter Græcos est impressus, & Conciliator different. 36. admittit hunc librum inter Arist. libros, & Natalis de Comitibus, & Berardinus Felicianus eum interpretati sunt. Gal. quoque, & cum ipso quot quot sunt, atque fuere Medici idem luculenta satis oratione comprobauerunt, in libris de semine, & libro 14. de vsu part. & lib. de dissectione vuluæ cap. 9. & Auic. libro 1. fen. 1. doct. 5. tenet idem, vt ferè nobis superfluum fuerit huius theorematis delucidationis prouinciam assumere. At quoniam ipse multum spatiatur, nos breuibus rem omnem aperiemus non nullis rationibus, & experientijs partim ex Gal. & partim ex nobis adiunctis. *Quid de libro decimo de hist. animal. sit tenendum.*

Primò adsit sensus, & ipsa experientia, nanque videmus moniales, & viduas in somnijs emittere semen album, crassum, & copiosum, quod confirmauit Gal. lib. 2. de semine cap. 1.

Secundò si cubauerint fæminæ cum fæminis adhuc albam, crassamque substantiam emittunt, quam si nolueris semen appellare, erit scyndapsus, vel blyteri, vel Hyppocentaurus.

Tertiò non ne videmus in dies medicinam facientes sexcentos, obseruare Virgines, viduas, & moniales in sæuissima incidere symptomata ex retento semine, menstruis rectè correspondentibus, fiūt enim aphonæ, epilepticæ, & apoplepticæ, & melancholicæ mulieres, varijsque hysteribus affectibus laborant, quæ curantur ingenijs varijs, malam seminis qualitatem oppugnantibus. Hæc enim sensata velle negare, aut amentis, aut imprudenris fuerit, & rectè dixit Arist. lib. 8. phys. 23. derelinquerē sensum, & quærere rationem est intellectus imbecillitas.

Quomodo fætus assimilari poterit matri vnquam si semen fæminæ non emittant, vt rectè dicebat Gal. libro 2. de semine cap. 1. nam si totum a maribus semen deijcitur, tunc semper maribus assimilarentur, quod non contingit, aut enim similitudo est ob mestruum, aut propter semen, non ob mestruum, ergo propter semen, sed nati assimilantur matribus, ergo à semine, quod iaculantur matres prouenit, & procedit similitudo ex quo tu volueris, siue ex proportione inter agens, & patiens, siue ob aliud nunc non disputo. Hoc idem argumentum confirmant Lucretij poetæ carmina libro 4. de natura.

Tum similes matrum, materno semine fiunt,
Et patribus patrio, &c.

Quintò ex anatome videmus fæminas continere semen in testibus, & vasis, maximè quando secantur corpora fæminarum, quæ diutius à Venere abstinuerunt.

Sextò si fæmina supra coeat non ne manifeste videbis quando ipsa prius emittit, quam vir, quod maxima exit seminis copia ab ipsa, quinimo ex cuiusdam Reginæ historia habetur, quod tantam seminis quantitatem in coitu magna vi eiaculabatur, vt omnia viri pudenda conspurcaret.

Septimò non ne mulieres laborant gonorrhæa, & quandoque ob retentum semen aguntur in rabiem.

Octauò Deus, & natura nihil frustra moliuntur, neque abundant in superfluis, nec deficiunt in necessarijs ex libro primo, cæli 32. libro secundo, cæli 50. & 59. ex libro tertio, de anima 45. & libro primo, de part. animal cap. 1.

Sed natura produxit in mulieribus omnia organa semini gignendo, excoquendo, & deferendo aptissima, vt ex anatome patet, scilicet venas, & arterias, & testes, & duo iaculatoria. Si dixeris naturam otiosè non egisse quia in illis vasis continetur quid aquosum, & serosum, & non concoctum, & quemadmodum factæ sunt mammæ in hominibus, ita & supradicta vasa in mulieribus. *Obiectio. Soluitur.*

Sed hæc nugæ ſunt, & peripateticorum deliramenta, durum enim eſt contra veritatem, & experientiam calcitrare. Nam cur natura inquit Galen. libro 14. de vſu parti. & libro 2. de ſemine tot, tantaſque circumuolutiones, anfractus, & gyros in illis vaſis procreauit.

Nunquam enim in neceſſarijs deficit natura, nec abundat in ſuperfluis, facta igitur ſunt ſupradicta vaſa, vt ſemen magis, ac magis elaboretur, ex coquatur, & perficiatur. Non negamus tamen, vt ſexcenties ex anatome Neapolitana didicimus, etiam Gal. fatente libro 14. de vſu part, capit. 10. hæc uaſa mulierum non continere ſemen adeo concoctum, & elaboratum, vt eſt ut plurimum illud virorum, & hoc ſecundum Galen. contingit, tùm propter vaſorum paruitatem, tum etiam quia uaſa mulierum non ſunt adeo calore referta, vt ob id dixerit idem author libro primo de ſemine, cap. 7. & libro 6. de loc. aff. capitulo quinto, & libro 14. de uſu part, capitulo 11. fæmineum ſemen eſſe tenuius, & frigidius, & eſſe ueluti nutrimentum ſemini uirili. Mammæ uerò in uiris ad ornatum ſunt fabricatæ, quod non contingit in teſtibus mulierum, nam hi niſi excoquant ſemen, erunt à natura otioſi, & inutiles.

Nono uidemus ſues, & alia animalia caſtrata ad Venerem non eſſe multum intenta, minimeque turgeant, ergo ſignum ob ſeminis priuationem illud proueniat oportet.

Decimo quid deficit mulieribus ad emittendum ſemen, non materia, nam hæc eſt in multa copia ipſis, ſcilicet ſanguis, non uaſa, non uis ſeminatiua, ad quid ergo non emittunt ſemen?

Vndecimo, & ultimo, his accedat ſacroſanctæ Geneſis teſtimonium, ſi ſacra miſcere liceat profanis, habetur enim Geneſis capitulo 2. condito homine ex limo terræ, ſubiunxit altiſſimus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, ſed melius eſt vt faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, quo pacto quidem eſſet ſimile, ſi per te mulieres non ſeminant? Num tantum in rationalitate ſimilis, hæc ſola quidem non ſufficit, ſed etiam ſimilis ſit oportet in excrementis. Neque verum eſt vt ex ſupradictis patet tantum aquoſam humiditatem ipſas emittere, nam præter hanc ſemen quoque mittunt. Eſt enim hæc humiditas ſalíualis, veluti in viris profluens ad virgam ante ſeminis emiſſionem, hæc etiam humiditas profluit ad collum matricis, & hanc tantum eſſe in mulieribus Ariſtotel. falſo ſibi imaginatus eſt.

Verum præter hanc adeſt materia ſeminalis, alba, craſſa, & ſpumoſa, calida, verum non adeo calida ratione temperamenti in vniuerſali mulierum, quam eijciunt mulieres. Ceſſent itaque Peripatetici amplius vociferari, ſententiamque mutent, nam illorum ſententia ſenſui, experientiæ, & rationibus pugnat manifeſtè. Vt ob id Peripateticorum non nulli, ob momenta ſcilicet, harum rationum, experientiarum, hiſtoriarum, & authoritatum tot, tantorumque ſapientum à veritate coacti confeſſi fuerint, fæminas ſemen habere, ſed infæcundum, & nullam agendi vim obtinere. Sed hoc in alio theoremate, ſi Deo placuerit, diſcutietur. Nunc ad aliorum ſententias accedamus.

Quid alij ſenſerint.

NOn ſolum Ariſt. Sed ante ipſum Herophilus, & poſt ipſum Geno Stoicus fæminas ſemen non emittere autumauerunt, idque quidem non nullis leuibus, ac parum efficacibus rationib. comprobant.

Et primo authoritate Ariſt. lib. 1. de generat. animal. c. 2. 18. 19. & 20. & libro 2. de genera. animal. vſque ad caput 4. in quibus locis oſtendit fæminas non emittere ſemen, etſi quippiam emittunt, aquoſum quippiam eſt. Et licet non nulli dixerint Ariſt. ea in re fuiſſe varium, ſibique contrarium, nam in lib. 1. de generat. animal. cap. 2. dicit, & accidit quod ſit principium ex mare, & fæmina, quoniam ſperma exit de ambobus, & ex miſtione vtriuſque ſpermatis erit creatura, & creatio embrionis, cuius oppoſitum dixit in cap. vltimo eiuſdem libri, quod ſcilicet non emittant ſemen, ſed humorem quemdam, qui eſt loci proprius, vteri enim excretio eſt &c. Sed tamen in rei veritate Ariſt. hac in re non eſt ſibi contrarius, nam non habet textus, nec græcus, nec latinus illa ſupradicta verba, ſed alia, ex quibus neutiquam fæminas ſemen emittere colligi poteſt, inquit enim tantum marem, & fæminam eſſe generationis principia marem, vt principium motus, fæminam, vt materia, deinde loquens de ſemine genitali dixit, id autem quemadmodum ex mare, & fæmina prodeat nequaquam latere oportet. Verum diſtinctius poſtea ſuam mentem aperuit in cap. vltimo, quare ſecundum lecturam nonnullorum, vt Iacobi de Partibus Ariſt. textus eſt corruptus vel à ſcriptore, vel à translatore. In rei tamen veritate apparet ex Ariſt. tex. & Gazæ verſione fæminam habere ſemen, verum dicere poſſumus hoc ſemẽ poſtea vocari ab Ariſt. aqueum quippiam, quod ad generationem non eſt vtile ſecundum Ariſt. cuius etiam opinionis fuit Hippon Philoſophus, quem ſecutus Athenæus. Sed dices Ariſt. in illo capite loquitur de ſemine illo genitali, ex quo, quæ natura oriuntur, conſtant, ergo. Niſi dixeris Ariſt. eſſe in parte dubitatiua, & propoſitiua, nanque proponebat difficultatem, quam deinde enodauit in ſubſequentibus. Nulla igitur eſt contradictio in Ariſt. dictis. Sed ad rationes noſtra conuertatur oratio, & probatur primò fæminas non emittere ſemen, nam ſemen eſt excrementum elaboratum, concoctum, depuratum, craſſum, viſcoſum, album, & calidum, mulieres autem ſunt frigidæ, malæ concoctionis, aqueis, ac indigeſtis excrementis affluentes.

Ariſt. a cõtradictione liberatur.

Secundò vulgatum eſt apud omnes fæminam eſſe marem imperfectum, vimque efficiendi nullam habentem, ſed patiendi tantum, ac veluti naturæ monſtrum.

Tertiò ſi mulieres habent ſemen, vel hoc ſemen eſt ſimile ſemini virili, vel contrarium, ſi primum eſſet ſuperfluum, ſi ſecundum eſſet impedimento ſemini viri.

Quartò ex Ariſt. mulieres ſimiles ſunt pueris voce, pilis, & corporis habitu, ſed pueri ſemen non emittunt, igitur & mulieres. Quintò ſanguis menſtruus eſt materia ſufficiens ad generationem, nam ex illo per vlteriorem coctionem queunt fieri omnes corporis partes, & ſemen viri eſt ſufficiens principium ad formanda omnia.

Sextò multæ sunt mulieres, quæ sine voluptate, & voluntate coeunt, & multæ mulieres referunt, quod concipiunt absque hoc quod semen eiaculantur, prætermitto illud, quod lib. 2. coll. cap. 10. dicit Auer. de illa sua vicina, nam in vero tex. hebræo, seu arabico non reperitur, & si reperiretur fabulosum esset.

Septimo, & fortius, si mulieres habent semen, cum iam habeant materiam, dubio procul visæ fuissent mulieres concipere, & fœtum edere sine maris congressu, nam secundum Galen. libro 14. de vsu part. & primo, & secundo libro de semine, fœminis non dedit natura vasa ad extra, quia non debebant foras iaculari semen, sed ad intro.

Tandem ad quid deseruit mulierum semen, & quem vsum præstat in generatione. Sed ad hæc ordine respondeamus.

Ad primum ex authoritate, certe magna est. Arist. authoritas, multum magnifacio eam, verum maxime omnium veritas mihi est dilecta, sicut ipse dicebat libro primo moralium 6. amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas, Certè ipse in hac re est excusatione dignus, nam secundum vniuersalia, & generalia philosophiæ theoremata processit, & cum vbi desinat physicus, ibi incipiat medicus, libro de sensu, & sensil. capitulo primo, Philosophus in rebus particularibus suam tractationem absoluit, à quibus particularibus exorditur medicus, non igitur est mirum, si in hisce particularibus defecit Arist. Ad rationes, ad primam, nil aliud concludit, quod semen virile sit magis elaboratum, atque concoctum, quod nos supra vltro concessimus. *Responsio adrationes*

Ad secundum dicimus fœminam esse speciei perfectionem, neque naturæ monstruum, vt etiam Genesis authoritate patuit.

Ad tertium respondetur semen fœmineum partim esse simile, & partim contrarium, & sicut ex elementis partim similibus, & partim contrarijs ad inuicem cōstituuntur mista, & humoribus vnum alimentum ita ex duobus seminibus maris, & fœminæ fit fætus productio.

Ad quartum respondetur, pueros non emittere semen, tum propter nutritionem, qua indigent, tum propter auctionem, quare nullæ sunt reliquiæ pueris, fœminis autem adest sanguinis maxima quantitas.

Ad quintum nec sanguis menstruus, nec maris tantum semen sunt sufficientia ad generationem, vt supra patuit, & infra dicetur etiam, quare requiritur semen muliebre.

Ad sextum ægræ sunt illæ mulieres, quæ sine voluptate coeunt, maleque habent affectum vterū, vel reponendæ sunt in prædicamento de frigidis, & maleficiatis, vel ipsis nescientibus, ac non percipientibus semen intra vterum fœminas eiaculari, vel secundum Auicen. libro 15. de animal. prius emiserunt. Neque mihi placet quorumdam responsio, in quorum numero est Iacobus de Partibus, quod per cælorum influentiam vehementer conferentem ad generationem, & ob multam seminis quantitatem à viro emissam cum mulieris sanguine, sine semine mulierum fieri posse generationem, nam hoc quandoque contingisset, & si acciderit erit potius quidam imperfectissimus conceptus, vt vel ad molæ effigiem, vel ad alicuius imperfectionis viuentis formam accedat, veluti dicere possumus de quibusdam virginibus, & viraginibus, quæ sine semine viri ex earum semine cum sanguine menstruo corruptis, fuerūt informe quippiam, sed de hoc melius in responsione ad septimum, pro quo dicimus non posse mulieres se solis edere in lucem fætum, atque legitimum fætum producere, cum earum semen respectu virorum sit frigidus, & licet habeant materiam, & causam efficientem, scilicet menstruum sanguinem, & semen, tamen nunquam repertæ sunt grauidæ legitimo fætu, cum præter earum semen requiratur viri semen vigorans seminis muliebris efficientiam, ac illi energiam præbens. *Cōuellitur Iacobus de Partibus.*

Dices ex Hippocrat. libro de genitura quod mulier quandoque emittit semen fortius semine viri, ergo illa mulier poterit se sola concipere. Nec mihi placet Vallesij responsio libro secundo, controuer. cap. 7. scilicet in fœmina, aut debilius est principium, quàm vt solum possit coagulationem facere, aut materia deest, quia scilicet est calidissima, tunc contra nam si accipiatur mulier temperata hæc poterit se sola concipere quod nunquam contigit, deinde virgines sæpe sæpius abortirent. *Ob instantia.*

Dicerem propterea ergo, quod si à fœmina robustius semen eijcitur, tunc non concipit se sola, nam semen hoc erit calidum, & fortassis in excessu, quod proli gignendæ erit ineptum, si mulier erit temperata, vel eius semen tantam energiam non habebit ad conceptum producendum, vel quippiam informe producet, quamuis hoc de raro contingit, nam hæc informia, quæ molæ dicuntur, secundum Hip. Arist. & Gal. vt plurimum virile semen etiam requirunt, & quia maior reperitur præstantia, & perfectio in generatione hominis, ideo sapientissima natura fœminis denegauit posse se solis partum edere, legitimumque conceptum proferre, quod non contingit in gallinis, quæ oua producunt, licet sint subuentanea. *Solutio.*

Ad vltimum dicendum cum rei natura, & cum ipso Gal. loco citato semen fœmineum esse vtilissimum, & necessarijssimum ad generationem, & multos habere vsus, primo quidem, vt cum semine viri concurrat ad partium spermaticarum generationem, cuius signum est, quia mulier calculosa, vel podagrosa, vel monstruosa generat similem prolem. *Semen mulieris multot habet vsus.*

Secundò vt mulieres excitentur ad actus venereos, nam sensata experientia videmus, castrata animalia esse effœminata, sopita, & otiosa, & oblita voluptatis venereæ.

Tertiò vt ex eo membranæ fiant scilicet secundina, allanpoides, & amnios.

Quartò vt irriget latera vteri, nam semen viri ad fundum recta fertur, dicat tamen quicquid velit ineptissime de hoc vsu Argenterius rectè enim ab Andræa Laurentio impugnatur.

Quintò vt semen muliebre sit nutrimentum semini virili, non tamen Gal. est intelligendus de vera nutritione, quæ fit assimilatione, quare garriat quantum velit ceruicosus ille Argenterius aduersus hunc vsum, nihil enim dicit, ac turpiter hallucinatur.

An semen mulieris actiue, an paßiue ad generationem concurrat.

Theorema XXXVIII.



CVm iam ex superiori theoremate sufficienter, ni fallor, fuerit comprobatum, mulieres semen emittere, & cum quamplures Peripatetici à veritate coacti viderint, eos rationes cogere, fœminas scilicet emittere semen, in aliam abiere sententiam, vt ab Arist. non discedant, vt dixerint, & si fœminæ semen emittant, tamen illud semen esse in fœcundum, nullamque agendi vim obtinere, sed patiendi tantum existimarunt, vt Auer. & Albertus Magnus, quorum rationes infra discutientur. Nos autem nostræ consuetudini innitêtes probabimus prius semen mulieris non tantum passiuè, vt Peripatetici, sed etiam actiuè concurrere ad fœtus generationem, veluti & semen virorum, & ex vtriusque seminis permistione fieri fœtum in vtero. Derelicta Hip. authoritate, & Gal. qui, vt locis supracitatis in altero theoremate, semen mulierum ad generationem concurrere, & actiue voluerunt, ad rationes accedo.

Prima, eadem est natura seminis maris, & fœminæ, eadem accidentia, scilicet color, fluxibilitas, idem generationis modus, eadem sunt vasa præparantia, concoquentia, & eiaculantia, tantum differre potest, quod vt plurimum virile semen est calidius, magis tamen, & minus non variant speciem.

Secunda in quocunque est potentia generatiua, in eo est virtus actiua ad generationem, sed in muliere est potentia generatiua, cum habeat animam vegetatiuam, cuius vires sunt ex lib. 2. de anima nutritiua, generatiua, & augumentatiua, maior est Arist. libro 2. de anima nutritiua, generatiua, & augumentatiua, maior est Arist. libro 2. de anima 37. vbi habet, omnes potentias animæ vegetatiuæ esse actiuas, minor est clara, ergo si in muliere est virtus actiua ad generationem, hæc non erit nisi ratione seminis, semen igitur fœminarum actiuè concurrit ad generationem, & causam efficientem obtinet.

Tertia si emittunt fœminæ semen album, crassiusculum, spumosum, & excoctum, vt in antecedenti theoremate probauimus, cur ab ipso virtutem effectiuam negare accedemus? Magna igitur est implicantia, & maior dementia.

Quarta potentia generatiua patris, & potentia generatiua matris sunt eiusdem speciei, ergo si generatiua patris potest in aliud actiuè, idem potest actiuè generatiua matris, nam actiuum, & passiuum specie differunt, hoc autem non est nisi per semen, ergo mulieris semen actiuè concurrit. Dicunt aliqui semen viri, & mulieris specie differre, sed contra nam eadem est natura, eadem accidentia, idem generationis locus, & eadem vasa, non ergo specie differunt. Cur igitur à semine mulieris denegatur vis actiua, ego non video. Neque mirum, quod idem est, specie calor naturalis viri, & mulieris, & tamen calor naturalis mulieris lac generat, & calor naturalis viri nequaquam. Hoc autem est defectu organorum, non enim mammæ viri sunt bene dispositæ, & fabrefactæ, à natura, veluti illæ mulieris.

Responsio quorumdã impugnatur.

Quinto si mulieris semen actiuè non concurreret, quomodo bone Deus filij quandoque matribus assimilantur? Non enim est ex menstruo, vt in alio Theoremate patuit, ergo à semine mulieris, quod vt assimilet fœtum in similitudine matris virtutem efficientem præpolleat oportet. Si dixeris quod quandoque auis, & atauis fœtus assimilantur, qui ad generationem, neque actiuè, neque passiuè consulere, sed quid de quibusdam morbis dixeris, nam podagrosa podagrosum epileptica epilepticum, calculosa calculosum generabit?

Sexto argumentor metaphysicè, quicquid conuenit per se alicui formæ conuenit per se omnibus, quæ sunt eiusdem speciei. Sed potentiæ generatiuæ patris conuenit per se esse principium actiuum generationis, ergo cum generatiua matris sit eiusdem speciei, sequitur quod ei similiter conuenit esse principium actiuum.

Septimo, & vltimo, & subtilius, relatio maternitatis in matre consequitur actionem matris circa prolem, quæ generatur, ergo mater est aliquo modo principium actiuum, clara est consequentia, & antecedens probo, nam maternitas non subiectatur super quantitatem, sed super actionem, vel passionem, non super passionem, ergo super actionem, nam maternitas, & filiatio sunt relationes oppositæ, ergo si filiatio subiectatur super passionem, scilicet super passiuam generationem, ergo maternitas fundatur super actionem, sed hæc actiua potentia nõ poterit esse in fœmina nisi mediante semine, ergo semen mulieris actiue ad generationem cõcurrit, derelicto semine viri, quod etiam magis actiue concurrit. Hactenus igitur conclusum est actiue ad generationem concurrere semen mulieris.

Quid alij senserint.

ARist. libro primo, de generat. animal. cap. 2. 18. 19. & 20. & libro secundo, de generat. animal. vsque ad 4. cap. putauit, fœminas non emittere semen in hoc sensu, vt quod emittunt habeat rationem actiui principij, sed totam efficientiam à semine maris pendere, inquit enim

n omnibus his locis Arist. semen, quod à mare secernitur actiuè concurrere, tanquam artificem, & sicuti coagulum se habet ad lac, quando caseus lacte colligitur, quod autem à fæmina secernitur passiuè tantum concurrere existimat, & materiæ rationem habere, ex qua formatur animal, & proportione correspondere ceræ, vel omnino materiæ, circa quam operatur artifex, nec non lacti cum à coagulo caseus ex lacte colligitur. Hæc tamen vulgatissima Arist. sententia ea est, vt maxima non careat dubitatione, nam quo ad semen maris Gal. libro 1. de semine videtur recensere duas expositiones falsas, quas quidam Arist. adscripserunt, quarum altera est, semen maris tantum habere effectricis rationem, & statim ac receptum est in mulieris vtero tribuere ei quod secernitur à fæmina motionis principium, de in verò excerni statim viri semen. Hæc prma expositio Arist. adscripta rectè à Gal. confutatur, & reijcitur ex Arist. verbis, quæ habentur libro 2. de generat. animal. cap. 3. vbi dicit, quod semen maris, postquam tribuit sanguini menstruo, qnæ requiruntur, in spiritum dissoluitur, non igitur ipsummet semen statim excernitur, & vt dicebat Ioan. Grammaticus in eius loci expositione, & libro 1. de generat. animal. cap. 2. virile semen non nisi post septimum diem dissolui tur, verum quicquid sit de tempore, saltem certum est hoc ipsum statim non excerni. Alij, inquit Galen. & est secunda expositio, & aduerso Arist. tribuerunt quod existimauerit semen virile non solum excerni statim vt priores illi dicebant, immò perseuerare, & etiam quoad eius partem aliquam in ipsius generandi fætus membra conuerti, ita vt aliquo modo, vt materia concurrat. Hæc aucem expositio meritò à Gal. reijcitur, nam vt ex loco citato patet manifestè Arist. artifici semen comparasse, & sicuti artifex non efficitur rei artificiatæ materia, sic Arist. existimauit, neque semen effici posse materiam eius, quod generatur, quinimò sensit à semine non corpulentiam, & materiam, sed qualitatem ipsi fætui tribui.

Aristotelis sententia non rectè intellecta.

Quantum igitur ad primum dictum, certum est Arist. non existimasse semen virile statim excerni, sicut dicebant priores illi, nec etiam in infantis membra conuerti, vt posteriores testabantur, neque aliquo modo vt materiam concurrere, sed habere solum rationem efficiendi sicut artifex, & ob id vtraque expositio fuit à Gal. rectè confutata. Sed satis circa Arist. opinionis sensum, & intelligentiam diuagati sumus. Nunc reliquum est, vt illam Arist. medijs & aliorum confirmemus.

Aristotelis sententia explicatur.

Et primo ex maris, & fæminæ temperamento Arist. autumauit semen mulieris non obtinere vim efficientem, nam frigidi est temperamenti mulier, & per consequens semen, ergo habet rationē patiendi, & transmutandi ab eo, quod à fæmina eijcitur.

secundò non sunt multiplicanda entia sine necessitate, si enim ponimus vtrumque semen vim efficiendi habere, tunc vnum superflueret, vel mulieris, vel viri. Sed melius est tantum ponere semen viri cum tali efficientia, quam mulieris semen.

Tertiò si semen mulieris est actiuum, tunc mulier poterit se sola generare, quod quidem est maximum argumentum Peripateticorum, nam vbi sunt duæ virtutes actiuæ, differentes solum sicut magis, & minus, virtus remissior potest per intentionem peruenire ad æqualitatem virtutis intentioris, & si semen viri, & mulieris fuerit actiuum, semen mulieris differt à semine viri solum secundum magis, & minus, cum sint eiusdem speciei, ergo poterit in aliqua muliere ita intendi calor naturalis, vt virtus seminis eius sit fortior, quàm virtus huius, vel illius viri, ergo solum illud semen mulieris sufficit ad generationem.

Quartò ex ratione agentis, & patientis sumitur non infirma ratio, nam in omni natura ex libro 3. de anima debet alicui agenti aliquod patiens cor respondere, multo probabilius est dijudicandum fæminæ datam esse vim patiendi, quæ respondeat virtuti agenti maris, sed semen recipere, concipere, gestare, fætum alere, patiendi facultatem indicant, ergo & semen mulieris non actiuè, sed merè passiuè concurrit.

Quintò, ad quid profuit sexus distinctio in marem, & fæminam, nisi vt colligamus maris semen actiuam habere virtutem, è contra mulieris semen? Essent aliæ rationes, sed hæ sufficiant. Cæterum breuiter his satisfaciamus, si prius dixerimus, merum figmentum esse, & fabulosum dicere, quod semen virile eiaculatū in vterum, quomodo fit conceptus exhalet, euaporet, ac dissoluatur, rectè enim hoc à Gal. libris de semine impugnatur. Quantum ad rationes supradictas ea in re succumbat Arist. oportet, nam verè supra fuit probatum fæminas habere semen, & hoc semen cum efficientia sua ad generationem concurrere, propterea ad primam sit responsum, quod probat semen mulieris minorem habere vim efficiendi, quam semen viri, quod nos vt plurimum supra concessimus, non tamen tollit hæc prima ratio, quod nullam efficientiam habeat mulieris semen.

Responsio ad rationes.

Ad secundum requiritur certè ad perfectam, legitimamque conceptionem vtriusque seminis permistio, vt supra ex Hipp. & Gal. probauimus, alterumque si deficit, vel nunquam, vel illegitima fiet conceptio, non ergo sunt superflua vtraque semina, minorem tamen secundum plurimum, & secundum maiorem partem habere dicimus efficientiam mulieris semen, maiorē vero semen viri, quamuis tamen ex Hip. & sensata experientia oppositum quandoque accidat.

Ad tertium quia nemo agit in semetipsum maximè in generatione, ideo contingit, vt mulier se sola non generet, nisi adsit viri semen multo maiorem energiam habens, & si aliquando conceptio fieret, non interueniente viri semine, quod rarissimè contingit, vt supra diximus, imperfecta, & illegitima dicitur conceprio, vt molæ. Spuriæ, & alterius frusti informis, vel nullo, vel satis exiguo motu præpollentis.

Ad quartum ea ratione, qua vt plurimum semen mulieris est frigidius, & tenuius respectu virorum, ea quidem ratione dici potest habere vim patiendi, non tamen excludit quod efficientiam non habeat.

Ad quintum eadem responsione responderi potest, & hæc satis.

Quid agat in corpus Venus, & quibus, et quomodo conferat.

Theorema XXXIX.



Affinitate doctrinæ, quoniam de semine huc vsque multa sunt proposita theoremata, & quoniam venerea pertinere possunt ad genus excretorum, vel ad res non naturales, in quarum contemplatione nunc versamur, reduci possunt de venereorum vsu non nulla tangamus, antequam ad animi perturbationes nostra conuertatur oratio.

Et primo quæramus, quid agat in corpus ipsa Venus. pro cuius dubitationis decisione, hæc audiant lectores, quæ inter se mutuo bene explicata non pugnãt; Venus corpus euacuat, refrigerat, exiccat, calefacit, replet, & humectat. Verùm horum non nulla partim per se, & partim per accidens, euacuat igitur per se Venus manifestè ex substantiæ seminalis exitu, cum maxima spirituum copia permista, refrigerat etiam per se ex Galen. libro 6. epid. com. quinto, text. 23. ob spirituum euacuationem, & coloris dissolutionem, quod etiam confirmauit idem Gal. libro 6. epidem. com. 3. text. 12. & ante Galen. magnus Aristot. quarta part. problem. problem. 18. Venus quoque calefacit ex eodem Gal. libro 6. de loc. affec. cap. 5. & libro 6. epidem. com. 5. text. 13. suo motu maxime Venus calefacere potest, ipsa enim ex Hippocrat. & Democrito, & Gal. & Aristot. parua epilepsia est, & libro primo, de semine cap. 15. & 16. Hyperbolicè loquebatur Gal. dum dicebat, duo esse principia caloris, cor, & testes, & testes nobiliores esse corde ibi Galen. probauit. Hinc videmus quod qui sunt testibus priuati sunt effæminati, & frigidi, & Hippocrat. dicebat loco citato, Venerem esse remedium morbis à pituita, ratio, quia calefacit. Verum, vt ingenue fatear, non mihi placet id, quod ab Aristot. profertur prima part. probl. probl. 50. & 4. part. problem. problem. 17. hanc Hippocr. sententiam exponens dixit, ob id Venerem remedium esse morbis à pituita, quia maxime pituita euacuatur in Venere, cum hoc ne quaquam contingat, cum euacuetur semen, quod genitum est ex sanguine. Nisi dixerimus pro Arist. vt notat Conciliator in expositione illius problem. esse intelligendum de phlegmate pro quarto humore, quod maxime necessitatis tempore vertitur in sanguinem, quare mediatè, & remotè potest Aristot. dictum verificari.

Venus euacuat refrigerat, exiccat calefacit, replet, & humectat.

Venus est parua epilepsia.

Arist. carpitur, deinde remisse defenditur.

Re vera autem secundum Gal. in illo comm. super Hippocr. confert Venus non cunctis ex pituita laborantibus, sed quibus vires sunt firmæ, imbecilli nanque ab ipsa in extremam debilitatem redacti, magnopere læduntur, sed qui viribus excellunt, non dissoluuntur, sed contra iuuabuntur Veneris vsu pituitam resiccante. Exiccat quoque Venus ob easdem causas, hinc est, quod Aristotel. libro de long. & breu. vitæ dixerit graciliora corpora euadere ob vsum Veneris, quod etiam expresse confirmauit Gal. libro 3. de sanitat. tuend. capitul. 11. Sed quomodo Venus replet, & humectat? An cum in corpore nostro generentur excrementa semper ob caloris imbecillitatem ex Gal. libro secundo de temperamentis capitulo secundo, & libro de salubri diæta capitulo septimo, & lib. 3. de natur. fac. capitulo 15. quo stante Venus replet, quia auget cruditates, & corpus totum laxius reddit ob excrementorum abundantiam, & hac eadem ratione humectat Venus humiditate ascititia ob supradictorum excrementorum copiam, prouentumque. Hæc igitur facit in corpore ipsa Venus. Sed dices quibus magis conuenit Venus?

Respondetur primò sanguineis, nam ijs maxima adest copia seminis, cholericis verò mediocris sit Venus, nam corpora biliosa sunt calida, & sicca, Venus autem maxime siccat, & calefacit. An melancholicis conuenit? Dicendum cum Hippocrat. libro de morb. virg. maxime conuenire, nam ijs tollit mærorem, tristitiamque, idem confirmauit Gal. libro 6. de loc. affec. 5. & Paulus libro primo, capitulo 35. illis tamen melancholicis conuenit, qui facti sunt melancholici ex retento semine, vel ex sanguinis fæce adusta, vt optime explicat Conciliator 4. part. problem. probl. 30. vbi quærit Aristot. quare melancholici sunt luxuriosi, verum hoc problema non intelligitur, de ijs, quorum melancholia naturaliter est frigida, & sicca in quibus est calor debilis, & digestio diminuta, & anima prostrata, non igitur de his melancholicis intelligitur Arist. dictum, sed de melancholicis per adustionem, qui propter eorum flatum præcipuè, alijs derelictis causis, sunt libidinosi. Dices, si venus in corpore multa quidem præstat, cur Epicurus Philosophus eam vituperauit 3. art. 17. cum potius illam cælo extollere debebat, nam Epicurus totam suam vitam consumebat, in abdomine replendo, gulæque indulgendo iuxta illud.

Quib. magis conuenit venus.

Cur Epicurus Venerẽ damnat.

Ede, bibe, quia post mortem nulla voluptas,
Pone merum, & talos, pereat qui crastina curat.

Quomodo ergo Venerem vituperauit? An dicendum ex Suida, ideo vituperasse Venerem, quia erat macilentus, & fluxum sanguinis patiebatur. An è contra res cessit, vt ipse summum bonum in voluptate ponebat.

Non nullæ respõsiones

Verum non in voluptate corporis, vt Aristippus. sed animi, idest in absentia omnium dolorum, vnde continentissimæ vitæ fuisse traditur, nomen tamen illud voluptatis, in qua summum bonum ponebat

ponebat effecit, vt homines voluptarij Epicurei dicantur. Alij, vt soluant hunc nodum, dixerunt, Epicurum, de quo Gal. mentionem facit libro 3. art. med. non esse illum Epicurum licentiosum, sed toto cælo errant, nam fuit idem ipse Epicurus, quem nodum explicauit Gal. lib. 3. epid. com. 1. text. 4. Sed rogabis quomodo confert Venus?

Quomodo conferat Venus, si temperata.

Respondeo cum Gal. libro 3. art. med. conferre quidem si moderate vtamur illa, vt neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse se ipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare videatur. Idem etiam confirmatur ex Aetio libro primo, Sermone 3. & Oribasio libro primo, capitulo 6. ad Eustatium, ex Paulo libro primo, cap. 35. ex Auic. libro 3. fen. 2. tractat. 1. cap. 10. ex Venere enim, temperata tamen, corpus agile redditur, ad incrementum promouetur virile magis efficitur, melancholicos, & dementes, & epilepticos iuuat: Cum enim excrementum sit semen, foras excidat oportet, verùm tempore, & mensura. Ab immodica Venere corpus dissoluitur, vires labefactantur, vitaque abreuiatur, senectutem accersit, vt ob hanc causam dixerint antiqui Venerem esse paruam epilepsiam, visum lædit, aliaque incommoda parit ex Arist. 4. part. problem. problem. 3. ob id etiam dixit Plinius libro 10. cap. 36. passeres ob salaritatem scilicet minimum viuere, & mares non pertransire annum, argumento, quia nulla veris initio apparet nigritudo in rostro, quæ ab æstate incipit. Sed an hoc Plinij dictum de passeribus sit verum, nec ne, videant alij. Interuallum autem inter vnum concubitum, & alterum non potest determinari, tùm ratione varietatis complexionum cum ratione maioris, vel minoris ingestionis ciborum secundum quantitatem, & qualitatem, & tempus.

Si immodica.

E contra verò ex omnimoda intermissione Veneris quot sæua oriantur mala, quæve timorosissima symptomata nascantur, testis est Galenus libro 6. de loc. affec. cap. 5. testis est ipsamet quotidiana experientia, vt ob id vulgares dixerint semen retentum esse tanquam venenum, de quibus omnibus, ne longiores simus, consulendus Hippocrat. libro de morb. virg. Aristot. 4. part. problem. & Galen. loco citato, vbi pulchram illam historiam recenset Dioginis Cynici Philosophi, alioquin vitæ continentissimæ, qui non libidinis amore, atque concupiscentia illectus, sed vt noxam, quæ à retento semine prouenire solet, euitaret, muliere quadam oportune non aduentante ipse manu pudendis admota semen proijcit, ac venientem deinde mulierculam demisit, inquiens, vade mulier, quia manus celebrando Hymenæum te præuenit. Verum hæc ethnica est consultatio, & non christiano medico digna, nam alia nobis suppetunt remedia ad extinguendum fomitem maxime in religiosis hominibus, quæ nunc dimittantur, nam medicinæ praxim nunc non exercemus.

Si intermissa.

De tempore Veneri incumbendo, et cur tanta delectatio.

Theorema XL.

QVoniam tempus bifariam diuiditur in vniuersale, & particulare, vniuersale sunt quatuor anni tempora, ver, æstas, Autumnus, & hyems, de particulari infra. Vernum tempus est maxime omnium opportunum, & ad concipiendum aptissimum ex Hippocr. libro de superfætatione, tunc enim in corporibus, sanguis, & semen maxime redundant, maximeque spiritus sunt robustiores, ob id cuncta fere animalia bruta maxime ad Venerem verno tempore irritantur, ac turgent. Hinc sacro sancta mater Ecclesia diuino afflata spiritu sapientissimè determinauit sacrum ieiunium quadragesimale verno tempore esse faciendum, & non immeritò Auctor ille Germanus hanc ecclesiæ determinationem carpens, fuerit ab eadem Ecclesia damnatus, & eius libri correcti.

Vernũ tempus Veneri idoneum.

Secundum tempus est hybernum, & ob id dixit Arist. 4. part. probl. problem. 28. viros in hyeme esse appetentiores rei venereæ, mulieres vero in æstate, ob scilicet temperamentorum diuersitatem nam illi calidiori, hæ frigidiori temperamento vtuntur.

Hybernum quale.

Tertium tempus est autumnus, in quo parum debemus Veneri indulgere, nanque dicebat versatissimus Hippocr. lib. de natura humana 35. in eo tempore in homine esse sanguinem paucissimum, ergo per consequens semen erit adhuc satis exiguum. Quinimo ego, vt hoc obiter dicatur, in Autumno in ægrotis paucum sanguinem extrahere facio, quemadmodum etiam fornarijs, & Cappuccinis idem obseruo. In æstate minimè omnium Venerem exercere debemus, & præsertim canicularibus diebus, nam si purgationes difficiles esse sub cane, & ante canem testabatur Hippocrat. libro quarto Aphoris. quinto, quanto minus vti debemus seminis excretione, in qua præter motum, & corporis conquassationem, adeo vires labefactantur, vt nihil supra. De ætatibus non nulla dicamus, antequam ad tempus particulare accedamus. Venus quidem exerceri potest in omni ætate, quando tamen est semen, & vires costant, hoc autem est, vt plurimum à decimo quarto anno, vsque ad sexagesimum, vel septuagesimum, vel quandoque ad octuagesimum, & vltra, sed Galen. libro secundo, de san. tuen. cap. 2. dixit ætatem florentē Veneri esse aptam, scilicet à vigesimo quinto anno vsque ad trigesimum quintum, sed secundum rei veritatem, & ante vigesimum quintum annum, & post trigesimum quintum annum possumus per bellè vti Venere, magis tamen in illa ætate, quam ponit Gal. Sed vt res magis ad viuum resecetur dicamus, quod ætas, in qua sistitur incrementum corporis, commodè iam vti potest Venere, nam pueris propter incrementum, & senibus propter caloris defectum deficit semen; parum tamen refert, quod quidam ante decimum quartum annum, & alij post nonagesimum, & in centesimo anno semen emittant, atque fœcundi sint,

Autumnus qualis.

Auctoris obseruãtia in morbis curandis.

Qua ætas Veneri apta.

nam

nam hæc de raro contingunt. Ætas tamen adolescentiæ potest semel in die naturali vti Venere sine noxa, sed quæso conuertamus calamum ad tempus particulare, de quo illud prius sciendum ex Celso libro primo, capitulo primo, magis noctu, quam diu Veneri esse incumbendum. Sed grauior, & curiosa magis, & scitu digna difficultas emergit, qua hora scilicet vti Venere debemus in nocte, an post cænam, antequam ingrauescat somnus, an post somnum.

An in nocte, an in die, & an ante somnũ an post sõnũ sit exercenda Venus.

Non me latet ea de re maximam esse controuersiam inter grauissimos Medicos. Hippocrat. nanque prius omnium hanc litem componendam curauit libro sexto, epidem. comment. 6. text. 4. illis aureis verbis labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia symmetra, & Galen. libro tertio, art. med. & libro secundo, de sanitat. tuend. à somno Venerem esse exercendam contendunt, & his ferè totam Medicorum Caterua assentitur, missas facio rationes, quas fusè Vallesius, Sclanus, & Argenterius afferunt pro hac parte.

E contra Paulus Ægineta libro primo, suæ medicinæ capitulo 35. Aetius libro tertio, capitulo 8. Oribasius libro 6. suarum collectionum, ante somnum faciendam esse Venerem contendunt, qui quoque suas habent rationes non inualidas. Mitto hic, quæ fuse disputat Plutarchus de hac materia, nam libro 3. symptom. 6. problem. ad partes exagitat hanc materiam, & post multas vltro, citroque rationes, inquit Venere in nocte post cænam modicè acceptam vtendum esse, quod somnus deinde succedens lassitudines omnes tollat, & purgatoria corpora efficiat.

Quid sentiat Auctor.

Sed quid dicendum. Equidem, etsi, inter illos, à quibus discere magis conuenit, non liceat iuditium interponere, vt communiter fertur, tamen quia libera est philosophandi via, cum hac mei ingenij caligine ad hanc sententiam deuenire volui, ut asseram, probabiliorem esse Hippocrat. & Galen. & omnium fere medicorum sententiam, asserentium à somno esse faciendam Venerem, iuxta illud Hippocrat. supracitatum. Pauli tamen, Aetij, & Oribasij sententiam, omnino non esse contemnendam fateor, quippe quæ magis ad communem vsum accedat, qui ob temporis diuturnitatem versus est in naturam, nam homines, vt plurimum, & quasi semper à cibo Veneri ante somnum indulgent, idque quidem per omnes nationes contingit, cum igitur consuetudo versa sit in naturam, ea propter illorum opinio non est omnino contemnenda. Veluti enim sensata experientia videmus Neapoli brassicam alioquin non optimi, & probati alimenti, plantam secundum omnes scriptores, nullam corporibus noxam afferre, cum iam in illa natura fuerit assueta, eaque Neapolitani carere non possunt, ita à simile de Veneris hora philosophari licet.

Illud autem pro coronide eius rei addere non grauamur, multa esse hominum corpora, præsertim quæ Vitam otiosam, sedentariamque non degunt, quæ læduntur potius si Venere vtuntur à somno in Aurora præsertim, vel parum antea, cum ijs accidat postea suum exercere corpus ambulando, vel aliter laborando. Sic breuiter de hac difficultate sentio, vtrinque rationes missas faciendo, ne verborum multa serie theorema præsens excrescat.

Quot sint causæ voluptatis in venere.

Consulant lectores authores supra citatos, sed antequam suum sortiatur finem nostrum theorema in dubium reuocatur, quæ nam sint causæ voluptatis in venere. Breuiter septem inuenio causas, quarum non nullæ ex Arist. & Gal. sumuntur, aliæ ex nobis adducuntur.

Quatuor primo sunt causæ efficientes, prima est propter rem escretam, quæ est semen, quod cum spiritibus, & calore abundat, facit veluti titillationem quamdam, vt inquit Arist. lib. 1. de generat. animal. c. 19. & 20. & 4. part. probl. probl. 6.

Secunda causa est serositas quædam, quæ potest voluptatem concitare, ex Galen. libro 14. de vsu part. cap. 9.

Tertiò est modus exitus, qui fit ἀθρόως, & raptim, & ideo in patientibus gonorrhæam voluptas non contingit, nam fit illa seminis emissio paulatim.

Quarta causa est locus, per quem transit, qui fuit ab industriosa natura, angustus, & circumuolutus fabrefactus, nec non cum exquisitissimo sensu.

Quinta causa est obiecti imaginatio, & etiam talis, ijs, qui nocturnas patiuntur pollutiones, accidit, quinimo magis, nam validior est in nocte imaginatiua ex Aristo. lib. de insomnijs.

Sexta causa potest esse accessoria, quam Gal. tangit libro 3. art. med. & est, quia exoneratur natura ab eo, quo veluti sarcina premebatur, vnde nos etiam aliquali perfruimur voluptate in eiectione reliquorum excrementorum, nostram, quæ regit corpora, naturam grauantium, ac molestantium.

Septima, & vltima causa est finalis, quam optimè tangit Auic. libro 9. de animal. cap. quarto, & est ne proles, seu generatio cesset. Ideo enim inquiunt Philosophi, natura, seu Deus opt. max. tantam voluit ponere delectationem vtrisque viro, & mulieri, vt ferè nec calamo scribi, nec mente cogirari possit. Quare maxima fuit Dei opt. max. prouidentia, vt cunctis libidinis stimulos indat. Missas hic facimus non nullas dubitationes, vter magis delectetur in Venere mas, an fæmina, & seminis emissio ad quam facultatem pertineat, nam nunquam dicendi finem faceremus in hoc theoremate. Sed quoniam de voluptate incidit sermo, rem altius de ipsa repetamus subsequenti theoremate, si modo prius de animi perturbationibus in generali non nulla dixerimus, quod est postremum caput rerum non naturalium, & hic finis.

De

De animi perturbationibus.

Theorema XLI.



Ot, tantaque adminicula, & horrenda pariunt symptomata, ne dicam morbos, & mortem, ea, quę vulgò animi accidentia, seu passiones, affectus cum Quintiliano dixeris, & cum Cicerone perturbationes animi, seu affectiones, græcè παθήματα, vt certè calamo scribi, haud commodè possit. Et quemadmodum facile est horum animi motuum historias assignare, ita perdifficile earum causas adamussim adinuenire, atque rimari. Et quamuis apud Platonicos legimus has animi affectiones esse veluti educatos dæmones, ac velimus, nolimus, nostrum exagitant corpus, mentemque commouent, & affligunt, non ob id tamen accidentia nuncupari non valebunt. *Perturbationes animi sunt educati dæmones.*

Non enim Platonici ita eas esse educatos dæmones autumarunt, vt nequaquam separari ab animo nostro possint, nam vt accidentia corporea corporibus, sic hæ animis adesse, & abesse possunt, citra subiectæ scilicet animæ corruptionem. Vocati tamen sunt educati dæmones, quasi per difficile fueri t illas præcauere. Harum igitur perturbationum animi cognitio veluti difficillima nobis censetur, ita medicis est summopere cognitu necessaria. Non igitur harum notitia leuiter est medicis prætereunda, cùm magnas, & incredibiles in nostris corporibus quandoque excitant turbationes, & grauissimorum affectuum occasionem præbent, vt Auic. dixerit in lib. 3. doc. 2. cap. 7. digestionem impedire, & quandoque repentinum, & inexpectatum animantibus interitum. Magna igitur est earum vis, atque immensa potestas non solum in producendis affectibus, morteque ipsa, verum etiam diuinus senex Hip. epid. 2. 5. & 4. decantabat conducere multum animi affectiones pro curandis morbis non nullis, si modus quidam, iustaque mensura adhibeatur, idem colligere licet lib. 1. de san. tuen. & 3. art. med. 5.

Nam moderata ira aliquando profuit, è contra e contra. Sic videmus superflui gaudij, & timoris excessu quosdam interijsse, vt testatur Gal. libro 12. meth. med. cap. 5. & plerique dolore, timore, & pudore sunt extincti ex Plinio libro 7. nat. hist. cap. 37. ex Liuio libro 22. hist. ab vrbe condita de binis quibusdam Romanis mulieribus de filijs viuis inspectis, quos in pugna Cannarum fuisse mortuos memorat, ob gaudium ex hac vita migrarunt. Idem Gelius libro 3. noct. attic. de Diagora Rhodio, & Cicero, libro 1. tuscul. quæst. Videndus Plutarchus de claris mulieribus, & Valesius Maximus. Missas facimus sexcentas historias breuitatis gratia. Videndi sunt supra citati auctores. Sed tota difficultas est vt videamus, quomodo hæ animi affectiones hoc præstent. Hoc enim opus, hic labor. Breuiter nos dicamus, corpus valde alterari ex Gal. libro 3. art. med. tex. 5. ex diuerso calidi ad intra, & extra motu, nec non ex diuersa boni, & mali præconceptione. In gaudio, quia derepente potest calor, & spiritus foras prosilere ideo potest subsequi ex hoc subitanea mors, in tristitia non item, nam sensim intropellitur calor, ideo rarò de repente tollere potest homines. Dices quot sunt istæ Animi affectiones? *Cur varia præstent in corpore animi affect°.*

Respondetur multas quidem esse, vt metum, seu timorem, terrorem, pauorem, diffidentiam, exanimationem, pudorem, iactationem, exultationem, beneuolentiam, amorem, tristitiam, inuidiam, odium, mærorem, angorem, sollicitudinem, desperationem, iram, furorem, inimicitiam, audaciam, temeritatem, confidentiam, &c. *Multa sūt animi affectiones.*

Quæ tamen omnia cum Arist. lib. 2. ethic. ad Eudemum cap. 5. possunt reduci ad duo capita, scilicet ad voluptatem seu lætitiam, & ad dolorem, seu tristitiam, ideo de his tantum duobus theorematizandum aliquantisper, scilicet de voluptate, & de dolore. Quid verò sigillatim sit vnaquæque supradictarum affectionum animi, ne longius progrediar, finem dicendi faciam. Consulendus Aris. in eth. ad Nicomachum, & Eudemum. Nunc quid voluptas sit aperiamus. *Omnes animi affectiones, ad duo cap. rediguntur.*

Voluptas quid sit.

Theorema XLII.



Voniam circa voluptatis naturam maxime controuersum est apud antiquos prefertim apud Plat. Arist. & Gal. ideo haud ab re fore duxi, si quid nos sentiamus in medium afferamus. Equidem hos viros præstantissimos non esse inter se contrarios putarim, nam alter ad vnum, alter ad alterum respexit, ambo tamé opposita quidem non loquuntur. Sed res clarius patefiet his, quæ sequuntur. Est igitur voluptas perceptio perfectionis operationis, propriæ virtutis apprehendentis, & ad me lius ἀθρόως se mouentis. Hęc igitur diffinitio collecta est ex quatuor bonorum omnium auctoribus scilicet à Plat. Arist. Gal. & Auic. Voluptas igitur est perceptio, nam tota voluptatis natura consistit in illa perceptione obiecti blandi, atque suauis, potius autem dixerim voluptatem esse perceptionem, quam cum Auic. esse acquisitionem perfectionis, cum voluptas referatur *Voluptas quid.*

circa

circa operationem ſenſus, & ob id decantauit libro 10. eth. Nicomach.cap.4.in fine,nam ſine operatione non fit voluptas,& operationem omnem voluptas perficiat, quare cum ſenſus, ſiue ſit imaginatiua, ſiue ſit mens cum Hip. percipiat, ideo melius eſt, ſi dicamus, voluptas eſt perceptio, quàm acquiſitio,& vt melius loquamur voluptas eſt perfectio percepta.

Perceptiuũ debet eſſe quatuor cõditionibus inſignitum

Illud autem,quod percipit voluptatem itidem & dolorem, debet habere tres, ſeu quatuor conditiones.

Prima,vt non ſit deprauatum, iuxta illud Hip. lib.2. Aphor.6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt,his mens ægrotat, idemque de voluptate philoſophãdum, vt apparet in phreneticis,nam non eſt cognitio,& illa perceptio, vt diximus.

Secundo requiritur, vt id quod percipit ſit intentum, & non diſtractum, nam aliter nulla voluptas ab eo ſentiretur.

Tertiò requiritur,vt id, quod percipit, non ſit infirmum,languidumque,hinc eſt morituros, nec voluptatem,nec dolorem percipere.

Quarto vt ſcilicet id quod percipit ſenſum habeat, quomodo enim aliter dolorem, vel voluptatem percipere vnquam poteſt, ſi ſenſu careat? Vt hinc oſſa, & cartilagines,nec doleant, nec voluptate fruantur,quia non ſentiunt,& hoc innuebat Gal.lib.12. meth.med. cap.7. vbi his aureis verbis vtitur, Quoniam igitur in animalis corporis, omnibus conſentientibus ſectis,non omnes partes ſenſiles ſunt. Manifeſtum eſt,quæ proſus ſunt inſenſiles, non dolituras. Tot igitur requiruntur conditiones vt habeat id,quod voluptatem percipit. Dictum quoque fuit, perfectionis operationis,nam cum voluptas,& dolor fiant circa idem,& cum voluptas ex Ariſt.libro decimo,eth. Nicomach.cap.4. ſit actio ſenſus, aut non poſſit eſſe abſque ſenſu, maximè in quo obiectum eſt proportionatum.

Verum diuerſa tamen, atque diuerſa ratione, nam voluptas eſt in bona operatione ſenſus, dolor verò in mala, hoc eſt in illa triſtitia,quæ ſequitur ex mala ſenſatione. Dictum quoque fuit propriæ virtutis apprehendentis,nam vt ſupra diximus hæc propria virtus niſi habeat illas ſupradictas conditiones nunquam voluptas percipietur. Eſt igitur voluptas perfectio percepta, ſeu perceptio perfectionis operationis propriæ facultatis, quod per extenſum Ariſt. probauit libro 10.& hic Nicomach. in ipſis ſenſationibus,& alijs operationibus ex perfectiſſimo, & proportionatiſſimo obiecto, ſic guſtus ſuauitatem,delectationem,vel voluptatem,vel lætitiam cum Turiſano, omnia enim hæc in vnum conincidunt, perſentit ex dulci ſapore,auditus ex harmonia, tactus ex re iucunda,blanda, atque benigna, viſus ex viridi cum Ariſt. vel cæruleo cum Gal. maximè oblectatur, ita tamen ſint affecta,vt ſenſibilia hæc non ſint in maximo exceſſu, nam ex Ariſt. lib.2. de anima, fortè ſenſibile deſtruit ſenſiterium. Dictum quoque fuit, & ad melius ἀθρόως ſe mouentis, quæ verba ſunt addita ad differentiam doloris,nam etſi dolor authoritate Platonis,& Gal.libro de inæq. intemp.cap.3. & 1.de cauſ.ſympt.cap.6. fit ἀθρόως, tamen violenter,voluptas vero eſt velociter, & cum iucunditate, nam eſt tranſitus à re præter naturam ad naturalem,è contra dolor.

Apparens cõtradictio in Gal.ſoluitur.

Vt ex his dictis facile ſoluatur appatens contradictio in dictis Gal.lib.12.meth.med.cap.7.& lib. 1.de cauſ.ſympt.cap.6. quam optime perſoluit Manardus libro 15. epiſt. epiſt.1. & eſt ſolutio Gal. libro de tremore,rigore,& palpitatione,cap.6. quod ſcilicet voluptas cauſatur à reditu à ſtatu præter naturam ad naturalem ſine violentia, nam ſi violentia foret cauſaretur dolor, vt contingit in illis,quibus ſunt manus valde refrigeratæ,ſi ſemel ſe excalfacere velint,quare nulla eſt contradictio, nam in his adeſt violentia,& ideo potius dolorem ſentiunt,quàm voluptatem. Voluptas itaque cauſatur ex reditu à ſtatu præter naturam ad naturalem ἀθρόως ſine violentia. Eſt igitur voluptas percepta perfectio operationis propriæ virtutis apprehendentis, & ad melius ἀθρόως ſe mouentis. Sed

Difficultas magna.

hic grauis inſurgit difficultas inter Ariſt.Plat. & Gal. Nanque Ariſt. loco ſupra citato inquit, voluptatem eſſe quid totum,integrumque,totamque ſimul fieri,& videtur arguere Platonem, diffinientem voluptatem per motum,ſeu generationem,& arguit Ariſt.in 2. figura in cameſtres, quod ſcilicet voluptas non fit in tempore, ſed fit in inſtanti,nam omnis motus fit in tempore, nulla voluptas fit in tempore,ergo nulla voluptas eſt motus,maior eſt clara,minor probatur,nam voluptas non fit ſine ſenſu,ergo cum fiat voluptas in viſione,hæc fit in iſtanti, & ſic de cæteris, quare voluptas non eſt motus,ſeu mutatio,hæc eſt Ariſt.ratio. Gal.verò ex mente Hip.libro de locis in homine, & Plat. in Timæo libro 1. de ſympt.cap.6. diffinit voluptatem,quod ſit reditus,ſeu motus à ſtatu præter naturam ad naturalem,ἀθρόως factus,è contra dolor, & nititur probare per extenſum in omnibus ſenſibus,in viſu minus,quàm in cæteris euidenter, in tactu autem, & guſtu maxime luculenter, ab ijs deinceps in odoratu,& poſt hunc in auditu,& adeo manifeſtè in omnibus ſenſibus probat, vt ſuperfluum fecerit ea recenſere.

Turiſani rationes.

Turiſanus tamen omni reuerentia poſt habita acriter contra Gal. inſurgit libro 3. art.med.17. & primo quia produci poteſt delectatio abſque eo, quod fiat ad ſtatum ſecundum naturam mutatio vt in guſtu ſaporis dulcis, & auditu ſuauis melodiæ, nullam habentibus ipſis ſenſibus diſpoſitionem præter naturam. Amplius addit non nullas alias rationes reſpicientes delectationem coitus, nam ſi voluptas eſt reditus à ſtatu præter naturam ad naturalem, tunc vbi maior eſt reditus, ibi maior excitaretur voluptas, nam vt ſe habet magis ad magis, ita maxime ad maxime,ſed in excretione,vel vrinæ,vel fæcum,vel vtriuſque, eſt maior reditus, nam maior eſt excretionis copia quam in excretione ſeminis, ergo maior deberet ſequi voluptas in mingendo,& excernendo,quam in actu venereo,cum illa qualitate,& quantitate grauent naturam, & inutilia ſint, hoc autem ſcilicet ſemen, tantum quantitate redundet, at oppoſitum obſeruamus,& ideo ipſe cum Auic. concludit,quod voluptas,ſeu dælitia eſt acquiſitio perfectionis propriæ virtutis apprehendentis.Sed quid dicendum in tanta doctorum contrarietate?

Quid ad propoſitam difficultatẽ dicendum.

An vt ſupradiximus hoſce viros ſibimet non contrariari, nam Ariſt. ad rei eſſentiam reſpexit, & ob id vſus fuit formali,& quidditaua diffinitione. Plato vero, & Gal. ad cauſam voluptatis reſpexerunt,nam nõ poteſt haberi acquiſitio,ſeu,vt nos diximus,receptio illius perfectionis operationis, niſi adſit mutatio illa ſubitanea,& abſque violentia.

Sed

Sed quid ad punctum difficultatis, vter melius dixit, an Arist. qui à voluptate segregauit motum, an Gal. qui per motum illam diffiniuit.

Dicendum secundum rei veritatem voluptatem fieri totam simul, ac in instanti, & in hoc optime philosophatus est Arist. si verò durationem, & successionem voluptis consideramus, tunc secundum has dicere possumus fieri in tempore, & ad hanc voluptatem intercedere motum illum, seu reditum illum à statu præter naturam ad naturalem, bene verum est, quod si voluptas diu duret, tunc non est eadem voluptas numero, sed specie, item de dolore dicimus, vt patet de flamma, & hanc veritatem, nec etiam ipse Arist. negare potuit, nam libro 1. artis Rhetoricæ cap. 10. in fine, dixit, supponatur igitur nobis, voluptatem esse motum animi quemdam, & affectionem totam simul, & sensibiliter in naturam proficiscentem, dolorem verò contrarium, & libro 2. magnorum Moralium c. 8. de voluptate loquens fatetur esse conuersionem &c.

Rationes verò Turisani nil concludunt, nam ad primam, quando lingua non gustat, nec auris audit melodiam est in actu primo, quasi in actu priuationis, quando vero gustat, & auris audit melos reducuntur ad actum secundum, & sic est quidam transitus à statu quodammodo, non naturali ad statum naturalem. *Soluuntur rationes Turisani.*

Ad secundam non est illa præcipua ratio, quare in semine sentitur tanta delectatio, nam plures concurrant oportet, quos theoremate superiori recensuimus, ob id non oportet eadem repetere. Dicimus tamen in vrinæ, & fæcum deiectione non fieri tantam voluptatem, quia non exeunt spiritus, & hæc satis.

De dolore quid sit.

Theorema XLIII.



EX antecedente theoremate, si vera sunt Arist. dogmata, quod contrariorum sit eadem disciplina, facilè vnicuique innotescere potest, quænam sit doloris essentia, naturave, dimissa nominis acceptione. Est itaque dolor, Hip. Plat. Arist. & Gal. doctrinæ inhęrendo, & ab ea non recedendo, perceptio passionis in animali à cita, & violenta immutatione facta, nunc à continui solutione, nunc ab intemperie, & nunc ab vtrisque non æquè primo. Sed singula verba declaremus. Est igitur dolor perceptio passionis, quæ est formalis pars in hac diffinitione iuxta Arist. libro 10. Nicomach. Moralium cap. 4. nam præcipue dolor consistit in hac perceptione passionis, veluti è cõtra de voluptate supra fuimus philosophati, vt non immeritò dixerit Gal. libr. 1. de sympt. caus. c. 6. & libro 12. meth. med. cap. 7. quod dolor sit asper, & tristis, & grauis sensus mutationis à statu naturali ad præter naturam. Et veluti in voluptate diximus quatuor requiri, vt percipiatur voluptas, ita in dolore asserimus, primum scilicet, vt id, quod percipit non sit de paratum, secundum vt sit intentum, & non distractum, tertium, vt non sit infirmum, languidumque, quartum vt sensum habeat, vt superius de voluptate diffusè diximus, est itaque dolor perceptio passionis, seu tristis, & asper sensus alterationis, seu mutationis. In hac tamen Gal. assertione illud est diligenter notandum quod per ly sensus, non intelligitur sensus pro facultate, sed pro facultatis operatione, seu sensatione, nam si sensus sumeretur à Galen. pro ipsa facultate, tunc male dolorem diffiniret, nam appetitus, & sensus sunt duæ facultates distinctæ, ergo nec actio appetitus est actio sensus, sed dolor est in appetitu ex Arist. libro 2. de anima, quare dolor non esset sensus. Currit quidem argumentum, sed tamen vt diximus Gal. intelligit ipsam sensationem, ita vt doloris essentia consistat in perceptione, seu sensatione grauis, & violentæ mutationis, quare rectè dixit libro 2. Aphor. 6. quod dolor dumtaxat appellatur alterationis dignotio. Habemus igitur hucusque formalem causam ipsius doloris. Et vt obiter hic vnum tangam, Argenterij diffinitio libro de gener. & diff. sympt. cap. 2. mihi non placet, qui dicebat communem diffinitionem doloris esse, quod sit molestia, & passio quædam, quæ à continui solutione causatur. In primis non est ad mentem Arist. & Gal. *Cauillatur diffinitio Argenterij.* *Dolor quid.*

Secundo videtur diffinire idem per idem, nam dolor, & molestia multoties coincidunt, quare cũ habemus Arist. ex professo tractantem hanc materiam, & dolorem diffinientem, cur ab illo recedere debemus? Neque aliorum mihi placet opinio, quod dolor sit actio læsa, nam dolor potius in hac actione, & operatione consistit, quam diffinitionem optime inculcat Argenterius loco citato, quare ne conteratur tempus, ille legatur. Causa materialis in hac diffinitione est ly, in animali, vt denotemus subiectum, in quo fit dolor, quod vt supra diximus, sensum habeat oportet, à cita, & violenta mutatione facta &c. Hic positæ sunt multæ particulæ, quæ in vnum tendunt scilicet, vt communissima, & vniuersalissima causa efficiens doloris explicetur, hæc enim est immutatio cita, & violenter facta, nam dolor non procedit ex quauis mutatione, & ex quauis alteratione, sed ex celeri, & violenta, graui, & aspera vt ex mente Hipp. & Plat. Galenus vbique locorum confirmat, ex Hipp. in libro de homine Gal. referente libro de rigore, trem. & palp. cap. 6. quod scilicet dolor fit, cum natura mutatur, & corrumpitur, & libro 2. Aphor. 47. Platonis sententiam in Timæo citans, vbi dicebat, quod pathos præter naturã violenter, & affatim incidens, dolorem excitat, è contra in voluptate vt supra diximus. Huc usque ergo habemus causam formalem, materialem, & efficientem. Sed vbi relinquitur finalis. Respondeo non semper in rebus præter naturam posse particularem finem assignari. Sat sit tres illas dictas causas nos posuisse. Dices, omnis diffinitio ex genere, & differentia constat, vbi nam est genus, & differentia? Respondeo quàm breuissime, genus esse, ly perceptio, seu sensus tristis passionis, quæ quidem passio licet sit posita ab Arist. in tertia specie qualitatis, tamen habet sub se species subalternas. Differentiæ in hac diffinitione sunt, ly violenter, ad differentiam volu- *Dolor non est actio læsa.* *Dolor quã do fit.* *Obiectio, et solutio.*

ptatis,

pratis, vt optime supra est declaratum. Fuit etiam additum, nunc à solutione continui, nunc ab intemperie, nunc ab vtrisque, non æquè primo, quæ quidem sunt causę efficientes doloris. Verum non adeo principalissimæ, & communissimæ, vt erat illa vniuersalis causa, scilicet immutatio, huius tamen immutationis sunt hæ dictæ causæ, de quibus inter scriptores controuersia adhuc sub iudice manet, alij volentes tantum continui solutionem ad aures Gal. esse causam doloris, alij in temperiem, alij vtrasque, sed paulo diligentius sub sequenti theoremate de hoc argumento scribendum.

Quæ sint doloris causæ.

Theorema XLIV.



IAm ex supradicto theoremate apparet generalissima, & communissima, & immediatissima causa efficiens doloris omnis, quæ nihil aliud est, nisi illa immutatio cita, & violenta corporibus sensibilibus facta, quæritur tamen nunc quæ causę concurrant ad efficiendam hanc immutationem violentam, in qua doloris natura consistebat, an scilicet sit intemperies tantum, an solutio continui, an vtraque simul, an non. De his enim est maxima controuersia, pro qua componenda dicamus, non aliam esse quærendam causam immediatam doloris, quàm illam supradictam immutationem, huius tamen mutationis quæ sit prima, & immediata causa non possumus asserere esse continui solutionem tantum, vt quamplures voluere ad aures Galen. nec intemperiem tantum, vt non nulli alij, nec vtranque simul, vt alij, sed dicamus quandoque esse continui solutionem, quandoque intemperiem, & quandoq; vtrasque non æque primo, quę quidem omnia nunc declaramus. Et primo quod non sit continui solutio causa tantum illius immutationis, in qua dolor consistit, & rationibus, & authoritatibus probatur.

Doloris causa quãdoque est solutio continui, quandoque intemperies, & quãdo: quæ vtraq; non tamen æquè primis.

Et primo adsit ratio, quæ ab Auic. desumitur libro 6. natur. & libro 1. fen. 2. doc. 2. cap. 19. nam sanitas consistit in vnitate, & temperie, ergo intemperamentum in temperie producit rem sanitati oppositam, quæ est ipse morbus, seu dolor, ergo dolor ab intemperie producetur, non tantum à solutione continui. Quamuis non sum cum Auic. asserente duas causas præcipuas esse doloris, scilicet intemperiem, & solutionem continui, vt infra dicetur.

Secundo idem ratione probo, nam comprehendere quidem non possum, quod nunquam fiat dolor nisi adsit continui solutio, vt quidam contendunt, nam si quis verbi gratia digitum admouebit propè flammam per pusillum tempus, tunc statim dolebit digitus, & statim cessat dolor si illum à flamma disiunges, credere autem est nullam ibi esse factam solutionem continui, nec conspicuam, nec ratione contemplabilem, sed ortum fuisse dolorem ab intemperie calida flammæ, & quod de flamma dicimus, itidem de rebus frigidis, & siccis intelligitur, & si continui solutio fiat in cõspicua, & ratione tantum contemplabilis certè aliquid requiritur temporis cum solutio continui, vel fit motus, vel sine motu non fiat, at illico nos videmus cessare dolorem, si separetur digitus, quomodo ergo tam citò separatur continuum commotu, & statim iterum vnitur. Ego quidem, vt dixi, mente quidem hoc capere non possum, & ad hanc solutionem confugere merum esse figmẽtum existimo.

Tertio dolente dente in substantia ipsius nullo existente tumore, nullaque fluxione quis arguet ibi adesse continui solutionem? quomodo enim potest dentis vnitas lacerari, ac disiungi? quare melius est vt arguamus dolere dentem ab intemperie frigida, vel calida, & non confugere ad vnitatis solutionem ratione contemplabilem, vt quandoque innuit Gal. lib. 3. de frac. 34.

Quarto calidum quidem, & frigidum vt libro 4. de simpl. volebat Gal. dolorem generant soluendo continuum, verum ex eodem Gal. loco citato non omne calidum, & frigidum soluentia continuum generant dolorem, Sed illa tantùm, quę sunt supra modum aucta, & immoderata, vt nostram substantiam diuidant, distrahant, ac secent, & sunt calida, vel contrahant condensent, & diuellant, & sunt frigida, sed priusquam ad tantum excessum deuenerint, vt soluant continuum, quis sanæ mentis medicus, atque philosophus negare audebit eorum intemperantijs gigni dolorem?

Tredecim auctoritatibus Hip. & Gal. idẽ quo supra confirmatur.

Quinto Hipp. & Gal. pluribus authoritatibus confirmatur non tantum continui solutionem, sed intemperiem etiam quandoque generare dolorem, legatur Hipp. & Gal. libro de natura humana com. 1. vbi inquit Hipp. dolet homo, quoties aliquis humor est intemperatus, & Gal. manifestissime in com. dixit dolorem prouenire ab inæquali intemperatura, & in com. 21. eiusdem libri dixit clarius, humores non solum quantitate grauantes facere dolorem, sed etiam qualitate, quid ergo clarius, quod non prouenit dolor à solutione continui tantum, sed etiam ab intemperie. Amplius libro 7. Aphor. 22. Gal. omnem difficultatem tollit, inquit enim siue frigus, siue omnino aliqua inæqualis intemperatura circa ventrem fuerit, siue ventris flatuosus, siue acritudo quædam mordax, fieri quidem non potest, vt in longum extendatur dolor, si omnia à medico rite fiant, & c. Ecce quomodo supponit meram intemperiem scilicet frigus esse causam doloris, ponit etiam & aliam causam scilicet continui solutionem, flatuosum nempe spiritum.

Quartus locus Gal. sit libro 1. de morb. vulg. com. 1. tex. 10. vbi duo ponit genera doloris scilicet contentionem, seu contineri solutionem, & intemperiem.

Quintus locus clarissimus est libro de inæq. intemper. cap. 8. vbi inæqualem intemperiem ponit causam doloris, & adhuc 12. meth. med. cap. 7. & intemperiem, & continui solutionem ponit, sic inquiens causas esse doloris, vel quæ vehementer calefaciunt, & refrigerant, vel quæ substantiæ continuitatem diuidunt.

Septimus locus, libro 2. de loc. aff. cap. 5. inquit in principio, duos esse modos doloris, vnus est, qui fit

qui fit per inæqualem intemperiem, alius qui fit ob tentionem, deinde libro 3. de compos. med. secundum loc. cap. 1. duas inquit esse causas generales doloris solutionem continui, aut intemperiem.

Nonus locus sit ex libro 4. de loc. affec. cap. 7. vbi etiam, & continui solutionem, aut intemperiem ponit. Adhuc non ne lib. 2. de compos. med. secundum loc. cap. 1. enumerans sex doloris causas, primò enumerat intemperiem solam sine affluxu materiæ, & diuersam docet rationem curationis ab alijs speciebus. Quid clarius quod non continui solutio tantum, sit causa doloris, sed intemperies quoque?

Vndecimus locus sit desumptus, ex libro 2. de sympt. caus. cap. 2. vbi ponit dolorem prouenire ab intemperie nuda, & libro de curan. ratione per sang. miss. cap. 4. dixit alios fieri dolores ob copiam humorum, & flatuosum spiritum, & alios ab intemperie sola.

Decimus tertius locus sit libro de const. art. med. cap. 8. dicebat fieri dolorem in carne, vel cum secatur, vel nimis calefit, quare distinguit solutionem continui ab intemperie, supponens quandoque dolorem fieri ab intemperie sine continui solutione, & quandoque à solutione continui absque intemperie, & libro de nat. humana com. 1. text. 6. Hip. & Gal. dixerunt dolores fieri à qualitatibus. his igitur rationibus, & authoritatibus, alijs dimissis, apparet, fieri dolorem, vel ab intemperie, vel à solutione continui, & quod ita res habeat inde manifestissime apparet, quod Gal. in his omnibus locis semper disiunctiuè locutus est, vtens illa propositione (aut.) Dicamus itaque, atque concludamus doloris, seu illius mutationis violentæ causam quandoque esse continui solutionem, quandoque intemperiem, & quandoque vtrasque non æque primo. Dictum est à nobis, non æque primo, nam multoties accidit, vt ambæ causæ concurrant, scilicet in inflammatorijs affectibus, in quibus vel intemperies præualebit, vel continui solutio, si intemperies præualebit, intemperies erit causa magis principalis, econtra ipsa solutio continui, & sic vnius effectus possunt esse plures causę, quarum altera principalis, altera verò non tantum principalis, & ideo diximus nos non æquè primò. Dices, ponatur casus, quod ambæ hæ causæ æquè concurrant, tunc dolor vt vnus effectus duas habebit causas æquè primas. Respondeo casum esse impossibilem, sed impossibilitate casus admissa, tunc nil repugnabit vnum à duabus produci causis æqualibus. Dices primario, & immediate producitur dolor à solutione continui, nam ex Gal. 12. meth. med. c. 7. & libro 2. de compos. med. secundum loc. cap. 1. omnis intemperies potest dolorem excitare, humida excepta, quinimo humiditas est doloris mitigatiua, sed hoc non ob aliud prouenit, nisi quia humiditatis ope vnitas seruatur, & ad ipsius destructionem destruitur, ergo sola causa immediata doloris est continui solutio. Nisi esset quod sanitas non tantum in vnitate consistit, sed in intemperie vt supra diximus, quare solutio continui vnica causa est doloris, & altera intemperies. Sed de humiditate me non latet Gal. quandoque dixisse lib. 2. art. med. ipsam dolorem facere, verum non simpliciter, sed cum alia qualitate mistam Gal. intellexisse putandum est. Ex hac superius habita doctrina de causis doloris patet, quantum à veritate discesserint Capiuaccius, Eustachius Rudius, & alij tantum continui solutionem asserentes causam doloris. Patet igitur hucusque in Gal. doc. & in natura rei doloris, seu violentæ illius mutationis causas esse nunc intemperiem, nunc continui solutionem nunc ambo, non tamen æquè primo. Sed dices quando progignitur dolor à solutione continui, vt ex Gal. probauimus, concurrit no aliqua saltem leuis intemperies?

Ponitur casus. *Responsio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Capiuaccius & Eustachius notãtur.*

Respondetur quod quidem non est inconueniens, vt aliqua inæqualis intemperies cõcurrat, quæ quoniam non est effatu digna, ideo tantum de solutione continui mentio fit. Cum enim continui solutio, vel sit motus, vel non fiat absque motu, qui fit omnis in tempore, ideo mirum non est, si aliqualis concurrit, interceditque intemperies, cum hoc tamen stat, quod dicamus dolorem à solutione continui factum esse, & cum hoc tamen stat, quod etiam si concurrat aliqualis intemperies cum solutione continui, non tamen morbus omnis erit compositus, nam si intemperies erit exigua tunc non facit notabilem compositionem, si verò erit magna tunc morbus erit compositus.

Tacitæ obiectioni respõdetur.

Quid alij senserint.

Avicenna loco supra citato, & cum eo quamplures alij, vt Altimarus cap. de dolore capitis duas agnoscunt semper doloris causas principales, atque præcipuas, scilicet intemperiem, & continui solutionem. Verum hæc Auic. opinio non placet ob multa, primo quia stante hac opinione nou explicatur quæ sit causa magis proxima ipsius doloris, sit ne intemperies, an solutio vnitatis, secundo vnius effectus vna est proxima, & adæquata causa, & non duæ, modo per Auic. duæ erunt causæ proximæ ipsius doloris, quod in philosophia absurdum videtur esse. Hæc in Auic. dicta sint. Secunda opinio fuit Auer. libro 3. colliget. 31. asserentis doloris causam proximam esse semper intemperiem, quæ generare valebit semper continui solutionem, nam exuperantia qualitatũ est obiectum sensus tactus, & non continui solutio, quæ cum sit motus erit sensibile commune, non sensibile proprium, quare obiectum sensus tactus erunt quatuor primæ qualitates, & quæ sequuntur illas intemperies ergo sola semper causa doloris erit ad aures Auer. Sed hæc Auer. sententia ex supradictis apparet esse insufficiens, ob id eius rationem soluo, quod obiectum sensus tactus verè sunt qualitates, sed vt hæ persentiantur dolorosæ requiritur illa separatio, seu continui solutio, vnde recte dixit Vallesius lib. 5. cap. 5. suarum controuersiarum, tristem sensum fieri à sensibili, quod corrumpit, siue proprium sit, siue commune. Peccat etiam Auer. nam non semper solutio continui facit intemperiem, quæ sit causa doloris, nam cum solutio continui sit motus, patet quod in dies corpus mouetur multis eiusmodi motibus, & tamen non alteratur, vt doleat.

Auicennæ sententia cõfutatur. *Secũda sententia Auer.* *Confutatio*

Tertia opinio Conciliatoris diff. 76. asserentis intemperiem, & solutionem continui cum vitiata proportione esse causas doloris, quæ quidem vitiata proportio est causa communis ad intemperiem & solutionem vnitatis, & si intemperies, aut solutio continui excitant dolorem, hunc non faciunt

Tertia opinio conciliatoris.

S ratione

ratione qua intemperies, & solutio continui, sed ob id, quia hæc duo sunt improportionata, & incommensurata. Sed contra, nam proportio, & improportio sunt relationes, sed ab his nulla actio proficiscitur, ergo proportio, & improportio non sunt causæ doloris.

Confutatio

Secundò pater non illa relatione, qua ad filium refertur, filium generat, sed per potentiam suam actiuam, eodem modo neque res, quæ sensui objicitur illa relatione, quę obiecto commensurata est, dolorem excitat, sed sua vi, quæ sensibilis est, mouet ipsum sensum.

Tertiò non est vera hæc sententia in omnibus, quæ dolorem faciunt, nam odor verbi gratia virtute olente erit proportionatus, & commensuratus, & in aliqua distantia delectationem infert, quod si proprius ad sensum accesserit dolorem generabit, & ita dolor à re proportionata, & commensurata procreabitur, quod est contra Conciliatorem, non igitur est improportio causa doloris.

Quarta sententia multorum.

Quarta, & vltima opinio multorum fuit asserentium tantum solutionem continui esse causam immediatam doloris, quàm tenent Capiuaccius, & Eustachius tract. de morbis, & probant ex pluribus. Primo ex Gal. libro 4. de simpl. med. fac. & libro 3. de fract. 34. & ex Hip. libro de homine, tunc fit dolor, quando natura mutatur, & corrumpitur, idest vnitas soluitur, inquit Capiuaccius. Sed hæc opinio non videtur esse sufficiens ex supradictis, nam & in Hip. & Gal. doctrina fuit probatum, dolorem quandoque prouenire, nunc ab intemperie nulla præcedente continui solutione, nunc à continui solutione cum leui, & exigua intemperie, nunc ab vtrisque non æque primo. Ad eorum argumenta, & rationes respondeo.

Confutatio

Responsio ad rationes

Ad primam authoritatem ex libro 4. de simpl. med. fac. iam fuit supra responsum, & recte ad hoc respondet Altimacus.

Ad secundam lib. 3. de fract. dicimus, quod Gal. satis probabiliter locutus fuit, & dato, quod assertiuè fuerit locutus dubio procul hic solus locus non debet tantam difficultatem facere cum sexcenti sint loci, de quibus supra, vbi Gal. contrariũ docet scilicet, & ab intemperie, vel à solutione continui generari dolorem, nam vt inquit Altimarus illud Gal. dixit, vt Hip. liberet à calumnijs, dixerat enim ibi Hip. omnes morbos posse appellari vlcera, quare Gal. explicans, & defendens Hipp. dixit omnem repentinam mutationem etiam in intemperatura facere continui solutionem, licet non apparentem, sed ratione tantum contemplabilem. Ex vno igitur loco Gal. vbi probabiliter, & non assertiue fuit locutus, velle desumere opinionis veritatem satis absurdum dijudicandum puto, cum sexcentos habeamus locos, vbi assertiue, & clarissime loquitur, oppositum dicens. Cur igitur vni tantum locorum credendum, & non sexcentis? Ad id quod ex Hipp. sumunt ad eorum opinionis confirmationem, dicendum, quod male explicant Hip. nam quemadmodum explicat Capiuaccius, per ly corrumpitur, vnitas soluitur, ita & nos per ly, mutatur, interpretamur, alteratur, nam alteratio species motus est, & quod Hip. intelligat alterationem in qualitatibus patet ex verbis textus, nam inquit quod fit dolor, & propter frigiditatem, & propter caliditatem, & tot de hac materia sufficiant.

Finis Libri Secundi.



THEOREMATA MEDICA, ET PHILOSOPHICA, EPIPHANII FERDINANDI MESSAPIENSIS HYDRVNTINI, PHILOSOPHI, ET MEDICI.

Libri Tertij.



De rebus præter naturam.

Theorema Primum.



POST rerum naturalium, & non naturalium contemplationem duobus prioribus libris absolutam, ordo doctrinæ nunc quidem expostulat, vt ad res præter naturam hoc tertio, & vltimo libro nostra conuertatur oratio, iuxta auream illam Aristotel. doctrinam libro primo, de anima 85. rectum est iudex sui, & obliqui, & Galen. libro de ossibus in principio, non enim possumus cognoscere, id quod est præter naturam, nisi cognoscamus, id quod est secundum naturam, quod etiam confirmasse videtur libro octauo, method. meden. capitulo nono, & libro de difficul. respirat. in principio, & libro primo, de art. curat. ad Glauconem in principio, & Auic. 4. 1. capit. 1.

Nos igitur de rebus præter naturam vniuersaliter, & currenti calamo scribemus, non enim me latet quam plurimos integra volumina conscripsisse, alios contra Galen. alios in eius fauorem. Quare nos breuiter de morbis, causis, & symptomat. transigemus, quæ tamen vtilia, & necessaria erunt recensebimus.

Qui enim plura lectitare cupit, Comitem Montanum legat, qui contra Fernelium, & Argenterium arguit, primo igitur videbimus, quid sit morbus. Sed quomodo morbum cognoscere valemus, nisi sanitatem aliquantulum contemplamur? Et cum Galen. libro de constitut. art. med. dicimus corpus sanum esse quoties duas sortitum est prærogatiuas, altera est, vt robustas, atque vegetas habeat operationes, altera vt resistat causis ægrotare facientibus.

Hæc Galen. doctrina ex communi omnium consensu dependet, & ob id libro primo, method. medend. capitulo quinto, dicebat tunc corpora nostra sana esse, quoties bonis vtuntur actionibus, ex quibus concludere licet sanitatem esse operationem bonam, è contra morbum, vnde si inti-

Morbus quid.

mius ad morbi naturam accedere voluerimus, dicamus cum eodem Galen. morbum esse dispositionem præter naturam, sen diathesin, seu constitutionem primo, & per se lædentem operationes, sed quoniam ex hac diffinitione sexcentæ emergunt difficultates, breuibus, & pro viribus rem claram faciemus. Diathesis est in prima specie qualitatis, quare morbus videtur esse in qualitate, verum hæc dispositio duplex est, accidentalis, & essentialis, quæ ex materia, & forma constat, vt in similaribus caro, accidentalis, vt eadem caro composita ex qualitatibus, scilicet calido, frigido, humido, & sicco.

Discrimen inter diathesim, & pathos.

Morbus autem non est illa dispositio essentialis, sed est dispositio ad Galen. aures accidentalis, quæ consistit in temperamento partis, vel calido, vel frigido, vel sicco, vel humido. Notandum insuper est ad faciliorem supradictæ diffinitionis sensum ex Galen. libro primo, de different. sympt. capitulo primo, discrimen esse inter διάθεσιν, & πάθος, seu πάθημα, quod Olympius, & Thessalus nunquam intelligere potuerunt, contra quos fusè libro primo, method, meden. capitulo nono, Galen. disputat, illosque reprehendit. Est igitur differentia inter diathesin, & pathos, nam à διακεῖσθαι, idest affici, διάθεσις, idest affectus nomen quodammodo est ortum, & recte Galen. inquit quodammodo, nam quidem si vim nominis attendimus, vt etiam quandoque facere solet Galen. non à διακεῖσθαι διάθεσις, sed à τιθέναι verbo, scilicet τίθημι prouenit διαθεσις. Siue igitur à διακεῖσθαι cum Galen. siue à τιθέναι, secundum nos semper affectus differt à pathos, nam pathos est in fieri, è contra affectus, seu diathesis, quicquid enim patitur quis pathos, siue passio est appellanda, eoque arbitror sensuum alterationes pathemata Plato appellauit, in visu quidem eas, quæ ab albo, nigro, flauo, & cæteris coloribus fiunt, in tactu, quæ à calido, humido, frigido, & sicco, molli, duro, cæterisque id genus, ad eundem modum in singulis reliquorum sensuum, differt ergo passio ab affectu, quippe cessante eo, quod alterabat, alteratio, quæ in passio iam remanet affectus eius est, ita scilicet vt in ipso verti, & mutari, & alterari, & moueri passio generationem habeat, in eo verò quod manet, & in subiecto corpore reseruatur affectus constat, modo ad rem, morbus est dispositio non pathos, & in fieri, sed est dispositio in facto esse, vnde morbus, non potest esse nisi sit facta alteratio, morbus igitur erit à primo ad vltimum corporis diathesis, seu dispositio in facto esse præter naturam, accidentalis, lædens actiones. *Obiectio.* Sed dices ab hac diffinitione non excluditur causa morbifica, hæc enim etiam est dispositio præter natutam &c. *Solutio.* Nisi esset ex Galen. libro primo, de different. sympt. capitulo primo, discrimen hoc inter causam, morbum, & symptomata, quia causa lædit actiones interuentu morbi, quare morbus primo, & per se lædet operationes, secundario causa.

Quatuor causarū genera patēt in morbi diffinitione

In hac diffinitione morbi patent quatuor genera causarum, forma est dispositio, seu status preter naturam, genus enim in diffinitione accidentium se tenet ex parte formæ, è contra in substantiæ ratione, materia est ipsum corpus, quod cum constet ex illa triplici compositione, secundum Aristotel. libro secundo, de part. animal. capitulo primo, prima quatuor simplicium corporum cum qualitatibus, subintellecta materia, secunda similarium, tertia organicarum, & secundum Galen. libro de different. morborum capitulo tertio, libro 6. De sanitat. tuend. capitulo nono, prima similarium partium ex quatuor elementis, secunda dissimilarium, vel organicarum, tertia totius corporis ex instrumentalibus, quare materia erit ipsum corpus, seu tres istæ corporis partes, vnde tria erunt genera morborum, efficiens causa est asymmetria istarum partium, seu excessus in proprio temperamento qualitatum, finalis causa est læsio operationum. Nunc aliorum placida contemplemur.

Quid alij senserint.

SEd aduersus hanc sententiam, morbique præenarratam diffinitionem nonnullæ insurgunt, & illæ quidem perarduæ difficultates, quas excitauit Fernelius, Argenterius, & alij, & primo non videtur esse bona diffinitio, nam per ambigua procedit, & per multiplicia, nam diathesis est nomen ambiguum competens, tùm causæ morbificæ, tùm etiam symptomati, nam hæc omnia sunt dispositiones præter naturam, quare non est omnino tuta hæc supra iacta diffinitio.

Secundò dispositio contra distinguitur ab eo, quod factum est, nam morbus est de genere facti, vt libro de diff. sympt. cap. 2. si ergo morbus est res facta, ergo non est dispositio, nam dispositio, vt dispositio dicit potius rem fientem, quam rem factam.

Tertiò antequam lædatur actio necesse est vt prius lædatur facultas, nam actio à facultate procedit, ergo morbus melius diffinietur per læsionem facultatis, quàm actionis, seu operationis.

Quartò videtur, quod causa lædat actiones primo, nullo existente morbo, ergo falsa est superius allata diffinitio, nam si multa ingeratur copia ciborum in ventriculo generatur cruditas, quæ est symptoma, & tamen nullus est morbus, & tamen est actio vitiata.

Quintò, & clarius ex Galen. libro tertio, de caus. sympt. cap. 1. probatur, quod causa primo, & immediate lædit, & non morbus, nam potest lædi actio, scilicet ipsa coctio, ita vt non concoquat animal propter cibi, aut potionis immodicam quantitatem, quæ est causa malæ coctionis, ergo à causa immediatè prouenit læsio operationum.

Sextò color vitiatur, vt in ictericis, est causa deprauatæ visionis, quæ oritur à suffusione bilis, vbi nullus videtur esse morbus, quare est actio vitiata, & deprauata absque morbo, vnde multi viri sapientes ob vim huius argumenti deuenerint in quandam erroneam sententiam, vt dixerint hanc deprauatam visionem esse quartum genus morbi præter morbum in intemperie, in mala compositione, & soluta vnitate.

Septimò

Septimò non videtur esse verum, quod morbus lędat tantum actiones primò, nam multa sunt symptomat. & tamen si lęditur chylificatio, lęditur quoque sanquificatio, quæ sese lædunt primo nullo interueniente morbo, nam chylificatio, & sanguificatio sunt symptomata, nam errores primæ coctionis, non possunt corrigi à secunda. Sed ad hæc quam breuiter respondeatur.

Ad primum, certè hoc argumentum non est homine philosopho dignum, nec veram redolet philosophiam, nam quamuis dispositio præter naturam de morbo, causa morbi, & symptomate prædicentur, non tamen primo veluti de morbo, vt supra diximus, veluti animal de pluribus prædicatur, verum animal rationale de homine tantum. Nullius igitur momenti est argumentum. *Solutiones argumentorum.*

Ad secundum dicendum dispositionem posse duo respicere, vel motum, vel tempus, si dispositio respicit motum, semper augetur, & supponit rem partim factam, & partim fientem, & per hanc dispositionem diffinitus est supra morbus, quæ quidem dispositio non est habitui contraria, & hæc dispositio non est totaliter res fiens, sed partim facta, & partim fiens, & potius facta, quàm fiens, si vero dispositio respicit tempus tantum, tunc de facile mouetur, & hæc habitui aduersatur, & morbus per hanc dispositionem non diffinitur, nam hæc dispositio potius est res fiens, quàm facta.

Ad tertium mitto quæ Valleriola dicat super hoc argumentum, tamen cum Galen. dici potest libro primo, de præsagitione ex puls. capitulo quarto, quod idem est facultas, & temperamentum, nam facultatis essentia consistit in temperamento, quare nullum est argumentum quamuis hæc responsio mihi non placet, quare melius dicendum, quod ideo non est apposita facultas, quia est obscura, & aliquantulum ignota cum diffinitio morbi sit ex communi hominum ratione desumpta.

Ad quartum possumus cum Galen. respondere non esse læsam ventriculi actionem, sed tantum impeditam, cum non sit proportio inter agens, & patiens, vel aliter dicendum adhuc adesse morbum, nam prius est causa, scilicet moles ciborum, deinde statim fit morbus, qui lædit actionem, non ergo quantitas lædit, sed qualitas, ratione quia habet annexam qualitatem quandam, quæ gignitur ab ipso cibo, qui vel est calidus, vel frigidus, vel humidus, vel siccus.

Ad quintum respondent non nulli esse morbum in cauitate in eo, qui plurimum ingessit cibi, vel in numero. Sed contra, nam ex Galen. ventriculus bene habet, inquit enim, At rursus, ventre quidem ipso minime affecto, potest lædi coctio. Alij & melius respondent, scilicet non nullas causas immediate lædere, nam causæ primitiuæ lædunt operationes, si quis enim te ligauerit statim impeditur respiratio, impeditur & motus, quæ omnia non à morbo, sed à causis proueniunt. O dices, ergo Gal. diffinitio est imperfecta.

Respondent esse hoc modo glosandam, morbus est dispositio præter naturam, à quo primo læditur actio, nisi adsit causa externa. Sic respondet Iacobus Foroliuiensis. Vel tertio, & melius, dicendum, quod ventriculus suo fungitur munere, quoties habet obiectum proportionatum, ergo quoties non habet obiectum proportionatum non dicitur morbum habere, sed quædam est impotentia naturalis, quo stante dicamus, quod aliud est læsio operationum, & aliud est habere impotentiam naturalem, quare quando ventriculus non potest concoquere ob multam copiam, hoc est impotentia naturalis, & non læsio facultatis, quare læsio operationum est immediate à morbo, vel videtur læsio operationum, sed tamen re vera non est, sed est tantum impotentia naturalis.

Ad sextum mitto quæ Auctor Germanus, & quæ alij dicant super hoc argumento, quod scilicet sit obstructio in cornea, vel in poro fellis, dico tamē, quod in oculis ictericorum adest aliqualis intemperies, & etiam per totum corpus, nam humor biliosus est calidus, ergo facere potest intemperiem, spernunt tamen medici, & colorem, & morbum, sed causę morbificę huius symptomatis incumbunt, & ob id diuretica probantur. *Vide Theorema 20. 3. libri.*

Ad septimum, & vltimum respondetur læsionem non esse à symptomatis vltro citroque, sed à morbo scilicet ab intemperie, vel plus iusto calida, vel frigida, & cęteris. Sed soluuntur obiecta.

In quo genere, seu prædicamento sit morbus locandus.

Theorema II.



QVoniam adhuc lectorum dubius est animus circa naturam morbi, an scilicet sit qualitas, an relatio, an aliquod aliud genus, an sit aliquod transcendens, an sit in omnibus prędicamentis, ideo hoc alio theoremate paulò diligentius morbi natura inspecta, de morbi genere disputabitur, aliorumque contrasentientium opiniones videbimus, itaque viam nobis adaperiemur, iuxta illud Iure consultorum, ferro viam aperit, qui per contraria transit. Morbus igitur per sufficientem diuisionem, aut est substantia, aut nihil, aut accidens, non primum, neque secundum, clarissime enim patet, non esse substantiam, etiam omnibus concedentibus, ita vt nulla probatione sit opus, erit igitur accidens, cum natura accidentis sit adesse, & abesse subiectis. *Nota iureconsultorū dictum.*

Verum cum nouem ſint prædicamenta accidentium, hoc opus, hic labor eſt, vt inueſtigemus in quo genere ſit accidentium. Et vt breuibus res concludatur, malo ego potius errare cum Ariſtot.& Galenum, quàm cum omnibus ſapere. Dixerim igitur morbum eſſe de genere qualitatis,& neutiquam eſſe ſub prædicamento ſubſtantiæ, nec in prædicamento relationis, nec in prædicamento ſitus, nec in cæteris, ſed probatur eſſe ſub qualitate, nam ſi quale illud eſt, vt Ariſtotel. in prædicamento qualitatis fatetur, quod denominat ſubiectum quale, modo morbus morboſum facit ſubiectum, ergo, nam cum ſit præter naturam diſpoſitio facit male diſpoſitum corpus, quod Hip. rectè declarabat libro de flatibus, quidquid moleſtiam,& triſtitiam corpori infert, morbus eſt, atque morbus vocatur, ſi nos volumus Ariſt. conſulere clariſſimè ille fatetur in cathegoria qualitatis eſſe ſub prima ſpecie qualitatis ægritudinem, ſcilicet & ſanitatem, atque diſpoſitiones ipſe vocat, nam afficitur ſecundum eas corpus,& ex ægritudine in ſanitatem tranſit, & è contra. Galen. etiam vt ex morbi diffinitione colligitur in genere qualitatis morbum reponit, & clariſſime libro de tum. præter nat. illum accidens eſſe fatetur, non ergo diſcedere debemus ab his magnis magiſtris abſque forti cauſa, cum ambo conueniant in prædicamento morbi.

Morbus eſt qualitas.

Verum ſtatim emergit difficultas inter Ariſt.& Gal. nam Ariſt. clariſſimis verbis morbum, & ſanitatem inquit eſſe diſpoſitiones, quæ de facile tranſeunt,& permutantur, Gal. etiam libro 2. meth. med. cap. 3. morbum,& ſanitatem inquit eſſe de genere permanentium. Niſi eſſet Gal. comparatiuè loqui reſpectu pathos, ſeu pathematis, comparat enim morbum cum pathos, quod in fieri conſiſtit, & ipſemet Ariſt. ſemetipſum declarat, fieri quandoque habitum morbum ſcilicet in febre hectica tertiæ ſpeciei, quando ſcilicet ob temporis diuturnitatem longa aliqua paſſio, immobilis, vel omnino difficilis congenita ſit.

Contradictio inter Ariſtot. & Galenum. Solutio.

Quare morbus poterit dici, & habitus,& diſpoſitio, habitus enim vbi morbus ſuas radices firmauerit, è contra diſpoſitio, vt eſt febris ephemera. Quinimo ſi nos volumus ad aures Peripateticorum philoſophari,& ſecundum rei naturam dubio procul inueniemus inter habitus,& diſpoſitiones non eſſe differentiam ſpecificam, ſed potius numericam, vt ex Ammonio, Boetio, Alberto Magno in prædicamentis, vt de intenſo,& remiſſo calore patet. Quidquid dixerit D. Thomas prima 2.q.49. art. 2. in quibuſdam habitibus, ſcilicet in ſcientijs,& virtutibus diſpoſitio ab habitu differt. Sed non eſſe illius dictum illo communi axiomate conuincitur, quod magis, & minus non variant ſpeciem. Sed habere habitum in ſcientia, & diſpoſitionem eſt eſſe magis,& minus ſcientificum, ergo. Ex his igitur apparet, morbum eſſe corporis diatheſim, ſeu diſpoſitionem, ſeu conſtitutionem prẹter naturam accidentalem, lædentem operationes primò,& per ſe, & cum Hip. libro de flatibus, vt triſtitiam, & moleſtiam homini inferat,& in genere qualitatis eſſe reponendum.

Quid alij ſenſerint.

ADeo ingenij gloria, atque rerum nouitas in homines eſt graſſata, vt ob nouarum opinionum inuentionem in ſexcenta deliramenta deueniant, ſexcentaſque nugas in medium afferant, neque mirum, nam inconſideratè à Philoſophorum, & Medicorum coryphæis deſciſcere voluerunt. Cordubenſis igitur Auer. libro 3. collig. cap. 13. morbum reponit in quinque prædicamentis in qualitate, quantitate continua, & diſcreta, habitu, vbi, & habere, Monachus libro 3. art. med. 59. fatetur eſſe morbum tranſcendentale quippiam, atque omnia prima decem genera circum vagari, dicit etiam morbum eſſe in genere ſitus, & primum probat, nam morbus eſt conſtitutio, conſtitutio, ſeu compoſitio eſt vnio, vnum autem, & ens conuertuntur, ſed ens tranſcendit omne genus, ergo, & vnum, ergo & morbus, probat ſecundum, nam compoſitio quidam ſitus videtur, quare apud Gal. omnis morbus erit in genere ſitus. Fuchſius libro de diff. morb.& libro 3. inſtitu. cap. 1. ob multa quę in Gal. prima fronte videntur pugnantia (nanque Gal. libro de diff. morb. videtur ponere modo morbum in qualitate, modo in quantitate, modo in ſubſtãtia, vt calculus,& prerigium) in eam ſententiam iuit vt aſſerat morbum eſſe in prædicamento ſubſtantiæ,& in prædicamento accidentis.

Auerroes vbi reponit morbum. Monachus.

Auctor Germanus

Alij in aliam abijcere ſententiam, vt Vega libro 3. de morb. cap. 5. Thomas Eraſtus in Epiſtol. & Sebaſtianus Papatella autumarunt, morbum eſſe in prædicamento relationis. Hæ ſunt omnes opiniones, quas omnes ſi vellem ſuis argumentis,& confirmationibus, & earum confutationibus proſequi nimis in longum noſtra protraheretur oratio, eoque magis hunc laborem ſupterfugimus, nam Valleſius libro 4. ſuarum controuer. cap. 1. & Comes Montanus ad longum ſuis de morbis libris hæc omnia exequuntur.

Vera, & Eraſtus.

Idem etiam dicimus de inſana illa Fernelij, & Argenterij ſententia. Illud tamen pro veritatis patrocinio non eſſe prętereundum duximus, morbos omnes eſſe in prædicamento qualitatis,& hoc primo, & per ſe, ſecundum vero alios reſpectus conſideratos non eſſe inconueniens aſſeueramus, ſi in non nullis alijs prædicamentis locarunt alij, vt quandoque fatetur,& Ariſt. libro quinto, phyſ. text. 17.

Neque eſt inconueniens,& vnum, vt idem diuerſo modo conſideratum ſit in diuerſis prædicamentis, ſufficit tamen prima ratione eſſe in vno prædicamento.

De causis, an detur causa coniuncta.

Theorema III.



Voniam contemplatio de causa coniuncta aliquantulum concernit causas internas, & externas, meritò non nulla de his iam in medium afferantur. Causæ externæ primitiuæ, seu progressæ, & procatarticæ idem sunt, vt res non naturales ex Gal. libro 1. meth. med. cap. 8. vocantur autem procatarticæ, & externæ, quia non pertinent ad nostri corporis essentiam, constitutionemque, animi etiam affectiones hoc modo vacari possunt externæ causæ, licet sint intra corpus nostrũ, vt ira, mæstitia, amor, & metus, dicuntur tamen externæ, quia partim quod, quædam non sunt de corporis nostri constitutione, & partim, quod non possunt immediatè producere morbum. *Causa externa, procatartica, &c.*

Internæ verò, quæ alio modo dicuntur antecedentes sunt intra nostrum corpus, & aliæ sunt in actu causæ morborum, aliæ in potentia, vel remota, vel propinqua, de quare pulchrum nobis posteris exemplum reliquit Gal. libro 11. meth. med. cap. 13. de febre putrida, quę quidem originem trahit à supra enarratis, vt à putredine, quæ à prohibita transpiratione, quæ ab obstructione, quæ ab humoribus crassis, qui à temperamento tali hepatis, quod fuit à causis externis introductum, vt ab aere, cibis, & c. In hoc exemplo demonstrantur causæ antecedentes, quarum aliæ magis sunt propinquæ, & immediatæ, aliæ è contra. Hoc tamen habent priuilegium causæ internæ, quod scilicet possunt immediate producere morbum, quod à procatarticis non præstatur. *Internæ, seu antecedentes.*

Causa coniuncta dicitur contentiua, seu συνεχὴς, seu continens secundum Auic. fen. 2. cantic. 1. sum. 1. doc. 2. cap. 1. & Ioannem in Isagoge sua, & in parte Gal. libro aduersus Iulia. cap. 6. & vltimo, & in libro, qui inscribitur medicus cap. 8. & libro de diff. med. & 1. de loc. affec. & dicitur causa coniuncta, qua posita ponitur, & qua ablata aufertur affectus. Sed de hac causa dubitatur, an in omni morbo detur, & quomodo, & in quibus, nam est maxima varietas opinantium, alij enim tenent in omni morbo tàm fiente, quàm facto dari hanc causam cõiunctam, alij oppositum, alij, quod in quibusdam morbis. Sed breuiter pro veritate dicatur, hanc causam coniunctam esse in duplici differentia, alteram vniuersalem, & alteram particularem, vniuersalis causa coniuncta non est aliud, nisi ipsa forma rei, & materia, de qua non fit difficultas, quod datur in omnibus morbis, de particulari verò causa coniuncta est difficultas, nam de causa vniuersali coniuncta clarum est quod detur in morbis, quæ causa cum non sit aliud nisi forma, nam genus in diffinitione accidentium habet locum formæ. quare quãdo dicitur febris est calor ad ignis naturam, & c. ly calor est causa vniuersalis coniuncta febris, & de hac non fit difficultas. Vnde hic obiter admirari non desinam non nullos nuper legentes Neapoli in cathedris publicis, qui hoc modo conciliare nituntur hanc controuersiam, scilicet quod causa coniuncta non datur in morbis medicè loquendo, sed physicè potest dari, quæ quidem distinctio nullius est momenti, nam clarum est, quod physicè vt inquit ipse, quod datur, verum nos non loquimur de hac causa coniuncta vniuersali, sed de causa coniuncta particulari exagitatur theorema. Quare non opus erat confugere ad talem distinctionem. Notandum etiam, & aliud est ad theorematis veritatem indagandam, hoc theorema esse verificandum de morbo facto, non de fiente, an scilicet in morbo facto, & actu existente sit assignare causam coniunctam particularem, quæ tamen causa sit efficiens. *Causa coniuncta. Dubitationis exordium. Decisionis principiũ.*

Quare tota controuersia in hoc est posita, an scilicet detur in morbo facto, & actu existente causa coniuncta efficiens particularis; pro cuius determinatione breuiter dicatur, non dari causam coniunctam in morbis in intemperie, verum potest dari hæc causa coniuncta efficiens in morbis instrumentalibus, seu mala compositione, idest in morbo in via, in situ, & mala formatione, in via, vt obstructio, verbi gratia, in asthmate, & lapis in vesica, in situ vt in luxationibus, in quibus intercluditur humor inter os, & os, quare in his morbis datur causa coniuncta efficiens, sed in morbis in intemperie non datur. Sed contra, si morbus factus non indiget causa, ad quid in his morbis ponenda est hæc causa coniuncta? *Obiectio.*

Respondetur quod duplex est adhuc hæc causa coniuncta, quædam est causa efficiens conseruãs, & quædam est causa coniuncta fiens, prima causa datur, scilicet efficiens conseruans, non autem efficiens fiens. *Solutio.*

De lapide tamen in vesica dicimus posse dici causam, & morbum, causa est quatenus lædit interuentu morbi, scilicet obstructionis, vt notat Horatius Augenius scilicet lapidem esse causam, quod probat tribus pulchris rationibus, verum in vno maledicit, quod scilicet nunquam possit esse morbus, nam potest esse morbus, tum dicente Galen. libro primo, de differ. morb. capitulo octauo, tum etiam quando est valde magnus lapis, tùm enim in cauitate vesicæ existens impedit vesicam, ne possit dilatari, & constringi, vnde à solo lapide tunc impeditur actio, quare tunc lapis morbus est, vel aliter dicendum, lapis potest dupliciter considerari, vel secundum sui naturam, & tunc semper est causa morbi, vel respectu indicationum, & tunc potest dici morbus, nam non habet diuersam indicationem à causa, quare vna erit indicatio, scilicet curandi obstructionem, quæ fit à lapide. *De lapide in vesica quid dicendum.*

Quid

Quid alij senserint.

NOn contemnendæ authoritates, viri quidam autumarunt, non esse dandam causam hanc coniunctam, inter quos fuit Leonicenus in anti sophistam, Trincauellus libro epist. epist. 2. Fulsius in paradoxis libro 2. cap. 1. & in libro institut. Comes Montanus, & Iacobus Pacinus Bononiensis, qui multis authoritatibus, & rationibus contendunt, neutiquam in morbis esse dandam aliam causam præter internam, & externam, nos autem quæ magis erunt necessaria in medium adferemus, & probatur primo, quod non datur, nam omnis causa præcedit morbum, sed causa coniuncta simul est cum morbo igitur non datur hæc causa coniuncta, maior est Galen. libro de caus. morborum cap. 2. & 1. & 3. meth. minor patet ex dictis.

Secundo sumitur ratio ex Gal. authoritate libro 3. art. med. cap. 37. vbi docet curationem morbi facti, inquiens, primo abscindendam esse causam, quæ facit morbum, nunc peto, hæc causa, vel est antecedens, vel coniuncta, sed vtrumque est falsum, nam si tu intelligis causam anticedentis, falsum est, nam adhuc est alia causa, scilicet coniuncta, quę abscindenda est, si tu intelligis causam coniunctam, tunc contra, nam hæc est qua posita ponitur, & qua ablata aufertur morbus, igitur hæc causa coniuncta abscinditur simul cum morbo, igitur non deueniendum ad morbum factum, ad quid ergo iuuabunt medicorum illæ alterationes, & certè si hoc scirent febricitantes exclamarent voce magna aduersus sic opinantes.

Tertio differt pathos à morbo libro de diff. morb. cap. 1. & 1. meth. cap. 7. tanquam non permanens à permanente, sed res permanentes, vt est morbus, non indigent causa, igitur non est asserenda hæc causa coniuncta.

Quarto omnis recta, & methodica curatio fieri debet per suas indicationes teste Gal. sexcentis in locis, indicatio autem, vel sumitur à rebus naturalibus, vel à non naturalibus, vel à præter naturam, à naturalibus, vt à temperamento, corporis habitu, ærate, consuetudine, sexu, à non naturalibus, vt ab aere, cibo, & potu & c. à præter naturam à morbo, causa morbi, & symptomate, Vera tamen indicantia sunt causa, & morbus, aliquando solus morbus, aliquando sola causa, aliquando iungũtur, vt in febre putrida, quibus stantibus sic arguitur, si datur hæc causa coniuncta morbus non indicaret, hoc autem est in Secta medicorum hæreticum, ergo, probatur sequela maioris, nam causa coniuncta est illa, qua posita ponitur, & qua ablata aufertur morbus, sed symptoma non indicat, ergo nec morbus, nam sola causa hæc tua coniuncta indicaret, & confirmo, nam illud primo debet indicare, quod magnam vim habet, indicandi sed causa coniuncta est huiusmodi, ergo.

Quinto si daretur hæc causa coniuncta esset admittenda in aliquo morbo, sed in nullo datur, ergo, si daretur dubio procul daretur in morbo in intemperie, & præsertim in febri putrida, quæ habet partem factam, & futuram fieri, non datur causa coniuncta ratione factæ, nam hæc non indiget vt supra, nec ratione futuræ fieri, nam hæc non est, ergo.

Sexto si daretur hæc causa coniuncta, tunc vel primo læderet, vel secundario, non primo, nam hic est morbus, non secundario, nam causa antecedens secundario lædit, ergo cum nihil agat, non est cur sit ponenda.

Septimo si daretur, dubio procul de ea mentionem fecisset Gal. libro de caus. procatarticis, & libris de meth. med. ergo.

Octauo, & si daretur, nõ daretur in ephemera, & hectica, sed in putrida, cuius causa proxima secundum Gal. libro 11. meth. med. cap. 13. est putredo, deinde prohibita transpiratio & c. Quare cum Gal. non aliam causam ponat, nisi putredinem non datur hæc causa coniuncta. Quamuis me non latet putredinem secundum Auic. vocari causam coniunctam.

Nono nec etiam in solutione centinui datur causa coniuncta, nam dum fit solutio, non est morbus adhuc, sed est pathos, & passio, & tunc si causam habet, concedatur, nam non est inconueniens secundum hos passionem habere causam.

Decimo, nec etiam datur in morbo in via, nam lapis in vesica non est causa coniuncta, sed morbus secundum hos, quare dicere conantur, lapidem esse morbum semper. Sed quoniam videbant verè isti viri grauissimi non nulla iacula contra ipsos, ideo pro viribus nituntur infringere illam, & primo de lapide in vesica, qui verè videtur esse causa coniuncta. Respondent lapidem, & obstructionem facere vnum, & idem, & ex his fit morbus, qui est ipsamet obstructio cum lapide, & idem dicunt de obstructione in venis, & humoribus crassis, frigidis, & viscosis. Dicunt etiam morbos cum tumoribus non habere causam coniunctam, nam verbi gratia inflammatio vnus est morbus. Non ergo datur causa coniuncta. His omnibus addunt Gal. authoritatem libro aduersus Iulianum c. 9. vbi reprobat hanc causam coniunctam. Verè hæc opinio non est contemnenda, multa enim vera continet, verum quod in quibusdam morbis detur hæc causa coniuncta, iam supra diximus. Ad illud quod dicunt de lapide iam supra fuit rei veritas ostensa, quare ad huc in hoc errant, & etiam addo, quod potest esse lapis sine obstructione, quando igitur est exiguus, ad illud de obstructione in venis, & humoribus crassis, ad huc falsum est, nam Gal. libro de diff. morb. cap. 7. ponit differentiam inter humorem, & obstructionem, etsi Gal. reprobat hanc causam fortassis causam in intemperie reprobat.

Aliorum sententia. Ex alio latere fuere alij de extremo in extremum, qui in omnibus morbis admittendam esse causam hanc coniunctam contendunt, vt Argenterius libro 3. art. med. com. 34. Montanus & alij afferentes Gal. Dioscoridem, Celsum libro 1. cap. 2. & Philotheum, Auic. fuisse huius opinionis Dioscorides libro 6. cap. de venenis Gal. libro de diff. morb. libro, qui vocatur medicus libro 7. Aphor. 30 ponit causam coniunctam libro 1. de caus. sympt. 2. & 5. 10. meth. 10. 6. epid. 3. 20. 1. de caus. puls. 1. & in alijs sexcentis in locis, Phylotheus 1. Aphor. Auic. libro 1. f. 2. cap. 1. & sunt etiam rationes, pri-

mo ham

mo nam poſito lapide ponitur morbus, ſcilicet obſtructio in collo, vel compreſſio, nam differt ſi lapis ſit in collo, vel in cauitate, ſi eſt in collo facit obſtructionem, & dicitur morbus in via, ſi eſt in cauitate viſicæ facit compoſitionem, & dicitur morbus in numero aucto, poſito ergo lapide ponitur morbus, & ablato aufertur, igitur eſt cauſa coniuncta.

Secundò poſita bili ponitur tertiana, & ablata aufertur, igitur eſt cauſa coniuncta.

Tertiò in omni morbo eſt hæc cauſa coniuncta, nam omnis morbus eſt vitium, vitij autem eſt ſua quæque cauſa, nam vitium oritur ex moderatione, & inæqualitate facta à qualitatibus, non poterit vtique vitium abigi, niſi inæqualitas illa tollatur, quæ quidem inæqualitas, & immoderantia eſt morbi cauſa coniuncta.

Hæc opinio poteſt melius difendi, verum non videtur eſſe vniuerſaliter ad mentem Galen. nam hæc cauſa, quæ ab ipſis vocatur coniuncta præſertim in febri putrida, eſt cauſa formalis, nam genus in diffinitione accidentium vicem tenet formæ, de qua cauſa formali Galen. in libro 3. ars. med. non pertractat, ſed tractat de cauſis tum efficientibus, & conſeruantibus, bene tamẽ formalis poteſt reduci ad efficientem, nam iuxta Ariſt. libro 2. phyſ. forma finis, & efficiens coincidunt. Quid ergo de Gal. & alijs ſcriptoribus dixerim? Dicerẽ Gal. fortaſſis locutum fuiſſe de ea, quæ tolli poteſt ſeorſum à morbo, cuiuſmodi non eſt cauſa coniuncta, neque volo confugere ad id quod dicit Fuchſius, ſcilicet nonnullos Gal. libros eſſe ſpurios, & hæc ſatis.

De ſymptomatis.

Theorema IIII.



SI contemplatio morbi, & cauſæ eiuſdem fuit neceſſaria, hæc dubio procul magis erit neceſſaria, & vtilis, quippeque authore Galen. libro ſecundo, de loc. aff. capitulo quinto, morbi non cognoſcuntur niſi per ſua ſymptomata, ea propter breuiter de his dicetur quid ſint, quotve ſint ſpecies.

Verum quoniam æquiuoca prius ſunt diſtinguenda, deinde diffinienda ex Ariſtotel. libro primo, Cæli, & Mundi text. 110. propterea cum ſit multiplex ſymptoma, quotuplex ſit venit prius dicendum.

Triplicem ſymptomatum acceptionem memini, me legiſſe apud Galen. libro primo, method. medend. capitulo ſeptimo. Aliud eſt quod ſumitur pro eo, quod commune eſt ſtatui præter naturam, & ſecundum naturam, & ſequitur corpus, veluti vmbra libro ſecundo, art. meden. 3. vel dicitur ſecundo ſymptoma ab eo, quod accidit, ſcilicet ἀπὸ τȣ συμπίπ]ειν, tertium eſt pro eo, quod eſt commune morbo, & cauſæ morbi, lib. 1. de diff. ſympt. cap. 1. *Triplex eſt ſymptoma.*

Sed præter hæc tria aliud eſt ſymptoma, quod magis ſtrictè, & propriè ſumitur, & propriè illud dicitur, quod accidit præter morbum, & cauſam morbi, quare quicquid corpori accidit præter cauſam, & morbum ſymptoma dicitur, vt delirium in febribus ex Galen. libro primo, de ſympt. diff. cap. 2. Mitto quę Argenterius garriat contra hanc diffinitionem, nam ſunt nullius momenti eius obiecta.

Dices, in quot partes Galen. diuidit ſymptomata. Reſpondetur ex Galen. libro de differ. ſympt. capitulo tertio, & quarto, in tres actiones læſas, excreta, & retenta, & qualitates mutatas, ſeu affectus corporis, Actiones ſunt in triplici differentia, animalis, vitalis, & naturalis, animalis duplex, vel ſentiens, vel motiua, ſentiens duplex interna, & externa, interna triplex, imaginatrix, rememoratrix, & ratiocinatrix, externa in quinque diuiditur ſenſus, in viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum, motiua non diuiditur, ſed ſumit nomen ab ea parte, in qua reperitur affectus, vitalis actio, vel eſt pulſatilis, vel reſpirabilis, naturalis actio, eſt multiplex appetitiua, attractiua, concoctiua, retentiua, expulſiua, & hæ ſunt famulæ magis principalium, ſcilicet generatiuæ augumentatiuæ, & nutritiuæ. Excreta, & retenta, vt fæces, & vrinæ, & c. Qualitates mutatæ, ſeu affectus corporis quatuor ſunt viſibiles, odorabiles, guſtatiles, & tactiles, viſiles, vt colores præter naturam, odorabiles, vt fætores, & odores, guſtatiles, vt ſapores præter naturam, vt ſalſus, amarus, & c. tactiles, vt durities cutis, aſperitas, & c. Hæc tamen omnia, quæ dicta ſunt poſſunt tripliciter lædi, vel ablatè, vel diminutè, vel deprauatè.

An

An morbus maior sit in principio, in augumento, an in statu.

Theorema V.



Bsoluta generalissima, & breuissima contemplatione morborum, causarum, & symptomatum, nunc magis particulariter ad eandem accedimus, & primo reuocatur in dubium, an morbus sit maior in principio, an in augumento, an in statu, pro cuius theorematis decisione tria, vel quatuor sunt præ accipienda.

Primum est, quod præsens theorema erit intelligendum de ijs morbis, qui pendent à causis, nam in his datur temporis diuersitas ex Galen. libro de opt. secta ad Trasybul. cap.37. nam ex motione causæ, scilicet humoris incipit principium morbi, si magis increscit in motu, fit eiusdem morbi augumentum, si vero stat fit status, si minorabitur, fit declinatio morbi. Hinc in hectica febri, & in ephemera non habet locum præsens theorema, sed tantum in febribus putridis, & in alijs morbis à sua pendentibus causa.

Secundum est ex Hip. libro de morbis in principio morborum alios esse lethales, alios salubres, & alios dubios, de lethalibus non potest certa regula exhiberi, cum hi nunc in principio, nunc in augumento, nunc in statu enecent, quare de his morbis læthalibus non verificatur hoc theorema, sed tantum de morbis salubribus, causamque habentibus.

Tertium est, quod in his morbis salubribus, qui causam habent, oportet considerare præter morbum, symptomata, & causas.

Quartum, & vltimum est, nam consideranda est causa morborum, quæ potest esse etherogenea, & tunc in statu potest esse remissio, ratione humoris tenuis resoluti, cum signa digestionis humoris crassi apparere incipiunt, verbi gratia in febribus continuis, vbi prædominatur bilis, & phlegma corruptum, tunc potest resolui pars subtilis, eo scilicet tempore, quo signa coctionis manifestantur phlegmatis, & nunc videtur esse morbus in statu, & tamen est remissior, quàm prius.

Morbus est maior in statu quã in alijs tẽporibus.

Vt his quatuor stantibus dicamus, morbum esse maiorem in statu, quàm in alijs temporibus, & primo apparet ex dictis diuini senis Hip. libro 1. Aphor.7. & 8. & hoc idem confirmat Gal. in com. Hip. etiam libro 2. Aphor.30. circa principia, & fines omnia debiliora, in statu vero fortiora, ergo. Sed multi interpretantur de sympt. & non de morbis. Sed contra, nam in Hip. doctrina vnum, & idem est morbum esse extremum, & habere maiora symptomata ex libro 1. Aphor.7. nam symptomata consequuntur morbum, veluti vmbra corpus.

Confirmatur etiam supradicta sententia ex libro 1. de Cris. cap.1. vbi dicit vehementissimum tempus morbi esse statum, & in cap.8. idem dicit, & libro de totius morbi temporibus cap.2. & libro 1. de diff. feb. cap.1. febris maior, & minor dicitur à maiori, vel minori calido, sed in statu est maior caliditas, vt ostenditur ex tactu, & ex pulsus celeritate, & magnitudine, ergo.

Responsio nonnullorũ confutatur

Respondent nonnulli, quod re vera morbus non dicitur magnus in statu vniuersali morbi, sed in statu particulari accessionis. Sed contra, nam ex Gal. libro 1. de cris. cap.3. tempora morborum sunt sicuti ætates in animantibus, sed animantia sunt maiora in statu, quam in alio tempore, ergo in statu morbus erit maior. Amplius, & principaliter, in statu febrium natura maxime mouetur contra causam morbificam, & causa morbifica contra naturam, vt symptomata critica clarè hoc demonstrant.

Tandem in statu febres magis lædunt, ergo in statu est maior morbus, valet argumentum ex diffinitione morbi, antecedens patet ex libro 2. Aphor.29. 30. nam in statu vis animalis est magis labefactata, vitalis quoque, nam pulsus maxime in statu vniuersali mutantur, naturalis quoque, nam in statu cibandi ratio est parca.

Nota diligenter.

Patet igitur ex his maiorem esse morbum in statu, quàm in alijs temporibus. Verum illud maximopere erit adnotandum, quod quam vis maior est morbus, & maiora sunt symptomata in statu, quàm in augumento, & principio, tamen est melioris sortis, ac conditionis morbus, quàm in principio, & augumento, nam quæ cocta sunt melioris sunt conditionis ex Hip. libro 1. epid. commen. 2. 45. Sed vbi est melior concoctio, ibi melior est conditio morbi, ergo cum in morbis salubribus in principio sit inchoata coctio, ergo parum est bonus morbus, sed quia in statu est valde manifesta coctio, ergo melior est morbus, eoque melior est, quia propinquior in tempore ad salubritatem, nam instat crisis, & hoc est quod dicit Gal. libro 2. Aphor. aphor.30. quod scilicet dispositio sit leuior, quamuis symptomata sint maiora. Dices ex libro 3. de ratione die.62. multoties affectus, seu dispositio est mitior, & symptomata magna, & è contra scilicet affectus est maior, & symptomata minora, vt in vulceribus inquit Gal.

Dubitatio.

Solutio.

Respondetur quantum ad primum non esse contra nos, immò nos illud fatemur.

De causa, an sit quoque maior.

Ad secundum, quia materia crudescit, & ideo videntur symptom. minora, attamen non ita res habet. Tandem quid de causa dicendum, an etiam maior erit causa in statu veluti est morbus maior.

Respondeo morbos causam habentes esse in duplici differentia, alij sunt, in quibus reseruatur tota massa humoris pro vnica expulsione critica, alij sunt, in quibus semper minorantur materiæ in qualibet excretione, & hoc secundum Galen. libro de const. art. med. 19. contingit multoties in inflammationibus ratione operculi, nam si est densum, in vnica excretione euacuatur, & hoc præsertim

tim obseruatur in pleuritide, si verò est rarum semper adimitur, & euacuatur materia, & ob id in illis morbis in quibus est operculum densum, maior erit causa, seu materia in statu, quia semper accumulatur, in illis verò morbis inflammatorijs, in quibus est rarum operculum, minor erit in statu morbi causa, seu materia.

Idem philosophari licet in febre putrida, in qua si nihil materiæ adimitur, tunc materia maior erit in statu, quàm in principio, & augumento. Si vero aliquid adimitur ratione operculi rari, ratione medicamentorum, ratione diętæ, tunc in statu erit minor, quàm in principio, & augumento, & quamuis est quantitate minor, tamen potest esse qualitate maior scilicet v. g. maior sitis, & maior caliditas, quia pluribus, & sæpe egit causa morbifica in corpus, veluti etiam de calore solari in mense Augusti, & Septembris, qui deberet esse minor ob solis recessum à Zenit capitis nostri, sed est maior, quia calor diu egit in corpora totaque consumpta est humiditas hyemis, & veris. Hæc breuiter sint dicta circa hoc theorema, qui plura videre cupit Gentilē legat propria quæstione, nam diffusè hanc materiam pertractat, Conciliatorem citando diff. 159. & 160. & Thadæum, & Mundinum, & Turisanum.

Quid alij senserint.

Visum est quibusdam morbum minorem esse in statu, & maiorem in principio, & in augumento, quod probant ex Galen. libro 2. Aphor. 30. vbi dicit in statu morbi salubris accidentia esse maiora, dispositionem vero, idest morbum esse leuem, ergo morbus in statu minor erit.

Secundò tunc est minor morbus, cum materia est minorata, sed in statu est minorata, ergo, probatur minor, nam quanto calidum agit in materiam humidam, tantò magis euaporat de materia humida, & sic humiditas diminuitur, sed in statu magis, ac magis egit calor in materiam humidam, ergo.

Tertiò tunc est minor morbus cum virtus est maior, & è contra, sed in statu virtus est maior, ergo, probatur minor, nam in statu fiunt coctiones, fiunt crises, quæ proueniunt à valida virtute.

Quartò, & fortius, motus violentus in principio est maior, quàm in fine, è contra in motu naturali, sed in morbo est motus violentus, ergo maior est in principio, quàm in alio tempore.

Quintò, & vltimò, vbi concoctio, ibi est minor morbus, sed in statu fiunt coctiones, ergo, sed concoctio ex libro 3. art. med. 38. facit cessare putredinem, manente substantia, ergo facit cessare morbum, sed in statu fit concoctio, ergo tunc est minor morbus. Hanc sententiam confirmare, & magis, ac magis declarare nixus est Turisanus libro 3. art. med. 32. vbi suam in medium afferens sententiam dixit, morbum esse minorem in statu, quoad magnitudinem essentiæ morbi, causæ, & symptomatum pendentium ab ipso morbo, sed esse maiorem morbum respectu symptomatum pendentium ab actione naturæ agentis contra morbum, quæ opinio vt supra tactum est videtur esse Galen. libro 2. Aphor. 40. vbi Galen. inquit, quod in statu sunt fortiora symptomata, sed morbus, scilicet dispositio est leuior, vbi Galen. loquitur de morbis salubribus, causam habentibus, & ratio pręcipua huius sententiæ potest esse ea, de qua pa ulo ante mentionem fecimus, nam in statu natura concoxit morbum, & confecit ipsum, & causam morbi, igitur fit, quod morbus, & causa sint minores in statu, & adhuc symptomata morbi sunt minora, sed illa symptomata, quæ dependent à naturæ actione agentis contra morbum sunt grauiora, & fortiora, nam magnus est naturæ conatus, qui solet perterrere imperitos medicos, nam quibus futura est crisis, ijs nox antecedens & c. libro 2. Aphor. 13. Sed obijcit sibimetipsi Turisanus de confectione puris libro secundo, Aphor. 47. nam dum pus conficitur, dolores magis, & febres, quam iam confecto, sed pus fit in statu, & tamen febres sunt maiores, ergo malè.

Respondet ipse, quod fortassis puris confectio, non fit in statu sed in augumento, nam in statu puris confectio est completa, & perfecta, sed contra Turisanum, nam ipse tenet, morbum quo magis procedit, eò minorem euadere, sed modo maior est in augumento, loquendo de confectione puris, ergo. Sed vidit hanc difficultatem, propterea ipse conatus est subterfugere illam, dicens, quod dum pus conficitur est morbus dubius, & non salubris, vt theorema præsens verificatur, nam quando pleuritis suppuratur dubius est morbus. Sed contrà, & probatur de quouis morbo salubri, quod sit maior morbus in sua essentia in statu, quàm in alijs temporibus, primo, vbi morbus peracutus est extremos habet statim labores, & per labores Gal. intelligit accessiones, & symptomata. Hoc stanre, si tu per hæc symptomata intelligis symptomata naturæ contra morbum, falsum dicit Hippocr. quod ille sit morbus peracutus, si ergo sunt symptomata consequentia morbum, habeo intentum, quia maiora dicit esse symptomata, & sic maior erit morbus in statu, nam ad maiora symptomata, maior sequitur morbus. *Aduersus Turisanū.*

Secundò ex libro 1. de cris. cap. 10. cognoscitur status febris iuxta Hippoc. primo quia citius, & fortius accessiones inuadunt, ergo maior morbus, nam ad maiorationem accessionum sequitur maior morbus.

Tertiò ex libro 1. de cris. cap. 18. cum fiunt coctiones in morbis, tunc propter efferuescentiam febres inducuntur, tunc sic, vbi maior est efferuescentia ibi maior febris, sed in statu, ergo, & confirmatur ex libro de totius morb. temp. cap. 3. vbi Galen. dicit quod in morbis salubribus cognoscuntur quatuor tempora, veluti apparet in externis inflammationibus, in primo insultu est pauca inflammatio, in augumento maior, in statu maxima, in declinatione, omnia mitia, tunc sic arguo ita se habent tempora morborum, vt inflammationes, sed hæ in statu sunt maiores, ergo. Hæc aduersus Turisanum.

Solutiones argumentorum. Nunc reliquum est, vt ad argumenta superius adducta respondeatur, & primo, ad primum non sequitur ex Gal. illa doctrina, morbum esse maiorem in statu, sed potius magis mitem, & securiorem, seu meliorem, vt ipse in com. loquitur, necesse enim est dispositiones esse meliores in ijs, qui debent sanitati restitui.

Ad secundum negatur minor, nam non semper est minorata materia, deinde hoc argumentum non oppugnat directe nostrum theorema, nam oppugnat potius causam esse minorem in statu, non autem morbum, verum quoniam nos etiam tenemus causam esse maiorem, veluti & morbum, & symptomata, respondemus alio facto, posse minorari materiam accessionis particularis, non autem totius status morbi, cum enim adsit focus putredinis, & pars aliqua sit intemperata, vel male affecta iterum accedit febris (si de febri loqui velimus) deinde dato, & non concesso, fieri minorem materiam, non sequitur morbum esse minorem, nam si nos loquimur de febri putrida magis, ac magis excandescit corpus ob continuam febrilis caloris actionem, & sic maior fit morbus scilicet intemperies calida, & sicca, quare quouis modo dicatur semper tollitur argumentum.

Ad tertium respondetur subtiliter, quod veluti morbus vniuersaliter habet quatuor tempora, ita quod vis tempus habet sua tempora, seu gradus, non enim quod vis tempus in indiuisibili consistit, tunc ad rem, in statu dicebat argumentum est maior virtus, distinguo, vel de proprio statu, vel de medio tempore, vel de declinatione status, in principio status negatur minor, nam non est maior, & validior virtus, in medio tempore omnia sunt paria, & æqualia, à quibus non est actio, nam ab æqualibus non prouenit actio, si intelligis finem status, tunc concedo argumentum, quia ad declinationem vniuersalem morbi accedamus, in qua minor est morbus, in principio status semper est maior morbus, & coctiones fieri incipiunt in fine status, & ita philosophari oportebit, quam vis hæc omnia sunt ferè imperceptibilia, potius tamen mente contemplabilia.

Ad quartum nego minorem, nam qui motus est violentus in morbis? Valet certè argumentum in motibus simpliciter violentis, cuius modi non sunt morbi.

Ad quintum ex Gal. libro 1. de diff. feb. cap. 6. triplex est putredo, quædam natura superata, quędam superante natura, & quædam medio modo, coctio etiam duplex est, quædam est, quæ habet pro fine suo nutritionem, & alitionem, vt hæc nostra quotidiana coctio, quam peragit ventriculus, alia humorum putridorum, quando Galen. inquit coctio facit cessare putredinem, & c. intelligit de coctione semiputridorum humorum, & quando dicit facit cessare putredinem intelligitur, scilicet ne abeat in extremum gradum putredinis.

Verum in statu febrium putridarum, & si incipiunt fieri tales coctiones, tamen quia fiunt illæ efferuescentiæ, de quibus supradictum, ideo non sequitur morbum in statu esse minorem, Quinimo maiorem, & sic videmus febres maiores, sitim magis intensam, & alios labores. Sed de his satis.

An habeant morbi causam finalem.

Theorema VI.



PRæsentis theorematis contemplatio, & si curiosa magis, quàm vtilis, & necessaria sit, tamen, quia theoremata, tùm philosophica, tùm medica conscribimus, non absurdum fore putauimus, de hoc etiam non nulla verba facere. Sic autem quam breuissimè determinetur præsens theorema, morbos scilicet habere aliqualem causam finalem, quæ siue sit per se, siue per accidens non curo. Cum igitur morbi sint mali species quædam, malum autem, & si per se non pertineat ad vniuersi ordinem, tamen per accidens pertinet, rectè nanque dicebat Diu. Thomas 1. part. q. 48. art. 1. & 2. partes vniuersali habere ordinem ad inuicem secundum quod vna agit in alteram, & est finis alterius & exemplar, quæ omnia non possunt conuenire malo, nisi ratione boni, adiuncti, vnde malum, & si per se non pertineat ad perfectionem mundi, neque sub ordine vniuersi concludatur, tamen per accidens hoc contingit, vt rectè dixerit D. Augustinus in Enchiridio, quod ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud, quod malum dicitur bene ordinatum, & suo loco positum eminentius commendantur bona, quare cum morbi sint malorum species rectè concludere possumus aliqualem causa finalem habere, quæ naturalis sit.

Mitto nunc tanquam nostro proposito non facientes alias rationes, quæ supra ordinem naturalem sumi possunt. Neque valet responsio quorumdam asserentium, morbum dupliciter considerari, vel vt est accidens quoddam, vel vt est ens præter naturam. Si morbus primo modo consideretur, habere causam finalem inquiunt, si vero secundo modo non habere, nam morbus semper est ens præter naturam, & semper accidens erit, & de hoc nostrum theorema intelligitur, scilicet morbum, quatenus sit ens præter naturam habere causam finalem, quæ iã supra dicta est. Amplius ego peterem, quare morbus, vt est ens præter naturam non habet causam? An dices, quia non intenditur ab ipsa? Transeat, sed non est negandum, morbum, vt speciem mali habere causam per accidens propter vniuersi inæqualitatem, & licet morbus habeat esse imperfectius, hoc parum refert, nam per se non habebit causam hanc finalem. Dices ex Arist. libro 2. phys. 45. quidquid fit, vel fit à natura, vel fit ab intellectu, sed morbus à neutro istorum, ergo.

Obiectio. *Solutio.* Respondetur, morbos fieri à natura male operante, sic soluitur difficultas. Morbi ergo habent causam finalem, & confirmatur etiam, nam cum forma, finis, & efficiens coincidant ex libro 2. phys. 71.

phys.71. modo morborum dantur causæ efficientes, ergo & finales, de forma iam patet, nec non de materia, ergo, & de fine notum erit, eoque magis, nam vnus morbus curat alium, vt patet de conuulsione, vbi medicus debet incidere neruum, & in multis morbis fiunt cauteria ob aliquem finem, quæ quidem cauteria vlcera sunt voluntaria, & libro 2. Aphorys.26. febrem conuulsioni superuenire melius est &c. quare morbi habent causam finalem, & oblat vt quantum velit ceruicosus ille Argenterius.

In quo morbi acuti essentia consistat.

Theorema VII.



Quæ sit nostra sententia paucis in hoc theoremate, benignissime Lector, accipe. Essentia morbi acuti non consistit in eo, vt semper vitæ periculum minitetur, quare non necessario includet periculum, vnde hæc propositio est indefinita, scilicet morbus acutus habet periculum cum aliquis morbus acutus periculum includat, alius nequaquam. Hoc autem ita esse pluribus demonstrabitur. Sed dices prius, in quo ratio, & essentia acuti morbi consistit? Breuiter sit responsum, morbum scilicet acutum duo includere celeritatem, & magnitudinem iuxta Gal. doctrinam libro 2. Aphor.19. & libro 5. Aphor.3. & libro 2. de diebus decretor. cap.12. & videndus est Hipp. libro 1. de rat.vic.cap.8. nam morbus acutus breuis est cum magnitudine, vel morbus acutus celer est, & magnus. *Morbus acutus non semper periculum includit.*

Et rectè quidem à supra enarratis viris positum est hoc nomen acutum morbis quibusdam, qui quàm ocyssimè suum adipiscuntur vigorem, vnde acutum propriè, & præcise vocatur, quod breuissimo tempore durat, sic nos aliquos laudantes dicimus, iuditium, & ingenium habere acutum, quasi mira celeritate ad omnia eorum intellectus vagatur. Obijcies, magnitudo morbi non ne includit periculum? Dico nequaquam, nam lib.3. de cris.cap.4. multi sunt morbi magni absque periculo, & è contra pusillæ febres periculosæ sunt, vnde debiles, & paruæ febres ex Gal. loco citato quandoque malignæ sunt, magnæ vero, & incèdentes carent quandoque periculo, vt v. g. tertiana cum rigore, cum vomitibus, ansietate, dolore renum, & cum alijs magnis symptomatibus, scilicet sini ingenti, & ex vrenti caliditate, magnus in se est hic morbus, attamen non includit periculum cum sit tuta tertiana. Si ergo morbus acutus celeritatem cum magnitudine includit, ergo nulla esset differentia inter febres ephemeras, & acutas, nam morbus acutus v. g. tertiana includit celeritatem, & magnitudinem, ephemera item. Nisi esset, quod ephemera non habet magnitudinem, acuta vero sic. Morbum etiam acutum esse quandoque absque periculo, nunc pluribus probatur, Hip. & Gal. lib.3. pro gnostic.2. inquiunt, simplicissimæ autem febres, ac signis firmatæ securissimis quarto die, aut citius desinunt, malificentissimæ verò, ac signis affligentes difficillimis quarto die, aut citius interimunt, nunc circa hæc verba vnum consideratione dignum pondero, Hippoc. scilicet in prognost. loqui de morbis acutis præcipue, & si quandoque de hydrope, tussi, & aliquibus morbis, qui magis chronicam sapiunt naturam, hi tamen ab acutis degenerarunt, vnde acuti ex decidentia vocantur, hoc verissimo fundamento iacto, peto quando inquit Hip. libro 3. prognost. 2. febres mitissimæ & c. quas febres intelligit. Respondent nonnulli loqui Hip. ac intelligere diarias, sed hoc est contra fundamentum, & rei veritatem, ergo acutas intelligit, ergo acuti morbi sunt absque periculo. *Acutū vnde sit dictū* *Obiectio. Solutio.* *Dubitatio.* *Responsio.* *Responsio quorūdam confutatur*

Secundò ex Gal. lib.1. de cris.c.16. probatur posse aliquem acutè febricitare, & signum periculosum non habere, ergo datur morbus acutus vacans periculo.

Tertiò ex libro 1. de diebus decretor.cap.13. idem manifestissimè confirmatur. Non tamen est omnino negandum, morbum acutum quandoque periculum includere, vt phrenitis, apoplexia, lethargus, peripneumonia, pleuritis, angina, &c. nam in libro 3. de caus.puls. cap.17. dicebat Gal. morbos acutos esse cacoethes, & libro 3. de diff. respirat. cap.9. acuti morbi sunt in duplici differentia, alij sunt cum febre, alij sine febre, & adhuc alij sunt verè acuti, & alij non, veros acutos enumerat Hippocrat. libro primo, de rat.vic.8. Sed curiosè de tertiana dubitabis, an sit morbus acutus. Respondetur quod sit, sed non est acuta cum periculo, sed sine, ex libro primo, epidem. com.3. text.3. & Auic. libro quarto, fen.1. tractat.1. capitulo quarto, & Oribasio libro 1. Aphor.4. probatur etiam ratione non infirma ex libro 3. prognost.32. vbi enumerat Hippocrat. quosdam affectus, euenientes, & viris, & mulieribus, & mentionem facit de tertianis, & continuis, & c. Sed in prognost. tractat de acutis, ergo tertiana est acutus morbus. Amplius libro 1. epidem.com.1. text.23. loquens de Hemitritæo, quæ est febris composita ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, & Hippocrat. appellat hanc febrem continuam acutam, horrificam, sed hæc acuties, vel est à quotidiana, & ab hac non, nam causa quotidianæ est phlegmatica, ergo est à tertiana, ergo sum voti compos. Amplius omnis morbus acutus est biliosus, sed biliosum acutum generat libro 7. Aphor.32. ergo, & libro 1. ad Glaucon.cap.8. tertiana est morbus acutissimus, & securissimus, sic traducit Stephanus, seu Leonicenus traducit, tertiana est breuissima, & mitissima, sed malè, nam in græco est τριταῖος ὀξύτατος, ideſt acutissimus, nā acuties consistit in celeritate, & magnitudine deinde tertiana non transit septimum circuitum, vel quod longissimum est, vt in cloacis prænotionibus, octauum, aut nonum circuitum. At statim insurgit aliquis probans tertianam esse acutam cum periculo, nam lib.1. de rat.vic.cap.8. morbus acutus est cum febre continua, & lib.2. Aphor.19. & 13. & lib.3. prognost.10. acuti habent magnitudinem, & febrem continuam, sed tertiana non habet febrem continuam, ergo non est acuta. *Quādoque tamen morbus acutus periculum includit.* *Dubitatio de tertiana.*

T Respon-

Respondetur quod non semper, sed quandoque, & sic dicebat libro 7. Aphorys. 1. morbi acuti magna ex parte habent febres continuas, ergo non semper, nam in Codice græco Hipp. vtitur hoc nomine, seu pronomine τῷ πῖπαν, quod à Leoniceno quandoque vertitur magna ex parte, & quandoque semper, sic in libro 7. Aphor. 1. Leonicenus vertit magna ex parte, & libro 2. Aphor. 19. vertit semper, nam quandoque acuti habent inflammationes internas, & illi sunt periculosi, quandoque è contra. Tandem dubitabis aduersus dicta ex Gal. libro 2. de diebus decret. cap. 12. vbi summis laudibus Archigenem laudat, qui in morbo acuto celeritatem cum periculo coniungebat.

Dubitatio.

Solutio.

Respondeo Galen. & Archig. dictum fuisse indefinitum, vt nostrum militat theorema, neque ex hac authoritate colligere debemus, vt Antonius quidam Aluarez. Hispanus epist. & consult. 9. quia laudatur à Gal. Archigenes, ergo Gal. fuit eiusdem sententiæ non valet, nam vt diximus indefinita sunt Archigenis, & Gal. placida.

An contrarijs contraria curentur.

Theorema VIII.



HVius theorematis veritatem inuestigaturi, non à priori, & à causa exordiemur, est enim ab omnibus hoc commune axioma receptum, quod omnis præter naturam affectus ad naturalem statum, & habitum per contraria reducitur, sic videmus, si labore fuerit corpus defatigatum, quies voluptatem afferet, si calefactum, refrigeratio, è contra, si inanitum repletio, si plenum est, euacuatio conuenit. Cum igitur hoc theorema sit in medicina principium, & axioma, quæ quidem in arte non probantur, sed supponuntur iuxta illud libro secundo metaphys. contex. primo, nam ista sunt veluti ianuæ naturæ, in quibus non licet aberrare, vnde frustatoria esset nostra contemplatio si à priori probare hanc theorematis veritatem niteremur, probare tamen illā possumus à posteriori, & à sensu, & ab effectu, vt fecisse videtur Galen. libro 11. method. meden. cap. 12. & libro 3. art. med. 35. & libro 4. metho. med. cap. 2. calido enim affectui conuenit alteratio frigida, vt autem res facilius intelligatur, dicamus hoc theorema esse primo intelligendum, non de quibuscunque contrarijs, sed de veris, & oppositis.

Notanda sunt duo pro decisione huius theorematis.

Sciendum est secundò duplex esse contrarium internum, & externum, internum triplex, primum est ipsamet natura iuxta illud libri 3. art. med. 29. & libri 6. epid. com. 5. tex. 1. natura est medicatrix morborum, medicus autem minister.

Secundum contrarium est instrumentale, vt calor, & spiritus.

Tertium sunt partes nostri corporis, quibus vtitur calor, & spiritus, Contrariū externum sunt medicamenta, medicus, cælorum influxus, & c. Vt his stantibus facilis nobis sit aditus soluendi cunctas obiectiones, quæ fieri possunt contra hoc theorema, nam multo maiores sunt difficultates, quàm probationes præsentis theorematis. Vnde primo arguitur aduersus hoc theorema ex Arist. libro 4. topic. cap. 3. vbi habet, febri, & opthalmiæ nihil est contrarium, ergo falsa est propositio, si ergo febri, & opthalmiæ nil est contrarium, ergo nunquam curarentur, nam omnis curatio est per contrarium.

Multa contra hoc theorema obijciuntur.

Secundò febris est intemperies calida, & sicca, sed hæc curatur per calida, & sicca, ergo morbus curatur similibus, Probo minorem, nam sit tertiana, vel febris ardens, hæ curantur Rhabarbaro, Scamoneo, &c. quæ sunt calida, & sicca. Dices hæc remedia conueniunt causæ, & non febri, vt morbo. Contra, nam etiam hoc theorema verificatur in causa, & in symptomate, & morbo.

Tertiò hoc axioma impugnatur à Gal. lib. 6. epid. com. 2. text. 9. nam dolor dolore curatur, & ibi Gal. exemplificat de dentium euulsione, quæ fit ferreis instrumentis, quæ maximum pariunt dolorem, & lib. 2. Aphor. 46. dolor vehemens alterum obscurat, ergo dolor dolore curatur, & vomitus vomitu, & fluxus fluxu & lib. 2. Aphor. 26. conuulsioni si superuenerit febris bonum, curat enim illam, & idem etiam dixit lib. 4. Aphor. 57. & lib. 5. Aphor. 21.

Quartò tetanus curatur per aquæ super infusionem supra caput ex lib. 5. Aphor. 25. tetanus autem est à causa frigida, & remedio frigido curatur, & Auic. lib. 1. fen. 4. cap. 1. dicit non omnes morbos curari contrarijs, nam aliquis morbus curatur diæta, & aliquando similibus, vt supra.

Quintò illi morbi curantur per contraria, qui possunt habere contraria, sed multi morbi carent contrarijs, ergo, probo minorem, nam morbus in via, & numero carent contrarijs, ergo.

Sextò Apoplexia semper desinit in paralysim ex lib. 4. de loc. aff. c. 2. igitur à simili videtur curari, nam paralysis curat apoplexiam, hi autem quantum ad causam sunt similes.

Septimò vnum contrarium præsente alio contrario roboratur ex lib. 2. metheor. ergo non potest fieri curatio per contraria.

Octauò curatio fit quandoque à qualitatibus occultis, & agentibus à totius substantiæ proprietate, vt sunt Bezoartica, igitur non per contraria. Nonò, & vltimò, hæc propositio non est in omnibus vera, nam Hippocrat. libro 5. Aphor. 19. partes refrigeratæ sunt semper calefaciendæ, nisi sanguis fluit, vel fluxurus est. Hæc sunt obiecta, ad quæ sit responsum.

Obiectionū solutio.

Ad primum rectè quidem respondet Turisanus libro 3. art. med. cap. 35. quod scilicet Arist. intendebat locum topicum docere, vnde dicebat, quod si est aliquod contrarium generi quod sit speciei, sicut vitio est cōtraria virtus, speciei vitij erit contraria species virtutis, vt auaritię largitas. Verū Arist. affert instantiā, innuens hanc regulā topicam non esse vniuersaliter veram, nā & si ęgritudini contrariatur sanitas, tamē febri, & opthalmiæ, quæ sunt species ægritudinis, nihil est contrarium, ꝙ tamen

inquit

inquit doctissimus Monachus intelligendum est, quod nihil est eis contrarium de speciebus sanitatis, nam secundum prædictam considerationem oporteret quod cuilibet speciei ægritudinis responderet aliqua species sanitatis sibi contraria, quod non est, sed sanitas vna existens in medio scilicet extremorum non variata secundum species, opponitur omni speciei morborum, sicut medium ad extrema, hoc tamen non facit, neque prohibet quin contrarietur eis scilicet febri, & opthalmiæ causa curatiua per contrarium.

Ad secundum dicimus de scamoneo, & Rhabarbaro hæc exhiberi, ac deberi causæ, non morbis. Sed contra nam adhuc theorema verificatur in causis, propterea dicerem in tertiana adesse plenitudinem humoris, plenitudinis autem remedium est euacuatio, quæ plenitudini contrariatur.

Ad tertium, &.

Ad quartum dicimus dolorem dolore, vomitum vomitu, fluxum fluxu curari per accidens, ad illud de tetano idem dicimus, scilicet curationem per accidens procedere, nam ratione antiperistasis aqua est in causa vt calor fortius, & vegetius se se concentret, causamque frigidam morbosam concoquat, quomodo autem liceat morbo morbum curare rectè dispntat Vallesius libro 8. controuers. controuers. 10.

Ad quintum eadem est responsio de medicamentis, nam in illis morbis, quos sanat diæta, est plenitudo, & repletio, inanitio est autem species euacuationis, cum ex libro 4. de san. tuen. cap. 4. diæta minuat sanguinem per accidens, morbi enim, qui repletione fiunt inanitionecurantur dicebat Hip. lib. 2. Aphor. Ad illud de paralysi falsa est curatio, neque omnino tuta.

Ad septimum, &.

Ad octauum valet argumentum de vere contrarijs, sic procedit maior, modo, & si bezoartica medicamenta agant qualitatibus occultis, tamen agunt à propria eorum forma, quam dicimus esse morbo aduersam, contrariamque.

Ad vltimum dicimus partes refrigeratas primo, & per se indicare calefacientia, nisi adsit repugnantia, nulla enim ferè indicatio est, quę non habeat sua repugnantia.

An morbus curandus sit contrarijs in gradu æqualibus.

Theorema IX.



QVoniam non tantum circa vniuersalia versari debemus, sed etiam particularia quandoque attingere oportet, ideo satis esse necessarium putauimus, si hoc theorema discutiemus, pro quo determinando sciendum primo est, curationem esse causæ ablationem, vera tamen curatio illa censenda est, quæ curat cum languentium commodo, dicebat nanque sapientissimus Medicorum Coryphæus Hipp. lib. 1. epid. com. 2. tom. 50. circa morbos exerceto duo, vt prosis, aut ne quid noceas & Gal. lib. 14. meth. 13. dicebat tria esse medico facienda, citò curare, iucundè curare, & tuto, ergo ex his dictis sequitur manifeste curationem non esse faciendam per maiora contraria, ne affectus in alium degeneret affectum, & ne, vt inquit Celsus, quem dormire cupiebas, amplius à somno excitare non valeas, etsi maiora contraria remouerent citò affectum, tamen non tutò, & iucundè curatio procederet, nam poterit esse tantus contrariorum conatus, ac excessus, vt alium inducere valeant post motum affectum, itaque satis esset periculosa curatio, quæ illas tres conditiones habere debet, citò, iucundè, & sine dolore, & tuto. Idem etiam sapientissimè confirmauit Gal. libro 3. de temperam. ad finem, vbi curationem per æqualia contraria esse faciendam statuit. Quinimo adde, quod si per maiora contraria curatio procederet, tunc non vacaret repentinis mutationibus, quas multum exhorret ipsa natura, neque potest fieri per minora, nam dum moraris in curando, tunc morbus potest maior euadere, viresque debilitaret, & Galen. præceptum non seruaretur, quod cito fieri debeat ipsa curatio. Sed Galen. conditiones sunt albo sale refertæ iuxta illud σπεῦδε βραδέως, & maturate fugam &c. Ergo, vt euitentur hæc omnia absurda, atque hæc grandia pericula exhibere debemus contraria æqualia, & sic tuta erit curatio. Insupet ad maiorem præsentis theorematis intelligentiam, sciendum est contraria æqualia esse in duplici differentia, alia enim sunt contraria æqualia quantitate, seu mole, alia contraria æqualia repetitione, seu numero, qua stante distinctione, dicendum non semper esse necessarium, vt contraria sint æqualia mole, seu quantitate, sed sufficit, vt sint contraria æqualia numero, & repetitione, vt suauis, & iucunda sit ipsa curatio. *Aurea Hippoc. sententia.*

Tertio sciendum, nostrum hoc theorema, esse intelligendum de ablatione affectus præter naturam, nam tunc est indicatio contrariorum æqualium, si vero ab alijs sumatur indicatio, vt vsu artis sæpissime euenisse conspicimus, tunc alio pacto theorema explicatur, nam si v.g. sit affectus calidus, vt duo, hic requiret remedia frigida, vt duo, verum si vires tantam euacuationem, vel alterationem non requirant, tunc non contrarijs æqualibus, sed cum minoribus est procedendum, si enim vires non sunt fortes, non debemus euacuare quantum requirit affectus, nam medicamentum non oportet indicari, sed tolerari ex Gal. lib. 14. method. med. & libro de constit. art. med. tamen sciendum est per morbum nos intelligere, & morbum, & causam morbificam, & ipsummet symptoma.

Quid alij senserint.

QVibusdam visum est, morbum esse curandum per contraria minora authoritate Hip. libro 6. epid.com.2.tex.26. vbi habet contraria sensim esse adhibenda, & interquiescere, ergo per minora, & non per æqualia.

Secundò ex Gal. libro 2. de compos. med. secundum loca capitulo 14. remedia esse debent mitiora, vnde à leuibus esse inchoandum illic docuit, ergo morbus non curatur contrarijs æqualibus in gradu.

Tertiò tritum est theorema in philosophia, quod ab æqualibus non prouenit actio, ergo non per æqualia, & ob id fortassis magnæ authoritatis vir ille Paulus Ægineta libro 4. in principio dicebat ex mente Aetij Cappadocis contraria debere esse maiora, scilicet potentiora, vt expugnent affectum.

Quartò sumatur frigidum, vt duo, hoc frigidum vt duo plus potest in moderatè calidum, quàm in calidum vt duo, nam in calido vt duo inuenit resistentiam, sed in moderatè calido non potest inducere nisi duos gradus frigiditatis, ergo in calido, vt duo inducit minus frigiditatis, ratione resistentiæ, ergo æqualia contraria non curant affectum, debet ergo omnis curatio procedere per contraria maiora, vt Mercenarius inquit. Sed soluo dubitationes.

Soluuntur supradicta rationes. Ad primam bene dixit Hip. remedia debere esse minora, sumpta indicatione à consuetudine, & à viribus, vt nos supradiximus, sic ad Galen. respondetur, quod erat secundum argumentum.

Ad tertium simul, & Pauli authoritatem respondeatur tripliciter, primo remedia debere, & posse esse maiora ex Paulo, quando natura est robustissima, & tunc dato, quod remedia apponantur æqualia ratione naturæ dominantis fient maiora, vel secundo dicerem ratione morbi remedia debere esse fortiora, sed quoniam non tantum morbus, sed etiam vires indicant, ideo sumpta indicatione à viribus non multum robustis remedia non debent esse fortiora, vel tertio respondetur ad maximam illam, quod falsa est ista maxima simpliciter prolata, nam si minus agit in maius, ergo æquale in æquale, duo enim gradus frigiditatis agunt in quinque caliditatis, ergo quinque gradus frigiditatis agunt etiam in quinque caliditatis. Deinde addo quod inter æqualia non datur actio illa, qua vno contrariorum superstite, alterum quidem intereat, sed tamen ea conceditur actio inter contraria, cuius virtute amborum excessus pereat, & ad mediocritatem ipsa veniant, quæ maximè conducit pro morbis auferendis, de qua re videndus Augenius secundo tomo epist.

Ad vltimum respondetur, quod frigidum vt duo in moderatè calidum inducit duos frigiditatis gradus, & relinquit illos duos gradus frigiditatis, in calido vt duo remouet duos gradus caliditatis, & non relinquit duos gradus frigiditatis, sed reducit ad mediocritatem, seu sanitatem, & ad pristinum statum corpus, quare remedia debent esse æqualia pro curatione, nam melius frigidum vt duo remouet duos gradus caloris à corpore calido vt duo, quàm inducit duos gradus frigiditatis, & illos derelinquit, & ideo per similia, seu æqualia contraria facienda est curatio.

A quo sumendum morbi principium pro curatiuis indicationibus in puerperis,

Theorema X.

Morbi principiũ quotuplex.



BReuiter sit præsenti difficultati responsum, si prius quotuplex sit morbi principium exposuero. Morbi itaque principium ex libro primo, prognostic. 9. & libro primo, de cris. capitulo quarto, & libro 1. Aphor. 12. vel intelligitur pro primo insultu, vel pro numero duorum, vel trium dierum, de quo principio morbi locutus est Hippocrat. libro secundo, Aphor. 29. cum morbi inchoant &c. vel sumitur principium morbi pro tempore cruditatis, & coctionis & tunc est principium morbi, quando vrinæ, & alia excrementa concoqui incipiunt, sed de prima, vel secunda acceptione verificatur præsens theorema quod sic decidatur.

Deciditur theorema præsens. Si partus est naturalis, qui debito tempore fit, cum optima purgatione, & cum secundarum excretione, tunc dubio procul non à partu, sed à die febris, vel alterius morbi, quando scilicet manifestè sunt læsæ operationes debemus enumerare principium morbi, nam si tu modo enumeras à partu, tunc malefacis, nam partus non est morbus, neque fuit occasio morbi, cum potius partus sit res intenta à natura, quare ab eo quod manifeste sunt læsæ operationes, tu debes sumere dierum criticorum initium.

Si vero partus non est naturalis, qui vel non fit in tempore debito, vel in ipso non eijciuntur secundinæ, supprimuntur omnia, ingentissimi fiunt dolores, cæteraque non rectè habent, tunc à die partus sumendum est principium morbi, nam tunc partus sapit naturam morbosam, & erit affectus quidam præter naturam, qui cum satis multas operationes lædat, non est, quod non dicatur morbosus, & tunc ab hoc partu sumendum tibi erit dierum criticorum initium.

Responsio tacitæ obiectionis. Et licet febris euidenter, & manifestè non appareat statim in hoc partu innaturali, hoc parum refert, nam veluti lumen maius occupat minus, & motus maior minorem, & dolor maior minorem ex Hippocrat. libro secundo, Aphorismor. ita cum in partu hoc sit maxima violen-

violentia, anxietas, & maximi dolores, hæc omnia febrem non adeo ostendunt, sedatis verò his omnibus, si bilis prædominatur, quæ in corpore putrescat, statim ingrauescit febris in tertia die, vel in quarta, si niger humor prædominabitur.

Hæc quidem supradicta responsio licet communis sit, tamen optima est, & fuit Auicennistarum, hanc tenet Conciliator differ. 106. Neque mihi placet nonnullorum responsio, vt Pamphili Montij Bononiensis asserentis, si febris superuenerit ab hinc duobus, vel tribus diebus à partu, tunc à partu sumendum est initium, si vero longo post tempore, tunc à febre, vt fecit Hippocrat. in vxore Phillini, qui enumerauit à febre, quæ venit longo post tempore à partu, quæ quidem responsio mihi non placet, nam patitur manifestas instantias, cum in historia vxoris Dromedeæ libro primo epidem. comment. 2. text. 28. Hippocrat. enumerat à febre principium morbi, & tamen febris superuenit à partu secunda die, inquit enim Dromedeæ coniugem post filiam enixam, alijsque omnibus factis secundum rationem in secunda die rigor corripuit, febris acuta, cepit autem dolere, &c. deinde subiungit, secunda die, à qua rigui, &c. quare manifestè enumerauit principium morbi à die febris. *Nonnullorum responsio impugnatur.*

Hæc autem mulier non ægrotauit ob partum, nam non fuit principalis causa, vel occasio morbi, sed aptitudo corporis, & plethora, & cacochymia. Quare hæc responsio supra tacta non est recipienda, sed supradicta. Neque Hippocrat. libro 3. epidem. comment. 3. text. 73. de muliere in Taso, quæ tertia à partu die febre correpta est nobis contradicit, nam Hippocrat. enumerat principium morbi à partu, & non à febri, vt perperam nonnulli existimarunt, nam tàm Mercurialis, quàm Vallesius in expositione huius loci inquiunt Hippocrat. enumerasse à die partus, nam hic partus non fuit naturalis cum non bene fuerit purgata, vbi Vallesius inquit Hippocrat. diei confutationem ducere non à die febris, sed partus, iuxta id, quod in prognosticis docuerat, dicit enim tertia die febrem horridam mulierem corripuisse, quæ tamen dies tertia est à partu, & non immerito, nam partus fuit non naturalis, & morbosus, ideo in illo loco Hippocrat. computationem sumpsit à partu, idem etiam Hippocrat. libro tertio prognost. decimo, à partu enumerat dies, sæpissimè enim contingit partum innaturalem fore causam febrium, & ob id Hippocrat. in prognostic. hoc conscripsit, quicquid enim in epidem. obseruarat, & in his longis peragrationibus, deinde in Aphorys. & prognost. & prorrhetic. regulas generales compilauit, ita dicente Galen. libro primo, de diebus decretor. capitulo tertio, si quandoque tamen Hippocrat. sumit principium morbi non à partu, mirum quidem non est, vt fuit in supradicto casu Dromedeæ coniugis, nam vt ibi adnotatum est à peritissimo Mercuriali fuit aptitudo corporis, & cacochymia, sed quia artifex considerat ea, quæ vt plurimum accidunt, ideo non est mirum, si in prognost. à partu sumpsit morbi principium.

Quid alij senserint.

Contendunt nonnulli nunquam per se, & primario à partu principium morbi esse enumerandum, sed semper à febre, & primario, & per se, nam febris morbus est, non autem partus, quare medicus rationem habere debet partus in tantum, quantum febris coniuncta est cum ipso partu, nam alio pacto curatur febris à partu, quàm febris sine partu, & confirmare nituntur eorum sententiam ex textu græco, nam inquit Galen. in com. loco citato prognost. συναριθμησιν esse faciendam à die partus, idest connumerationem, quare primo à febre, deinde à partu, neque duo sunt principia, nam vnum est per se, aliud per accidens, & ob id dicunt Hippocr. in prognost. sumpsisse initium morbi ab eo, quod est per accidens, & secundario, scilicet à partu, in epid. vero ab eo, quod est per se, scilicet à febre.

Verum pace eorum sit dictum, non est cur omni ex parte recipiatur eorum sententia, peccat enim primo, dicens partum quandoque non esse morbum, nam vt supra probatum est, morbum esse quandoque, nemo est sanæ mentis homo, qui hoc posset negare. Quinimo nunc addo, omnes auctores, de morbis particularibus tractantes, reponunt partum inter morbum, eique curationem exhibent, sit curatio pro causæ abscissione, parum refert. Deinde addas, & fortius, si vera sint Galen. dicta libro primo, de diebus decretor. capitul. 3. quicquid in prognost. & Aphor. dixit Hippoc. methodicè scripsit, cum prius in epid. illa obseruauerit, tunc sic arguo, ergo Hippoc. debebat in prognost. conscribere ea, à quibus primo, & per se sumi possunt indicationes curatiuæ morborum, quare debebat libro 3. prognost. 10. dicere, à febri esse sumendum morbi initium in partu, & non à partu, nam febeis per illos primario, & per se indicat, & ab hac sumi debet primario inditium criticum, sed Hippocrat. oppositum fecit, scilicet à partu sumpsit initium, qui quidem partus secundum illos secundario indicat, quare non methodicè conscripsit. *Cõfutatur præsens sententia.*

An ob aliquam causam liceat sterilitatem inducere.

Theorema XI.



ET si præsens dubitatio, seu quæstio potius ad summistas, & conscientiæ casistas attineat, tamen quoniam nos etiam christianam medicinam profitemur, & quoniam hactenus quod viderim à nomine summistarum hic casus est explicatus, atque non parum medicis medicinam facientibus conducit, ideo nostris humeris hanc prouinciam suscipiendã curauimus. Et pro hac dissoluenda quæstione sciendum in primis est, non reuocari in dubium, an simpliciter, & ex mera agẽtium voluntate, vel ad euitandam prolem, eiusque multiplicationem, vel vt voluptatibus magis incumbant, vel ob aliquod illicitum, aliamve iniquitatem liceat procurare sterilitatem, nam hoc clarum est quod non licet, cum studiosè, & dolosè fiat, quodcunque enim internum desiderium, vel deliberata voluntas sterilitatem procurandi est peccatum mortale, cum peccata cordis, oris, & operis sint eiusdem speciei, secundum D. Thomam 1. 2. q. 72. art. 7. nullus enim sanæ mentis de hoc dubitare potest, & hæc est conclusio satis manifesta apud cunctos patres, & Theologos lib. 4. sentent. dist. 31. & 32. Dei enim opera non sunt destruenda, quare non licet priuare aliquem aliquo bono notabiliter pertinente ad indiuidui integritatem, vel in ordine ad se ipsum, vel in ordine ad speciem, & ob id Sixtus V. Pontifex Max. sub censura prohibuit contra abortientes, & sterilitatis venena, & pocula exhibentes, quamuis Gregorius XIIII. illam moderauit, & abstulit censuram, illamque bullam reddiderit ad terminos iuris communis, & canonistarum, prohibitio tamen manet, hoc est peccatum mortale, licet sit sublata censura, & illa bulla quantum ad censuram, est tanquam si non esset edita, concedens Gregorius XIIII. quod quilibet Sacerdos tàm sæcularis, quam regularis ab ordinario approbatus, & in dictis casibus deputatus habeat in foro conscientiæ duntaxat facultatem absoluendi à peccato. Igitur non licet ex supradictis sterilitatem inducere, hoc tamen est directe intelligendum.

Nota diligenter hos duos casus. Verum vertitur in dubium, an stante aliqua causa rationabili, liceat tunc temporis sterilitatem procurare. Ponuntur tamen duo singulares, & rari, & notabiles casus, Primus est, Antonia viro nupta, & vt plurimum, & per plures partus, seu abortus fætus mortuos peperit abortiendo circa sextum, vel octauum mensem, & fætum mortuum, ac denigratũ pariens, & quandoque sanum exeuntem, sed mortuum, quandoque frustratim, idque prouenit ei ob vteri malam intemperiem cum fluxu putridorum humorum, vel à lue gallica contractam (solent enim non nullæ pauperculæ mulieres in huiusmodi infortunia incidere) & factis, & adhibitis primo canonicis remedijs pro extirpando affectu præter naturam, aliter morbo obuiari non potest, atque è voto res non succedens, nam adhuc abortiet cum maximo vitæ periculo.

Secundus casus. Secundus casus est, si puella tenella exigui corporis decimum, vel vndecimum annum agẽs, huic tamen fluant mestruæ purgationes, adolescenti vegeto, & grandiori nupta sit, hæc dubio procul, si grauida fiet in partu mortis subibit periculum iuxta communem medicorum sententiam. Vertitur ergo in dubium, an in his duobus casibus, & si qui alij essent, vbi adesset iusta, & rationabilis causa, an inquam liceat medico Christiano sterilitatem inducere, in primo casu perpetuam, in secundo ad tempus, dantur enim medicamenta afferentia omnino, & perpetuò sterilitatem, & ad tempus. Quæ vero sint hæc non scribuntur ob Christianam pietatem.

Deciditur Theorema. Vt tamen huius theorematis magis veritas elucescat, sciendum est, sterilitatem nil aliud dicere, nisi priuationem quandam naturalem potentiæ naturalis fæminæ concipiendi fætum in vtero, quare ex se nihil habet moralis priuationis annexum, sed solum est priuatio in genere entis, hoc clare patet, ridiculum enim est dicere fæminam sterilem peccare mortaliter quod sequeretur, si sterilitas diceret aliquod malum morale, habebat enim aliquid mali pęnę in lege veteri, quatenus steriles eijciebantur à templo, quare cum sterilitas ex se nihil habeat mali culpæ, ex adiunctis per accidens, & ex fine potest causare malum culpæ, vt dictum supra, si absque causa rationabili fiat, nulla enim extat dans ei aliquam moralem bonitatem. Ex fine igitur solum per se considerandum est, vtrum procurare sterilitatem habeat aliquid malitiæ moralis annexum, & pluribus quidẽ probatur, quod liceat ob rationabilem causam, & præsertim in his supradictis duobus casibus procurare sterilitatem.

Primò, licet obtruncare manum serpentis veneno infectam, vel cancrenatam partem, vt seruetur totum indiuiduum, ne moriatur corporaliter, bonum enim totius præponderat bono partis, tunc sic arguitur, peius quid est (moraliter loquendo) quodcunque malum culpæ, & pænæ adiunctum, quam priuatio purè naturalis, vt moraliter loquendo, melius est hominem non esse, quàm esse, & permanere in actuali odio Dei, nam non esse opponitur bono naturali, odium vero Dei opponitur summo bono super naturali, quod quidem est suaptè natura diligibile.

Responsio. Verum responderet aliquis, non esse eandem rationem de odio Dei, & non esse, nam non esse opponitur bono priuatiue, odium vero opponitur bono contrariè, quia opponitur charitati, cuius obiectum est summum bonum, vt sic. *Impugnatio.* Sed hoc nihil est, nam odium intrinsice etiam dicit priuationem diuinæ dilectionis, odisse enim non solum est non diligere contrariè, sed non diligere priuatiuè, tunc potest clarius argui, priuatio altioris ordinis peius quid est, quam priuatio ordinis inferio-

ris, sed odium Dei dicit priuationem altioris ordinis, vt patet & hoc verificatur de quolibet peccato mortali, quia quolibet peccatum mortale opponitur charitati, & non esse dicit priuationem inferioris ordinis nempè naturæ, ergo &c.

Sed vt supposuimus in primo casu fætus moritur spiritualiter contrahendo peccatum originale, quod est malum culpæ, & pęnæ sempiternæ, ergo melius est procurare illius non esse. Vt ob id rectè dixerit D. Dionysius Carthusianus super S. Matthæi Euangelium in passione Domini esse appetibilius absolutè homini non esse, quàm esse damnatam propter æternam, pænalissimamque miseriam, & subiungens inquit, & licet esse damnatum non sit peius, quàm non esse ratione pænę, quæ non aufert totum esse creatum, est tamen peius ratione culpæ, atque æternæ auersionis annexæ, & est omnibus modis inappetibilius esse damnatum, quàm non esse ex parte damnati, licet non ex parte rei. Sed contra hæc, & supradicta ingeniosissime arguitur, quod etiam moraliter loquendo peius est non esse simpliciter, quàm peccare, & probo sic, id quod tollit plura bona peius quid est eo, quod pauciora tollit, sicut mors, & cæcitas, mors peius quid est, quia hæc tollit omne bonum naturæ hominis, vt homo est, at cæcitas non tollit, nisi bonum visus, modo non esse simpliciter tollit bonum naturæ, & bonum gratiæ, at peccatum tollit bonum gratiæ tantum, ergo peius quid est non esse moraliter loquendo, quam peccare. *Obiectio.*

Respondeo dupliciter, primo distinguendo maiorem, id quod tollit directe, & per se plura bona, peius quid est eo, quod tollit pauciora, modo non esse simpliciter non tollit directe, & per se bonum gratiæ, sed tantum per accidens, quia per se tollit esse, seu bonum naturæ, quod est fundamentum gratiæ, at peccatum per se, & directe tollit esse, & bonum gratiæ. *Solutio prima.*

Secundo respondeo negando minorem, quod non esse simpliciter tollat plura bona, quàm peccare, nam peccatum, quantum est ex se tollit bonum diuinæ gratiæ, & Deum, qui quidem est summum bonum vniuersi, nam peccatum intrinsecè est auersio à summo bono, & quantũ est ex se tollit ipsum summum bonum, & fit conuersio ad bonum commutabile. Secundo principaliter eandem conclusionem confirmo, minus est procurare sterilitatem, quàm procurare abortum ante rationalis animæ introductionem propter matris salutem ad interitum iam vergentis. Sed quamplures Doctores inquiunt licere pro salute matris procurare abortum ante fætus animationem, ergo potiori ratione licebit procurare sterilitatem, sic Ioannes de Neapoli q. 10. Syluest. Couarru. Nauar. cap. 25. num. 62. dicat tamen quicquid sibi velit Tiberius quidam Codruncus in suis conscientię casibus, casu 21. referente Pio Ænea Caprilio tractat. de feb. putrid. inquit enim hic, quod male inquiunt isti Doctores, nam inducunt etiam ægrotam procurando abortum ad vitæ periculum, cum omnis aborrus ex consensu medicorum sit cum euidentissimo mortis periculo. Sed contra nã maius est periculum, in quo mater versatur, quam illud, quod sequitur ex abortu. Deinde sensata experientia in dies videmus ferè sexcentas mulieres, quæ ex leuissimis, vel maximis causis abortiunt, nullo eis succedente damno. Non ergo omnis abortus est cum euidentissimo mortis periculo, cum ex centum mulieribus abortientibus nonaginta euadant, vt nos in dies medicinam facientes obseruamus. Si dixeris, quod in morbis acutis abortum prouocare sit cum mortis euidentissimo periculo, tunc contra, nam potest purgari totum corpus per vterum ex medicorum doctrina, & sic febrem cessare, quare tantus vir nil dicit, volens contradicere tantis auctoribus, cum derelinquere magis certum propter minus incertum sit maxima ingenij caligo. *Secunda.* *Responsio Pij Aeneæ impugnatur.*

Tertiò, & principaliter, à simili, & ex consequenti arguitur, licet mulieri vxoratæ non reddere debitum eius coniugi, quando huiusmodi redditio vergeret in detrimentum propriæ incolumitatis vel fætus, vel aborsus, quia astringitur fortiori vinculo seruare, & custodire propriam corporis salutem, nec non etiam prolem, quàm reddere viro suo debitum ex libro 4. senten. magistri sentent. D. Thomæ S. Bonauenturæ, Scoti &c. & est communis, ergo si ita est de concubitu matrimoniali qui est causa proxima prolis generandæ, & possit esse causa fætus necandi, & abortum faciendi, pari ratione vtique esse debet de sterilitate auferenda si esset causa proxima propriæ mortis infligendæ, quia omni sano, maturoque iudicio videtur, fortiori vinculo astringit vxoratam mulierem, conseruare se, quàm procreare, atque generare prolem ex se, cum rationabile sit commutare id quod est minus bonum ad id, quod est maius bonum.

Quartò & vltimò, fætus ille, cuius supposuimus causari non esse, iam non est in potentia proxima, sed solum in potentia passiua remota, ergo pro tunc nulla illi fit iniuria, quia non enti nulla fit iniuria, & ille fætus, vt supposuimus, neque viuit naturaliter, neque moraliter, solum igitur potentia generatiua tollitur, stante igitur causa aliqua rationabili, vt in supradictis casibus licet procurare sterilitatem, meliori iuditio, sanctæque Ecclesiæ correctioni me, & in his, & in omnibus alijs summittente.

Quid alij senserint.

SEd aduersus prædictam sententiam multa sunt pugnantia, primo videtur quod non, qui priuat se sciens, & prudens potentia visiua, vel dans causam huiusmodi priuationis peccat mortaliter, vt de se patet, ergo pari ratione priuans se potentia generatiua, vel dans causam huiusce priuationis peccabit mortaliter, ergo illicitum est inducere, seu procurare sterilitatem.

Secundò quidquid destruit aliquod bonum pertinens ad tria bona matrimonij sacramenti non est efficiendum, sed sterilitatem inducere destruit bonum prolis matrimonij sacramenti, ergo non est efficiendum.

Tertiò impediens magnum bonum, quod redundat in detrimentum notabile alterius, peccat mortaliter, sed procurare sterilitatem impedit magnum bonum, nempe hominem, infert notabile

detri-

detrimentum eidem met homini producibili, quia impeditur illius actualis existentia in vniuerso, quod est magnum bonum, ergo.

Quartò ablato fine aufertur causa huiusmodi finis, sed sterilitatem inducere est auferri matrimonij finis, ergo aufertur bonum sacramenti, bonumque fidei, quæ sunt causa huiusmodi finis, & per consequens totumipsum sacramentum.

Quintò si liceret procurare sterilitatem hoc esset propter aliquam causam rationabilem, sed hæc non potest dari, ergo &c. probatur minor, si daretur esset, quia impeditur mors spiritualis fætus, quia mater semper verbi gratia, fætus abortiuit mortuos, vt in primo casu dictum est, sed hoc non militat cum melius est esse, quàm non esse, & per sterilitatem causatur non esse, qua sterilitate non procurata, fætus habet esse, ergo, & ob id Esaias dicebat loquendo de illis qui sunt in inferno, misericordias eius, quod non sumus consumpti.

Sextò quidquid est directe contra cultum diuinum, quilibet ab huiusmodi se cauere debet, sed sterilitatem inducere est huiusmodi, ergo quilibet à tali se cauere debet.

Septimò est generale axioma D. Pauli, non sunt facienda mala, vt eueniant bona, sed sterilitatem inducere malum est, ergo, &c.

Octauò arguitur contra supradictos duos casus, nam qui conceptum fecit potest citra spem ipsum seruare.

Nonò si septem, vel octo vicibus peperit mulier fætum mortuum, forsitan in nona viuum producet, ergo non licebit sterilitatem procurare.

Decimò, & vltimò, si esset procuranda sterilitas esset saltem procuranda donec accesserit ætas, vt plurimum legitima, quæ postquam venit non debet impediri conceptus. Hæc sunt momenta rationum, quæ quidem facile dissoluuntur.

Rationibus supradictis respōdetur.

Ad primum, distinguo maiorem, vel hoc fit ob aliquam causam rationabilem præponderantem bono visus, & sic licebit verbi gratia si hostis, cui minime resistere possum, inuaderet me, & daret mihi optionem, vel te occidam, vel tibi eruam oculos, possum præeligere oculorum priuationem morti corporali.

Ad secundum idem dicendum, nam ob finem altioris ordinis, veluti supra fuit dictum licet quandoque destruere matrimonij finem.

Ad tertium distinguo maiorem, nam vel hoc damnum immediatè infertur homini existenti, vel mediate, vt homini existenti impotentia remota, valet maior primo modo sumpta, non autem secundo modo, quia si vera esset, sequeretur, quod si quis mulierem occideret incurreret in multa peccata, quia occideret multos fætus existentes in potentia illius passiua, quod est ridiculum.

Ad quartum nil refert ob finem altioris ordinis, quandoque, & ad tempus auferre matrimonij finem, vt supra iam est dictum.

Ad quintum valet illa propositio stando intra limites naturę formaliter consideratæ, aliter autem falsissima est, vt probatum est supra. Amplius dicerem, gratis concesso, quod valeret moraliter, quod licet melius sit alicui esse, quàm non esse omnino, cum ex hoc infertur consequentia, ergo procurans hoc peccat mortaliter, nego consequentiam, nam non valet consequentia nisi id cuius procuratur non esse exīstat, vel existat aliquid in natura, habens ordinem ad illud existens, nam si hoc esset verum sequeretur, quod vouentes castitatem peccarent mortaliter, quia impediunt magnum bonum futuræ prolis, nempe existentiam actualem in vniuerso.

Ad sextum patet responsio ex supradictis.

Ad septimum ex authoritate D. Pauli breuiter respondetur, quod ob finem altioris ordinis vt eueniant maiora bona licet quandoque malum facere, sic occidere, seu laqueo suspēdere gentes ob delicta peccatum est, sed tamen ab altiorem finem licet illud facere, scilicet vt conseruetur iustitia in vniuerso.

Vel aliter dicendum ad D. Pauli authoritatem, quod hæc authoritas adducta petit principium, nam Diui Pauli authoritas intelligitur de malis moralibus, seu peccatis, scilicet non sunt facienda peccata, vt eueniant bona, modo procurare sterilitatem per nos non est malum morale, seu peccatum. Quare hæc D. Pauli authoritas non est contra nostram sententiam, nam procurare sterilitatem esset malum naturale, quare non est ad rem.

Ad octauum respondetur Deum posse secundum suam potentiam conseruare fætum, attamen casus noster supponit ea, quæ vt plurimum eueniunt.

Ad nonum idem dicendum, nam non est viri sanæ mentis, sanique iuditij derelinquere id quod est pluries, & certò accidit, & incertum, dubiumqne amplecti.

Ad vltimum, consulenda esset in illo casu separatio tori, si fieri possit, sed hæc præcipi non potest, consulere tamen illam possumus.

Verum si fieri non potest hæc tori separatio, potest dari aliquod medicamentum ad tempus sterilitatem inducens, cuiusmodi multa sunt. Et hæc quidem habui in hoc curiosissimo theoremate, in quo si quid boni dixi, gratias maximas habeant lectores admodum Reuerendo Patri D. Onuphrio Regnæ Puteanensi Sacræ Theologiæ meo Amantissimo, ac præstantissimo lectori dum Messapiæ commorabatur in suo Cænobio Familiæ cælestinorum, nec non admodum Reuerendis Patribus Michæl Angelo Cupertinensi, & Anselmo Capuccinorum Familiæ apprime doctis, & eruditis viris, quos quidem diu consului, ac eadem ex his fontibus, quæ scripsi vberrime hausi, & hæc satis.

An senes, et iuuenis æqualiter febricitantes sint æquè alterandi potu aquæ frigidæ.

Theorema XII.



PErperam meo quidem iuditio conscripsit Auer. libro septimo, colliget. capitulo secundo, casum huius theorematis esse impossibilem, nanque Galen. noster lib. 7. method. meden. capitulo 13. & Auicen. libro primo, fen. 4. capitulo primo, & Conciliator. diff. 134. & cæteri Medici hunc casum admittunt, tantumque virum ita misere lapsum esse admirari non desinam.

Quare hoc misso, & huius theorematis existentia supposita consulamus Gal. libro 7. method. 13. qui etsi particulariter, & præcise hunc casum non expressit, tamen ex eius verbis facile præsentis theorematis veritas colligetur. Habet nanque sic, Quæcunque calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberalius, & diutius calefieri postulant, sicuti etiam quæ frigidiores natura sunt si ex calore laborent, refrigerari, & ficciores, si ex humiditate male habeant, siccari, ad eundem verò modum humectari, quę humidiora naturaliter sunt, vbi ex siccitate laborant tum vberius, tum diutius postulant.

Quippe eatenus redeat ad naturam eorum quodque necesse est, quatenus à natura recessit, ac veluti quadam via retroferatur, quæ in diuersam agat ei, quæ facta est in ipso transmutationi. Contra verò pars, quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat exigua, breuisque temporis refrigeratione eget, sicut quæ frigidior est calefactione, siquidem paruus est in eiusmodi in id, quod est præter naturam lapsus, quare & rursus in id, quod secundum naturam reditus, vnde etiam minus periclitantur quicunque cognato naturæ suæ morbo laborant, ex quibus verbis apertissime potest colligi propositus noster casus, & illius resolutio, nanque cum Galen. doceat indicationes, quæ sumendæ sunt à partibus, & cum eadem sit ratio totius, & partis, quod enim Galen. de parte dixit nos de toto controuersamur, cum itaque Galen. dicat quod pars, quæ calidior natura sua est, si calido morbo ægrotat, exigua, breuisque temporis refrigeratione indiget, nos dicimus de iuuene febricitante, qui ratione sui temperamenti, quod calida, vt conseruetur exposcit, exigua, breuisque temporis refrigeratione indiget, è contra si pars aliqua, quæ frigidior natura est, calido morbo ægrotet, nos de sene dicimus, qui vt eius temperamentum frigidum seruetur, frigida adhuc exposcit, & addita febri magis frigida ei sunt concedenda, cum sit maior lapsus, quare ea Galen. doctrina patet magis esse refrigerandum senem febrientem, quàm iuuenem, & si enim sub quodam vniuersali præcepto de partium affectibus Galen. locutus est, tamen sub illo hic noster casus, atque hoc nostrum theorema comprehenditur.

Verum idemmet Galen. lib. 8. method. meden. capitulo nono, magis particulariter posuit hunc casum, quando dixit magis esse refrigerandum flegmaticum febrientem, quàm cholericum propter idem scilicet naturale temperamentum. Videndus Gentilis in q. extrauagant. quæst. 4. Huius sententiæ est quoque Auicen. loco supra citato. Sed rationibus agatur, nam eo maiora debent esse remedia, quo maiora sunt indicantia remedium, sed refrigeratio debita seni indicatur magis, ergo & patet minor, nam senes habent duas indicationes, vna est febris, quæ indicat contrarium, scilicet frigidum, & humidum, alia est naturale temperamentum frigidum, quod similia indicat, nam similia similibus conseruantur, nam temperamenta, & consuetudines in ægrotis non sunt immutanda libro 8. meth. 9. *Gal. magis particulariter hunc casum declarauit.*

In iuuene febriente vnum est indicans, scilicet ipsa febris, nam temperamentum iuuenis calida requirit, cum similia similibus conseruentur. Vnde senibus, & propter maiorem recessum, & propter eorum temperamentum, & propter febrem magis frigida conueniunt. Vt tamen magis, ac magis præsentis theorematis hoc modo expositi veritas elucescat sciendum est, esse præsens theorema intelligendum de senibus robustis, nam si contingerit, quod vt plurimum contingere solet, ipsos senes vires non adeo habere firmas, atque robustas, tunc debemus pluribus, & sæpe paucam aquæ quantitatem senibus exhibere, iunenibus autem multam in paucis vicibus, & vt inquit recte Conciliator differ. 174. iuuenes intensiuè deberi refrigerari, extensiuè autem senes, itaque in fine morbi senibus facta erit maior refrigeratio. Sed dices si iuuenis febricitans consuetudinem habeat sæpissime bibendi, senes autem è contra, tnnc quid faciendum? & quomodo theorema verificatur?

Respondeo iuxta Galen. dogmata libro 8. method. medend. cap. 9. ratione consuetudinis iuuenem debere magis alterari, nam etsi temperamentum senum frigidum indicat, tunc magis consuetudo indicat, quæ multum potest in morbis, & est altera natura libro 1. phys. cap. 69. & Galen. dicebat, quod indicatio, quæ sumitur à consuetudine obscurat alias indicationes. Vel aliter dicendum, quod si non est magis iuuenis refrigerandus, saltem æqualiter ratione temperamenti senis, & ratione consuetudinis iuuenis, vt hinc pateat maxime esse hallucinatum Auer. lib. 7. colliget. cap. 2. qui iuuenes magis esse refrigerandos autumauit. *Obiectio pulchra. Solutio.*

Dis-

Differant inter se specie an numero, seu subiecto febrilis scilicet, et naturalis calor.

Theorema XIII.



SI nos attentè Gal. placida ponderamus dubio procul hosce duos calores specie, & etiam genere differre inueniemus. Habet enim libro 3. de præsagit. ex pulsu cap.2. calorem febrilem à naturali differre specie, & genere, quo loco bis eandem sententiam repetit, & eandem sententiam videtur habere libro 6. epid. comm. 4. tex. 25. duo inquiens esse genera caloris febrilem, & naturalem, & idem dicit libro 1. Aphor. 14. nam si idem est calor naturalis, & febrilis, tunc febricitantes habebunt maiorem calorem, quod de naturali est falsum, & libro 8. de Hip. & Plat. plac. dicebat, quanto magis augetur febrilis calor, tanto magis diminuitur naturalis calor.

Sed præter has authoritates non nullas subiungamus rationes, primo in Gal. doctrina temperamentum est forma rei ex libro, quod animi mores corpor. temperat. sequan. cap. 3. & libro 1. de vsu part. cap. 9. & libro de trem. rig. palp. cap. 6. hoc stante sic arguo, quæ differunt temperamento sunt diuersa inter se, sed calor naturalis, & febrilis habent diuersa temperamenta, ergo, probatur minor, nam quidditas caloris naturalis est caliditas, & humiditas suauis, & moderata, quidditas caloris febrilis est caliditas, & siccitas, ergo.

Secundo contraria sunt illa, quæ sunt sub eodem genere, & agunt, & patiuntur ad inuicem ex Arist. libro 2. de generat. & corrupt. tex. 50. & 61. quæ contraria specie differunt, tunc sic, quęcunque se destruunt sunt contraria, sed calor naturalis, & febrilis se destruunt, vt patet, ergo.

Tertio est axioma Arist. libro 4. meteor. à tex. 37. vsque ad 40. quod contrarij effectus proficiscuntur à contrarijs causis, morbus, & sanitas sunt contraria, nam vnum est secundum naturam, alterum præter naturam, sed causa sanitatis est calor naturalis, causa morbi est calor febrilis.

Quarto calor naturalis est substantia composita, vt diximus, sed calor febrilis est accidens, & subiectatur in calore naturali, sed accidens, & substantia differunt plusquam genere ergo.

Nota vnũ. Vnum tamen hic adnotatione dignum est considerandum, quod si nos consideramus caliditatem pro substantia, tunc vera erit intelligentia nostri theorematis, si vero consideramus caliditatē, vt accidens, tunc calor naturalis, & febrilis non specie, sed numero, & subiecto differunt, vnde ex hac veritate in præsenti theoremate tacta patet toto cœlo aberrasse Gentilē de Fulgineo in quæst. extrauag. quæst. 3. dicentē calorem naturalem à febrili differre solum secundum fundamentum, nam naturalis procedit à sinistro ventriculo cordis, præter naturalis à foco, & minera putredinis, quare ratione fundamenti, & subiecti differunt, non autem secundum processum. Sed contra, nam si sumus in febre hectica, tunc idem erit fundamentum, & radix, quare nihil dicit, melius ergo est si sentiamus calorem naturalem pro substantia differre specie à calore febrili, calorem vero naturalem, vt accidens tantum numero, & subiecto differre, quam caloris naturalis differentiam multoties admittit Gal. & hæc satis. *Lapsus Gẽtilis de Fulgineo.*

Sit calor naturalis influens elementalis, an cælestis originis.

Theorema XIIII.



ANtequam ad huius theorematis explicationem accedamus, distinguendum est de quo calore verificetur præsens theorema, multiplex enim est calor ex Gal. libro 1. Aphor. 14. libro 2. de temperam. cap. 6. & præsertim duplex est, alteri dicitur naturalis, seu insitus, & alter influens, seu ascititius, naturalis, seu insitus, alio pacto dicitur innatus complantatus, & primogenitus, & sic dicitur, quia à natiuitate, primordijsque generationis est ortus, ascititius, vel influens non ab ortu, sed cursu temporis acquiritur, vt inquit etiam Gal. libro 3. de caus. pulf. & hinc oritur Æthyopes habere multum caloris ascititij, & parum naturalis, è contra septentrionales habent multum caloris naturalis, minus ascititij, & de his duobus caloribus mentionem fecit Arist. 10. part. probl. 8. & libro 2. de part. animal. cap. 7. & Gal. etiam libro 8. de Plat. & Hip. cap. 7. & libro 6. epid. com. 4. text. 25. Hic calor ascititius, seu aduentitius influens ad aures Gal. duplex quoque est ex Gal. libro 3. de caus. pulf. cap. 6. alter est ascititius naturalis, & alter est ascititius præter naturam, primus calor reperitur in corporibus sanis, secundus calor in febricitantibus. Nostrum igitur theorema non intelligitur de calore innato, & primogenito, sed de influente, & aduentitio, naturali tamen, de quo mouetur difficultas, an scilicet hic calor influens naturalis sit elementalis, & cælestis, & altioris *Multiplex calor.*

tioris originis: Pro cuius theorematis decisione breuiter dicamus esse hunc calorem naturalem influentem elementalem,& animæ esse instrumentum,quinimo ex quatuor elementis constare, vt recté concludit Argenterius libro de somno, & vigilia cap.5.& 6.& hoc pluribus probatur,nam ex ijs nutrimur, ex quibus constamus ex libro 2.de gen.& corrupt. 50. sed calor hic influens, & naturalis augetur, & conseruatur ex alimentis,vt patet in ægrotantibus, & sanis, nutrimur enim nos ex calido,& humido,sicco,& frigido elementalibus,igitur ex his constamus. *Deciditur theorema.*

Secundo calor naturalis influens ex Gal. authoritate generatur in sinixtro ventriculo cordis, & ex sanguine cordis calor generatur ex libro de vtil. respirat. cap. 3. & libro de sang. miss. cap. 5. & 1.Aphor.14.

Tertio ex Arist.4.metheor. c.2. omnis generatio,& formatio nostra est à calido,& frigido dominantibus supra passiuas, ergo calor hic naturalis est ex elementis, & non à cælo, nam si à cælo esset calor hic tunc non haberet contrarium, sed habet contrarium, vt patet de lactuca,quæ frigida est, & patitur ab ipsa calor naturalis, si ergo cælestis esset, dubio procul non pateretur à contrario, cum non sit contrarietas in cælo.

Quarto ex Arist.libro 2.de anima 41.& libro de respirat.cap.10.idem patet. Idem sentit Plato in Timęo.Calor igitur naturalis influens est elementalis.Obijcies ex Arist.libro 2.de generat. animal. cap.3.vbi habet, in semine inest omnium, quod facit, vt fæcunda sint semina, quod vocatur calor, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, nam ignis nullum animal generat, sed spiritus, qui in semine,spumosoque corpore est,& natura, quæ in eo spiritus est proportione respondés elementari stellarum,& c.quare videtur dicere Arist.nostrum calorem esse cælestem. *Dubitatio.*

Difficultas quidem non est contemnenda, sic autem Arist.locum explico, calorem scilicet naturalem posse à multis regulari, & sic varia nomina sortiri, regulatur à cælo, & tunc dicitur cælestis, aliquando à forma naturali,& tunc dicitur naturalis,aliquando ab anima,cuius est instrumentum, locus tamen Arist.sic intelligatur, calor qui est in semine non est ignis, nam ignis non generat, sed consumit,nec est caliditas ignis,nec quoad gradum,nec quoad virtutem, nam calor noster est temperatus,& benignus,ignis est calidus in quarto gradu,sed calor naturalis,est temperatus,nec est similis quoad virtutem,nam virtus ignis est consumere,neque dependet ab igne,sed ab anima, cuius est instrumentum,est calor naturalis elementalis subiectiuè,quia ab elementis dependet. Videndus Archangelus Mercenarius optime hunc Arist.locum explicans. *Solutio.*

Quid alij senserint.

FErnelins libro 4.physiologiæ cap.1.dicebat calorem naturalem esse altioris originis,cælestemque, atque diuinum, Verum ante ipsum Auer.habuit hanc opinionem libro de subst. orbis cap. 2.& 12. metaph. cap.18.& 7. metaphy.31. & Marcus Antonius Zimara Sanctopetrinas theoremate 73.& probatur hæc opinio quam pluribus vijs, primo ex libro 2. de generat. animal. cap.3. nam calor ignis non generat, sed destruit, & corrumpit, sed calor naturalis generat chylum, membra, cartilagines,&c.

Secundo si calor naturalis non est cælestis, nescio, inquit Fernelius, quomodo pusillus calor, qui est in cicuta non destruitur ab intenso frigiditatis gradu, qui reperitur in cicuta frigida quidem in quarto, quare cum non destruatur, signum est calorem esse cælestem, & alterius naturæ ab elementari.

Tertio si calor naturalis esset eiusdem naturæ cum elementari, tunc omnia mista, quæ calorem elementarem habent innatum,& vitalem calorem haberent,& sic essent animata,sed hoc dicere est quam falsissimum ergo.

Secunda sententia fiat cuiusdam Martini Scoti Argenterij discipuli, & Fernelij cap. 13. sui libri asserentis dari triplicem calorem in animali,vnum diuinum,& cęlestem,alium animalium,& alium elementalem,& ex Arist. libro 2.de generat.animal. cap.3. videtur suam sententiam comprobare. Verum vtraque sententia est periculosa,nam quantum ad vtrosque iam patet ex supradictis non esse multiplicantia entia absque necessitate,frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene, cum igitur per vnum calorem omnia fiant, non igitur calorum distinctio ponenda est. Mitto alia contra has duas opiniones. Videndus Mercenarius. Ad argumenta, ad primum respondetur quod calor ignis corrumpitur, quia non est regulatus ab anima, è contra in viuentibus. Ad secundum quia in cicuta, mandragora, & id genus similibus calor regulatur ab anima, ideo non interit. Ad tertium respondet Mercenarius, & si cadauer, sulphur, arsenicum, & cætera inanimata innatum habeant calorem, qui elementalis est, vitam tamen non habent, neque calor innatus in eis vitę operum causa est, nam calor innatus non per se ipsum animalibus vitam tribuit, sed virtute animę, qua corpora supradicta sunt orbata, & ideo vitam non habent& hęc hactenus. *Confutantur hæ duæ opiniones.* *Solutiones rationum.*

De

De causis periodorum, seu periodicationis in febribus putridis.

Theorema XV.



Nter ardua quæsita, quæ in Hipp. & Galen. monumentis exagitari solent, illud mihi semper per difficile visum fuit, quod est de causis periodorum in febribus putridis, ac eo magis crescit difficultas, quod sapientissimus senex haud hoc quæsitum olfecit, Galenus curæ cuius fuit omnia recensere modice admodum illud examinauit. Quare si huic nostro theoremati res è voto non successerit rei difficultati tribuatur velim. Breuibus igitur quid nos sentiamus aperiemus.

Quatuor sunt necessaria pro explicatione præsentis theorematis. Dicamus igitur quatuor requiri pro istius theorematis veritate indaganda, materiam scilicet humorum, eorumdem qualitatem, calorem naturalem, & fomitem, seu cinerem, seu inquinamentum derelictum, sed vt clarius id quod dicimus innotescat, sciendum est, quod quandocunque materia peccans extra vasa maxima est in quantitate, & in qualitate crassa, viscosa & tenaci, & quando calor debilis est, & quando fomes, seu cinis derelictus humoris putrefacti multus est, tunc fit quotidianus circuitus, color enim in quotidiana febri existens debilis ob multam materiam peccantem, à qua vires eius obtunduntur, & fomes derelictus multus non poterit consumere materiam in quantitate magnam, & in qualitate viscosam, & ideo cum paruus sit calor, & magna sit materiæ quantitas, & qualitate existente viscosa, & multo fomite fit quotidianus circuitus, cuius circuitus putrefactus humor est pituita, quæ ita vnà cum eius qualitate, & calore, ac fomite proportionatur, vt nisi de die in diem naturalem cieri non possit. *Cur fiat quotidianus circuitus.* Quando vero materia putrescens est parua in quantitate, & in qualitate subtilis, & tenuis, & calor magnus, & fomes derelictus pusillus, tunc fit periodus tertionarius, fit autem de tertio in tertium, quia materia est in parua quantitate, & calor est magnus, ideo potest citius consumere materiam, & eo magis, quo fomes existit magis pusillus, idéque est ex proportione philosophandi modus cum eo, quem in pituita faciente quotidianam nuper esse diximus. *Cur tertianarius.* Quando vero materia humoris est satis parua in quantitate, & in qualitate est quidem tenax, & crassa, & ingentissimus est calor, & fomes valde pusillus, tunc fit quartanarius circuitus, & ratio est, quia materia est paucissima, & quam uis qualitas ipsius sit tenax, tamen est ita maximus calor, vt statim possit comburere materiam peccantem exiguam, & eò citius, quo fomes derelictus est paruus. *Cur quartanarius.* Sed hic oritur scrupulus, vnde nam est, quod quatuor cum sint humores, fiant tantum tres species circuituum? Respondetur, quia sanguis non habet periodum, & ratio est, quia est in maxima quantitate, & ideo non habet typum. *Diluitur scrupulus quidam de sanguine.*

Fomes quid sit. Sed iterum dubitabis, quid nam est iste fomes. Respondeo cum Gal. libro 4. Aphor. 63. esse præter naturalem quamdam dispositionem, quæ ex resoluta febre iterum potest attendi, & producere accessiones. Hic est ille fomes, de quo meminit sapientissimus Hip. libro 2. Aphor. 12. quæ relinquuntur in morbis post iudicium recidiuas facere consueuere, vbi Gal. inquit per ea, quæ relinquuntur in morbis, malorum humorum reliquias intelligere nos debere, quas necessarium est tempore putrescentes febrem accendere, quod etiam confirmauit libro 2. de diff. feb. cap. vltimo. Hic est ille fomes, de quo, vt inquit Gal. libro 3. de præsag. expulsi. cap. 7. natura duo facit, partim enim illum per insignes quosdam meatus expellit, qui in vasis est sedimentum vrinæ, in partibus vero inflammatis pus est. *Ordo accessionũ quandoque peruertitur.* Illud tamen non negligendum, aliquando peruerti accessionum ordinem, & hoc est ex duobus, aut ex trasmutatione humoris, aut ex victus errore libro 2. de diff. feb. loco citato, Maxime igitur trasmutatur atque in alteram naturam transit sanguis cum putrescit, nam pars vna sanguinis fit flaua, alia nigra bilis. Solet etiam non parum accessiones variare, quod qui putrescere incipit humor in aliquo membro consistit, alter verò ex alijs defluit partibus, quantum igitur in ægrotantium corpore humores mutantur, tantum etiam, & accessionum circuitus. Sic etiam quæcunque circa victus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, circuituum ordinem peruertunt. quodcunque enim læsionis genus in victu effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuersæ naturæ à prioribus oriri est necessarium. Sed dices vnde nam est, quod aliquando diuturniores esse solent accessiones, & aliquando breuiores? *Cur accessiones quãdoque longiores, & quandoque breuiores.* An cum Gal. dicendum libro 2. de diff. febr. cap. 3. hoc ex tribus prouenire ex humoribus, ex viribus, & ex corporis dispositione, ex humoribus, aut propter eorum multitudinem, aut qualitatem, vel viscosam, vel tenuem, ex viribus, nam aut vires sunt robustæ, aut imbecillæ, ex corporis dispositione, nam aut rara, aut alensa. Magnus enim humor eo, qui paruus est longiorem affert accessionem, & crassus, & viscosus tenui, & subtili, Robustæ vires breuiorem, imbecillæ longiorem, corporis dispositio rara breuiorem, densa, & stipata longiorem.

Quid alij senserint.

Prima opinio Tralliani Trincauelli, & Vallesij. Prima quidem nobis se offert opinio Alexandri Tralliani existimantis causam typorum esse quantitatem solam humorum, quæ si valde pauca est efficit longiorem circuitum, si parua minus longum, si minus pauca breuem, & hæc quoque fuit opinio Vallesij libro quinto, controuersi. cap. 25. & Galen. putat esse hanc opinionem libro 2. de diff. febr. cap. vltimo, idem etiam habet,

Trinca-

Trincauellus libro 2. de diff. feb. lect. 49. verum præter quantitatem, & qualitatem humorum membrorum dispositiones addit, & quamuis hæc opinio magis, quàm aliæ videtur accedere ad huius theorematis dissolutionem, nec adhuc tamen ipsius auctores rem sunt assecuti, nam sola ista quantitas non est sufficiens, non enim potest mouere cum sit accidens, quod sua virtute non operatur, nisi aliud interueniat, causa vero quare bilis de tertio in tertiũ moueatur ex hac opinione non potest colligi. Qui plura contra hanc opinionem videre cupit legat Minadoum. *Cõfutatio.*

Secunda opinio est Auer. libro 4. colliget. capitulo 27. asserentis calorem naturalem esse causam circuituum, sunt autem verba formalia Auer. hæc, nostra sententia est in hoc penitus, quod natura istos circuitus cum calore operatur intrinseco, quamuis superuenerit huic calori aliquid extra naturam in quantitate, aut in qualitate, eo quod, agens in materia non naturali vt in humore ægritudinem faciente, & isti circuitus variantur secundum naturam humoris, & quantitatẽ. Sed hæc Auer. opinio non est recipienda, nam præterquam non assignat causam, quare bilis de tertio in tertium, & atra bilis de quarto in quartum moueatur, tamen adhuc est falsa, nam calor naturalis, aut vincit materiam, aut à materia vincitur, si vincit materiam proculdubio facit concoctionem, & non talem circuitum, si verò vincitur à materia, tunc fit putrefactio, & non aliud. Mitto alias dubitationes, & argumenta, quæ Conciliator adducit diff. 88. aduersus Auer. *Secũda opinio Auer.* *Cõfutatio.*

Tertia opinio est aliorum, & Conciliatoris præsertim loco nuper citato asserentium sydera esse causam talium circuituum, itaque dicunt atrã bilem de quarto in quartum pituitam de die in diem, & bilim de tertio in tertium moueri, & hoc referunt in Lunam. Sed aduersus hanc opinionem plura dicere supersedemus cum multa admiratione digna scripserit ille nunquam satis laudatus, & in omni scientiarum genere versatissimus Adolescens Ioannes Picus Mirandulanus libro 3. contra Astrologos cap. 17. *Tertia opinio conciliatoris.* *Cõfutatio.*

Quarta opinio est eorum, qui cæcas, aut latentes, & abditas causas admittunt, qui hunc humorum statum periodicum à forma quadam occulta, ea scilicet ratione, qua magnes ferrum suuinumque paleam attrahunt, fieri autumarunt, & hæcfuit opinio Gentilis de Fulgineo in com. super Auic. Sed parum est philosophiæ consonum, atque decorum vnaquaque in re ad hasce causas latentes confugere, potius enim pseudo philosophandi, quam vere philosophandi argumentum est. *Quarta opinio, & est Gentilis.* *Cõfutatio.*

Adde si placet, quod tunc ab hac forma latente emanant operationes, quando res naturali fruitur statu, at quando status præter naturam imminet, haud fieri posse tales operationes omnino censendum. Cum igitur in febri quis constitutus statum habeat non naturalem, typus ordinatus in ipso exerceri non deberet. Mittimus alia argumenta contra hanc sententiam, quæ fuse videri possunt apud Minadoum.

Quinta opinio est quorumdam asserentium hunc periodum humorum à putredine fieri, & huius opinionis est Ioannes Fernelius, libro 4. de febr. cap. 11. asserens fieri à putredine, quæ ita humores immutat, vt illis proprietatem impertiatur, qua hunc, vel illum motum vnusquisque humor efficiat, idque exemplo epilepsiæ, & hydrophobiæ illustrat. Sed hæc opinio potius assignat causam, ex qua fiant tales accessiones determinatæ, quàm veram, & immediatam causam. Addas etiam, putredo variatur continuo in humoribus, sed isti circuitus sunt determinati, ergo nullo modo causa potest esse putredo. *Quinta sententia Fernelij.* *Cõfutatio.*

Sexta opinio est Capiuaccij libro 6. de febr. cap. 19. Caprilij libro de febre putr. asserentium ex Galen. libro 2. de diff. feb. cap. vltimo, hos determinatos circuitus fieri, & à natura humorum, & ex congestione materiæ humoris peccantis, quæ à vi expultricis validæ, & firmæ existentis expellitur ad partem ignobiliorem, & debiliorem, supponit enim ibi præcipuas duas esse facultates, alteram fortiorem, & alteram debiliorem, fortior appellatur expultrix ac demandans materiam, debilior est recipiens, ipsa quandoque enim natura ob malam qualitatem materiæ peccantis irritara expellit ad partem debiliorem materiam, & altera virtus attrahens accipit talem peccantem materiam, itaque per illam materiam congestam, ac expulsam fieri tales circuitus Gal. existimauit humorum natura concurrente. Sed pace tantorum virorum Gal. non loquitur præcisè de causa periodicationis, nam non reddidit causam, quare de tertio in tertium, & de quarto in quartum, & de die in diem moueantur humores, vt nos aduertimus dum hanc quæstionem, nunc decimus quartus agitur annus Cæsari Quarantæ medico peritissimo Cryptaliensi exercendi, ac acuendi ingenium causa, misimus, sed solum causa, quam ipse Galen. assignat reddit rationem, quare fiant circuitus, & non quare fiant sic determinati. Quomodo enim hoc potest prouenire à natura humorum, non video quinimo hoc simpliciter dicere est ad naturam occultam confugere. *Sexta opinio Capiuaccij, & Caprilij.* *Cõfutatio.*

Septima est opinio Francisci Parelli Parisiensis in libro de feb. intermittentibus asserentis causam periodicationis esse distantiam membrorum, quæ deseruiunt generationi, vel congestioni humorum, nam quo magis distat membrum à sede, per quam assumitur alimentum, & etiam humor, qui ea in parte, vel gignitur, vel congeritur, tardius facit suos circuitus, quo verò minus distat, eo celerius facit suos paroxismos, lien, inquit, propterea, qui maxime ab ore distat, & in quo melancholicus humor congeritur est in causa cur quartanarius fiat periodus. Iecur quod minus distat ab ore, & bilis generationi dicatum est, tertiani paroxismi causa est. Ventriculus tandem, qui maxime est ori propinquus, breuissimum admittit tempus quietis, estque in causa cur pituita, quam gignit, quotidianas faciat exacerbationes. Mitto fundamenta, quibus hanc suam opinionem confirmat, inter cætera vnum astruit in quotidiana ventriculum, in tertiana hepar, in quartana lienem affici. Hæc quidem opinio vt noua, ita falsa, neque recte à Ioanne Thoma Minadoo Rhodigino libelli de causa periodicationum in febribus impugnatur, nam parum refert (quod erat primum argumentum contra Parellum) quod detinentur ægrotantes per triduum inexquisito ieiunio, & tamen febres seruant eo tempore consuetos circuitus, & determinatas horas, nam humores, quique illi fuerant erant prius in corpore geniti, & prius corpus apparatum habebat, quare nil contra Parellum hoc argumentum concludit. *Septima opinio Parelli.* *Cõfutatio.*

Nec secundum argumentum facit ad rem, nam ex apparatu humorum prius genitorum ille ordo paraxismorum non variatur, nec ex illis humoribus, qui in dies ex connestione generantur fiunt paroxismi, sed ex ijs, qui prius in corpore abundabant.

Nec tertium argumentum est ad rem, nam ex Galen. libro 3. de nat. fac. capitulo 13. ventriculus nanque nutritur chylo, & quandoque nutritur sanguine, ergo non concludit contra Parellum. Possumus tamen Parelli opinionem alijs rationibus euertere, & primò non magis distat lien ab ore, quam hepar, vt sensui quidem patet, & ex anatomica inspectione, ergo non est distantia, cur à liene fiat quartanarius typus, & ab hepate tertianarius.

Secundò receptissimum est apud cunctos Philosophos, magis, & minus non variare speciem, ergo nec maior, nec minor distantia.

Tertiò non semper fit quotidiana affecto ventriculo, nec tertiana hepate, nec quartana liene, vt ex Galen. verbis etiam colligitur libro 1. de art. cur. ad Glauc. capitulo 5. & libro primo, Aphoris. ad 12.

Quartò quotidiana continua, vel intermittens, nonne fit ex pituita alimentitia, quæ est in venis, idem etiam de quartana dicendum, vt apud omnes medicos legere est, ergo nil dicit Parellus.

Quintò peto hæc distantia quomodo potest esse causa periodicationis, vt maior diuturnioris, minor breuioris, media mediocris possit esse causa. Equidem hoc non video nisi, vel ad humorum naturam, seu conditionem, vel quippiam aliud recurratur, quare valeat Parellus.

Octaua sententia Eustachij Rudij. Octaua sententia est Eustachij Rudij libro 3. de affec. humani corporis cap. 27. asserentis causam periodorum esse inclinationem insitam, & naturalem humoris cuiusque propriam ad putredinem concipiendam, & ob id pituitosum humorem, qui omnium humorum humidissimus est, tàm promptè putrefieri ait, vt quotidie suas faciat exacerbationes, biliosum autem humorem, qui calidus supra alios est facilius, quam putrescat melancholicus difficilius, quàm putrescat pituitosus, naturaliter putrefieri, atque subinde tardius hoc, citius illo suum moliori circuitum, melancholicum tandem humorem, qui frigidus, & siccus est omnium difficillime putrefieri, & proinde omnium tardissimos facere periodos. *Cõfutatio.* Sed hæc sententia non est recipienda, nam est contra Galen. libro 8. method. meden. cap. 8. vbi ponit ordinem temperamentorum ad putredinem magis, & minus dispositorum, vbi inter cætera ponit temperamentum calidum, & humidum, quod facile putredinem suscipit, modo pituita non est calida, & humida, sed frigida, & humida, ergo hac vna ratione corruit opinio Eustachij, quæ etiam confutari potest ex Arist. monumentis circa putredinis naturam.

Nona, & vltima sententia Minandri. Nona, & vltima sententia est Thomæ Minadoi, qui post multas reiectas sententias suam in medium affert, quam arcanum ex Galen. nuncupat, & est cuiuscunque humoris dispositio, seu conditio, & fomes, seu inquinamentum, vt ipse ad longum declarat. Verum non est omni ex parte præsens opinio recipienda, nam diminuta est, requiritur enim humorum quantitas, vt nos in superiori theorematis parte explicauimus, *Cõfutatio.* nam per conditionem, seu dispositionem aliud non potest, nec debet intelligi nisi humorum qualitas, est enim dispositio ex Arist. in prædicamentis qualitas quędam à subiecto facile mobilis. De fomite iam conuenimus.

Quotuplex crisis, quid sit, et quæ ad ipsam requirantur.

Theorema XVI.



ALiæ quidem sunt crises fidæ, aliquæ infidæ aliquæ obscuræ, & aliquæ claræ, aliquæ cum euidenti, & manifesto periculo, & aliquæ absque periculo, aliquæ perfectæ, & aliquæ imperfectæ. Fidæ crises sunt quæ nunquam reuertuntur, infidæ, quæ cum rediciua reuertuntur, claræ sunt illæ quæ excretione aliqua manifesta fiunt, obscuræ non item, periculosæ, quæ cum grauissimis symptomatis fiunt, è contra è contra, perfectæ quæ nihil morbi relinquunt, imperfectæ quæ ex morbo quippiam relinquunt.

Hæc quidem omnia clarè à Gal. docentur lib. 3. de diebus decretor. capitul. 5. *Crisis quid* Nunc autem videamus quid sit crisis. Crisis quantum ad nomen significat veluti iudicium quoddam, nomen quidem metaphoricum desumptum à iuditio, vbi est reus, testis, & iudex, ita, & in morbo, est ipse morbus, natura, & dies iuditij. Solet tamen diffiniri proprius ad eius essentiam accedendo, quod sit subita mutatio, vel ad bonum, vel ad malum, vt innuere videtur Galen. libro 1. de cris. capitulo 1. dicebat enim siue subitam in morbo mutationem, siue ad meliorem statum inclinationem solam, siue agitationem, quæ crisim antecedit, siue omnem morbi solutionem, siue eam tantum quæ bona sit, crisim velit quis appellare parum curandum. *Quæ præcedãt crisim.* Est autem diligenter notandum, quod dum fit ista subita mutatio in morbis solent fæua apparere, & præcedere symptomata, quæ quidem nequaquam solent, & debent terrere generosum, & arte Hippocratica dignum medicum, vt ob id dixerit venerandus senex Hip. libro 2. Aphor. 13. quibus crisis futura est ijs nox antecedens solet esse molesta, & Gal. lib. 3. de cris. c. 2. dicebat, quod sola subita ad sanitatem conuersio simpliciter crisis nominatur, quæ fit omnino per manifestas quasdam excretiones, aut effusu dignos abscessus, quam antecedit non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis, vnde obseruantur difficiles tollerantiæ, vigiliæ, deliria, graues somni, vertigines tenebricosæ, difficiles sensus, dolores capitis, colli, & stomachi, & multorum aliorũ membrorũ, nonnullis vero auriũ sonitus & variante oculos apparent splen-

splendores, & lachrymæ voluntariæ effluunt, vrina retinetur, labrum agitatur, aut aliquid aliud tremulum fit, obliuio, & præsentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & vt plurimum accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisque intollerabilis sequitur, clamant, & saliunt, sicut furentes, huc illuc aguntur, & deinde repente nonnullis sudor multos erumpit, his vomitus maximus, illis sanguinis profluuium ex naribus, alijs alui profluuium, aut hæc omnia simul contingunt, quæ quidem omnia Medicus doctus extimescere non debet, & ob id etiam sapientissimè nos docuit idem Galen. libro 1. de art. curatiua ad Glauc. cap. 9. cum futura est crisis tunc corpora non sunt multum nutrienda, ne ob ventriculi repletionem impediatur congressus, atque pugna morbi cum natura, & è contra, vnde illud admirabile iuditium, quod crisis de necessitate debet vocari ex Gal. libro 3. de cris. cap. 2. impediatur. *Cum futura est crisis non sunt multum nutrienda corpora.*

Vnde medici debent esse multum solliciti, atque versati, oculati, & prudentes in medendo, & præsagiendo, ne his visis symptomatis, aut mortem prædicant, aut naturæ certam impediant, & aliò eius intentionem auertant. Sed ad bonæ crisis conditiones paulatim accedamus, quamplures quidem requiruntur si Galen. consulimus libro primo, Aphor. 20. & præsertim sex; prima, vt fiat potius per euacuationem, quam per abscessum. *Quot sunt conditiones bona crisis.*

Secunda, vt euacuetur humor peccans.

Tertia, vt fiat per κατἴξιν.

Quarta, vt sequatur tolerantia, & conferentia.

Quinta, vt adsit concoctio.

Sexta in die decretorio fiat. Ego tamen adderem aliam conditionem ex eodem Gal. desumptam lib. 3. de cris. cap. 2. scilicet, vt fiat subitanea, nam crisis, quæ per longum tempus durauerit non multum laudatur.

Prima igitur cōditio est, vt potius fiat per euacuationem, quàm per abscessum, vt parotis in febre maligna non est bonum signum, nam materia est multa in febri maligna, & parotis est pauca, & febri non est proportionata, neque regio est conueniens.

Secunda conditio est, quod debet excerni humor peccans, & noxius, nā aliter male ageretur cum ægrotis, inde rectè dixit Hip. lib. 1. Aphor. cap. 2. in perturbationibus ventris, & vomitibus sponti- nis si talia purgentur, qualia purgari oportet confert, & leuiter ferunt, sin minus è contra.

Tertia conditio erat τό κατἴξιν vt si quis laborat liene, si exit sanguis ex sinistra narice bonum, & si quis hepatis inflammatione vexatur, si sanguis ex dextra nare exierit bonum, nam seruatur partium consentiens ordo.

Quarta, vt tolerantia sequatur, nam aliter non esset bona, & integra crisis.

Quinta, vt adsit in vrinis, vel sputaminibus, vel alijs excrementls concoctio, nam nihil criticè primis morbi diebus potest expelli, sed symptomatice ex libro 4. Aph. 22. & Hip. in epid. signa crisima non in principio appareant.

Sexta vt in die decretorio, nam si erit in alijs diebus morbus recidiuabit. Vnde rectè dixit Gal. lib. 1. Aphor. 20. quod hæc omnia adesse debent perfectę morborum iudicationi, cui si quid desit, vel plura, neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio. Sed hæc sufficiant.

In quibus morbis, et quomodo sit expectanda crisis, & de temporibus morborum cognoscendis.

Theorema XVII.



Vculentam satis de hoc argumento Gal. tractationem fecit lib. 1. de cris. ferè per totum, dicebat enim in morbis esse quatuor memoriæ mādanda, ideam, seu formam, magnitudinem, motum, & morē morbi. Primo nanque loco cognoscenda est idea, seu forma, & character morbi, an scilicet sit tertiana, an quartana, an aliquid aliud. Vnde cognita specie morbi facilius præsagire poterimus hunc morbum crisi, illum vero nequaquam fore terminandum, si enim morbus est, ex causa calida facilius crisim expectare oportet, vt in tertianā, quod non est in quartana, quæ habet materiam frigidam, crassam, densamque, quam calor naturalis non potest consumere, & concoquere ita vt fieri possit crisis. Consideranda quoque est magnitudo morbi, quæ dignoscitur ex sæuis, magnisque symptomatibus, & ex læsis principibus partibus, tunc enim expectanda est crisis, quando morbus est magnus, nam hæc non solet esse in morbis paruis, vt in leui ephemera, nam tūc fit certamen quando inimicus est magnus, & potens, & non quando est pusillus, & debilis. Considerandus est tertio motus morbi, nam, vel morbus est de genere chronicorum, vel de genere acutorum, & breuium, chronici dicuntur quartana, quam Octauius Horatianus Medicus vetustate commendabilis Saturni filiam esse tradit ob tarditatem, & malignam contumaciam, in cuius curatione Democritus flagitium aliquod in igne committere putauit necessarium, vt hominem iugulare, aut sauciare, sanguinem bibere, sacras aues, & animalia religione prohibita comesse Adrian. Iun. c. 1. lib. 3. ex Plinio lib. 7. c. 50. Quæ quidem sunt impia, & Christianis Medicis minime digna. Quartana igitur de genere chronicorum est, nec non, & dolores coxendici, comitialis, articularis, renum passiones teste Gal. lib. 1. de cris. cap 4. è contra febris ardens, pleuritis, & peripneumonia, & tertiana. In chronicis non poteris expectare nisi rarenter crisim, in acutis sæpe est expectanda, & ferè semper ob eandem rationem dicebat idem Hippo. lib. 2. Aphor. 52. æstiuas quartanas magna ex parte breues &c. Quarto considerare debemus morem morbi, nam aliqui dicuntur cacoethici, seu mali moris, & aliqui boni, vt ephemera, quartana intermittens, tertiana intermittens.

Idea morbi. *Magnitudo morbi.* *Motus morbi.* *Nota de quartana obiter.* *Mosmorbi.*

In morbis mali moris, & præsertim malignis, & pestilentialibus non oportet expectare crisim ad bonum ex lib. 2. Aphor. 13. & lib. 1. de art. curat. ad Glauconem cap. 15. nam in his morbis materia est rebellis, & virtus imbecilla.

Adhæc consideranda sunt anni tempora, complexio languentis, & ætas, nam si fuerit tempus calidum, complexio calida, & ętas viridis, & florens, citius crisim expectare oportet, è contra è contra. Considerandæ quoque sunt accessiones, & inter se conferendæ, nam ex ipsis in crisium, & omnium temporum morborum cognitionem venire exactè poterimus. Sed vt hæ exactius intelligantur, notandum ex Gal. libro 1. de cris. cap. 3. quod anticipatio accessionis non est signum augumenti ipsius morbi, sed oportet considerare accessionum longitudinem, magnitudinem, & morem, & symptomata, si enim accessio conseruatam anticipat horam, sed longior, & vehementior, & malignior fit, & cum multis, & prauioribus symptomatis, quam prius, tunc morbus crescit ad magnitudinem, & dicitur augumentum ipsius. Si vero hæc omnia è contra fiant, scilicet accessionis principium postponat, & in contrarium omnia vergant, tunc manifestissima signa sunt declinationis, cum vero tàm in vna, quàm in altera accessionę omnia sunt æqualia, tunc morbus consistit, & est in statu.

Anticipatio accessionis quid significat.

Quomodo cognoscuntur tempora morborum.

Verum res magis ad viuum, & ad praxim deducendo sciendum, quod tunc est principium morbi, quando nulla adest coctio in excrementis ex libro 1. de cris. capitulo 9. hoc tàm in sputaminibus, quàm in excretis per aluum, quam in vrinis, & cum statim etiam prima die si appareat aliquod signum coctionis in vrinis est transactum principium morbi ex libro primo, de cris. cap. 17. Si in vrinis videbis nebulam factam, aut suspensam non adest status tempus, & multo minus cum hæc affuerint; præterquam si biliosus est morbus ex Gal. libro 1. de cris. cap. 17. Et quando adest, in vrinis sedimen album, leue, & æquale, & continuum est perfecta coctio, & arguit esse morbi declinationem ex Gal. loco citato.

His omnibus adde, vt supradictum est, quæ habet Hippocr. libro 1. Aphor. 12. vbi ex morbis, ex anni temporibus, & circuituum successiuis incrementis indagare nititur vniuersalia tempora, & accessiones, & constitutiones. De morbis clarè patet, nam si est peracutus exacte, quem Barbari vocant peracutum, quatuor diebus terminatur, si non est exactè peracutus septem diebus, si est simpliciter acutus quatuordecim diebus, si non simpliciter àcutus viginti, si est acutus ex mutatione, quem alij vocant acutum ex decidentia in quadraginta diebus terminatur. Si est chronicus, seu diuturnus transit quadraginta dies, vt morbus comitialis, articularis, coxendicus, & renum passiones. De anni temporibus idem patet, de quo supra, de circuituum successiuis incrementis idem patet de quo supra. Sed dices, ex quibus cognosces an morietur, an sanetur languens. Respondeo ex supradictis ex quatuor cognosci ex specie morbi, ex magnitudine, ex motu, & ex more, vt supra dictum est, & lib. 2. prognost. 6. Gal. dicebat summam præsagitionis esse, vt conferantur vires ægroti cum viribus morbi, & è contra, & libro 4. de presag. ex puls. cap. 11. dicebat tria esse medico necessaria ad præsagiendum, euentum, modum euentus, & tempus. Prognostica tandem, vel ad salutem, vel ad mortem, sumuntur ex robore virium, ex ipsis morbis, ex ætate languentis, ex sexu, anni tempore, a morbi essentia, ab excrementis, à qualitate mutata, & à parte affecta, & à proportione, seu analogia, hæc enim prognostica à proportione nos Galen. docuit libro 2. de cris. cap. 4. libro de art. curat. ad Glauc. cap. 15. & lib. 1. prognost. cap. 5. Sed dices quomodo in morbis est expectanda crisis, & quomodo est facienda crisis.

Dubitatio. Solutio.

Respondetur cum distinctione ex Hip. & Gal. lib. 2. prognost. 34. & lib. 3. prognost. 24. quod morbi concoctu difficiliores, scilicet chronici, qui ex crassioribus, & frigidioribus humoribus fiunt per abscessum iudicari solent, verum si virtus est debilis, nec abscessu etiam iudicantur, sed aut corrumpunt ægrum, aut per quam longo temporis spatio vix concoquuntur, morbi verò, qui ex calidioribus constant humoribus per sensibilem excretionem modo ægro sint valentes vires. Dices tandem est melior crisis, quæ fit tempore noctis, an illa, quæ fit de die. Mitto quæ ad longum dicit Conciliator diff. 104. Breuiter dico, quod melior est crisis nocturna diurna, si tamen nocturna fuerit à circumferentia ad centrum, diurna verò est melior nocturna, si tamen diurna fuerit à centro ad circumferentiam.

Dubitatio. Solutio.

Quid sit pulsus, & an Hippocrates cognouerit pulsum.

Theorema XVIII.



Pulsus quid.

Ost aliqualem habitam crisium cognitionem, quoniam in parte dignostica versari videmur, de pulsibus contemplatio se se offert, & primo quam breuissime videamus quid sit pulsus. Et ne latum quidem vnguem à Galen. doctrina recedentes, vt nos semper in nostris theorematis facere consueuimus asserimus ex libro 4. de differentijs puls. c. 2. confutatis antiquorum opinionibus esse actionem cordis propriam primo, deinde arteriarum, quæ motu Systoles, atque diastolis mouentur à facultate vitali, quæ est in corde, vt spiritus animales generentur, & conseruetur calor naturalis. Et quamuis est longa diffinitio, tamen necessarium fuit has omnes particulas addidisse, nam hæc diffinitio datur per additamentum, cum sit diffinitio accidentium, pulsus enim quidam motus est, accidentia autem per subiectum debent diffiniri.

Sed

Sed rem altius repetamus, in hac diffinitione sunt omnia quatuor causarum genera, est enim causa formalis, primo scilicet actio, seu operatio, græcè ἐνέργεια, vt sanguificatio est forma hepatis, chylificatio ventriculi. Sed quoniam cor habet actiones communes, & proprias, communes, vt trahere, retinere, expellere, concoquere, propriæ, vt pulsare, ideo addit Gal. proprium, quare pulsus est actio propria (cordis primo) nam cor est subiectum in quo radicatur, & fundatur facultas, deinde in arterijs, dicit etiam, cordis, & arteriarum, ad differentiam cerebri, quod à facultate animali mouetur ex libro 8. de vs. part. capitulo 7. & libro de instrum. odorat. capitul. vltimo, nam ligatis arterijs carotidibus mouetur adhuc cerebrum, ergo non à corde mouetur, sed de hoc in anatomicis administrationibus, causa materialis est ly cordis primo, & arteriarum, causa efficiens est facultas vitalis, finalis est generatio spirituum animalium, & caloris moderatio, primo enim generantur spiritus vitales, deinde animales. Hoc tamen notandum de calore, nam secundum medicos, & Galen. fuit dictum caloris conseruationem esse causam finalem, nam per os, & nares ingreditur aer inspiratus libro de caus. morb. cap. 3. & refrigerat cor, sic etiam intrat per arterias, deinde ab ore, & à naribus, & ab arterijs expiratur secundum tamen Arist. Conciliatorem, & Turisanum calor est causa efficiens pulsus.

Quicquid tamen sit idem secundum varios respectus consideratum potest esse causa diuersorum. Sed ad secundum theorematis partem accedamus, an scilicet Hippocr. cognouerit pulsum & vt rem breuibus absoluam dicatur Hippocrat. cognouisse pulsum, & hoc tum Hippocrat. tum etiam Galen. authoritatibus comprobatur, & primo dicebat Hippocrat. libro 7. Aphor. 21. à forti pulsu in vlceribus profluuium sanguinis, vbi Galen. in com. dicit, pulsum esse motum arteriæ, ergo Hip. cognouit pulsum. *An Hip. cognouerit pulsum.*

Amplius Hip. libro de humoribus in principio inter multa signa enumerat pulsum, & libro de alimen. circa finem dicit venarũ pulsationem, & respirationem, esse salutis, & mortis signa, & per venarum pulsationes intelligit arterias, nam ex Gal. pluribus, & sexcentis in locis, & præsertim libro, quod animi mores corporis sequantur temperaturam cap. 8. antiqui per venas intelligebant arterias, & libro de loc. in homine in principio nonne dixit in temporibus esse duas venas, idest arterias, quæ semper pulsant, quod etiam libro de flatibus circa medium confirmauit. Amplius lib. 4. de morbis vulgaribus paulò post principium nonne dixit in febribus acutissimis esse pulsus densissimos, & maximos, & libro 7. epid ante medium libri in vxore Theodori nonne dixit arteriam vxoris Theodori vix respirantem subsibilare, & ad manum esse frigidius corpus arteriarum, deinde subiungit, quod illæ arteriæ, quæ erant in temporibus magis saliebant, ex quo loco manifestè colligere licet Hip. cognouisse pulsum, etiam in carpo manus.

Idem etiam clarissimè patet ex libro 2. epidem. sectione 5. paulò post medium, vbi dicit, quod cui vena in cubito pulsauit, insanus, & iracundus est, quem locum Galen. exponit libro, quod animi mores corporis sequantur temperiem. cap. 8. Et quid clarius dici potest, quod scilicet Hip. cognouerit pulsum, etiam in manu.

Addo etiam, & clarius in eodem lib. 2. epid. sectione 6. ferè in principio, nonne dixit, venas pulsare in manibus, & tandem libro 4. de ratio. vic. text. 26. Hippocrat. mentionem facit de pulsu ad ἀσφυξίαν. Galen. etiam libro primo, de diff. pulsf. cap. 2. & libro, quod animi mores corporis sequantur temperiem cap. 8. in fine dicit, quod primus inuentor pulsus fuit Hip.

Hanc etiam sententiam multi sectantur iuniorum, vt Amatus Lusitanus Centur. 3. cur. 45. Sed contra dices, nam Galen. libro 3. de cris. capitulo vltimo inquit, aut Hippocrat. non cognouit pulsus, aut paruifecit, & libro de præcognit. ad Posthumum cap. 12. Et libro 6. epid. com. 8. tex. 19. inquit tractatio de pulsibus ab Hippocrat. fuit ommissa, & huius opinionis fuit Vega libro de vrinis. *Obiectio.* Respondeo cum Gal. libro 9. meth. med. cap. 8. quod Hip. fuit primus seminator medicinæ, & ideo imperfectè calluit hanc artem pulsuum, & hoc est illud, quod Gal. dicebat libro 3. de cris. cap. vltimo, quod Hipp. vel quia non nouit perfectè pulsum, vel quia paruifecit, de ijs non conscripsit, & hæc hactenus. *Solutio.*

An cum cor dum dilatatur, arteriæ quoque dilatantur, & cum cor constringitur, arteriæ quoque constringantur, an è contra, et cur pulsus bonus quandoque in febre maligna.

Theorema IX.



Dicamus breuiter, & nos affirmatiuè in eodem tempore cor constringi, & arterias, in eodem tempore cor dilatari, nec non & arterias, & ex ipsamet αὐτοψία probatur nostrum theorema. Galen. libro 7. de anatom. administrat capitulo 14. & libro 6. de vsu. part. capitulo decimoquarto, & decimoquinto dicit, quod quando thorax confoditur videbis cor, & arteriam aortum dilatari simul, & constringi simul cor cum eadem arteria, ergo sensus ipse docet cor eodem motu moueri, ac arterias.

Secundò vna est facultas vitalis, quæ est in corde, & arterijs, igitur vna debet esse operatio simultanea, & tunc duæ est necesse vt sint facultates, si alio motu mouetur cor ab arterijs.

Tertiò Gal. libro 3.de præsag.pulſ.cap.3.inquit in eodem tempore ſi tangis arteriam in carpo manus, & adhibebis manum ſiniſtræ parti corporis,ſcilicet in regione cordis,tunc eadem manus, eodem ſimul tempore cognoſcet dilatationem, & deinde conſtrictionem.

Sententia conciliatoris,& Turiſani.

Hic non me latet alios aliam habuiſſe ſententiam,ſcilicet Conciliator.diff.80.& Turiſani, & fuit ſententia Eraſiſtrati,libro 2.art.med.aſſerentis, quod quando cor dilatatur arteriæ conſtringuntur, & è contra, & comprehendunt hoc ex illis quatuor inſignibus vaſibus quæ habet cor ex libro 6. de vſ. part. cap.14. & 15. & libro de anatom. adminiſtrat. cap.6. ſcilicet vena caua aſcendens ad dextrum cordis ventriculum,& arteria venalis ad eundem, vena arterialis in ſiniſtro cordis ventriculo,& arteria aorta,& aliqua iſtorum vaſorum cum cor dilatatur,aliqua clauduntur,& è contra,aperiuntur autem duo vaſa,ſcilicet vena caua, & arteria venalis,duo verò alia vaſa clauduntur, ſcilicet vena arterialis, & arteria aorta.

Cõfutatio ex Galeno.

Hæc tamen opinio rectè à Gal. impugnatur libro de vſu part.cap.4. & 5. nam ideo non eſt vera hæc ſententia, nam arteriæ maiorem partem ſpirituum recipiunt à venis, quam à corde, recipiunt autem ſpiritus à venis per anaſtomaſim, & ſic non eſt neceſſe,vt quando cor dilatatur, arteriæ conſtringantur,ſed eodem ſimili motu moueantur. Mitto nunc alia, quæ ex Gal. deſumi poſſunt. Sat eſt in ipſo ſenſu falſam eſſe hanc eorum ſententiam.

Cur pulſus apparet bonus in febribus malignis.

Nunc ad aliam dubitationem accedamus. Cur ſcilicet pulſus apparet bonus quandoque in febribus peſtilentialibus. Breuiter miſſa faciens quæ Conciliator diff.94. & contra eum Gentilis, cum Gal.reſpondeo libro 3.de præſag.ex pulſ. cap.3. quod verè hic pulſus non eſt bonus, ſed eſt ſimilis bono,& fallit quam peritiſſimos Medicos. Cauſa tamen quare pulſus appareat ſimilis bono nulla alia aſſignanda eſt,quàm illa inæqualis intemperies in humoribus cordis,& in ſubſtantia ipſius, vel enim in humoribus cordis ſunt humores frigidi, & ſicci, & in ſubſtantia ipſius cordis vigant qualitates oppoſitæ, ſcilicet caliditas, & ſiccitas,vel è contra, ex quibus qualitatibus contrarijs ſurgat craſis, & temperies oportet,quæ bonum,ſed apparenter facit pulſum. Sed hæc ſatis.

Quid ſit morbus in deprauata viſione.

Theorema XX.



Vlti multa dicunt in diſſolutione præſentis theorematis, nos autem quid nobis magis arrideat primo ſpeculabimur. Dicimus itaque morbum in ictero eſſe, vel intemperiem ab humore bilioſo cauſatam, vel obſtructionem in ciſta fellis. Dicimus itaque morbum eſſe primo intemperiem, nam humor ille bilioſus, qui ob aliquod impedimentum ſuis locis exerceri non valet per vniuerſum corpus diuagans facit intemperiem quandam, præſertim intemperiem in cornea oculi,& toto oculo, humores enim extrauaſati malam qualitatem acquirere poſſunt iuxta illud libro 6. Aphor. 20.ſi ſanguis in ventrem præter naturam effuderit neceſſe eſt ſuppurari, ab hac igitur intemperie,quæ potius eſt calida,quàm frigida, cum bilis ſit de genere calidorum humorum, læditur operatio, ſcilicet fit illa deprauata viſio, videntur enim ab ictеris omnia ſubflaua. Neque hoc ſymptoma dependet à calore per ſe, & primario, nam per ſe ab intemperie fit, quatenus verò huic intemperiei coniuncta eſt bilis fit per accidens hæc deprauata viſio à colore,per ſe tamen fit ab intemperie, quæ morbus eſt in hoc ſymptomate.

Vel dicimus eſſe obſtructionem in ciſta fellis, parumque refert ſi læſio viſionis non fiat proxime, & mediatè ab hac obſtructione, nanque idem met Gal. dicebat,libro de diff.ſympt.cap.5. & 6. læſionem operationum quandoque proximè fieri à morbo,& quandoque remotè ſcilicet medijs ſymptomatis in virtute morbi lædentibus, ſic ex vno morbo ſcilicet in intemperie frigida ventriculi multa dependent, & trium ſymptomatum concurſus apparet, nam ex hac intemperie primum ſequitur cruditas,ſecundo mala ſanguificatio, nam errores primæ coctionis non poſſunt corrigi à ſecunda; Tertio ſequitur atrophia, quæ omnia ſymptomata ab vno morbo dependent,ſic ad rem,ab obſtructione ciſtæ fellis ſequitur primum hoc ſymptoma ſcilicet effuſio bilis,deinde affectus totius corporis,& cutis præſertim, tertium eſt deprauata viſio. Vt hinc pateat toto cælo aberraſſe Fernelium,qui primo libro ſuæ pathologiæ cap.9. aſſerebat deprauatam hanc viſionem in ictero nõ fieri à colore, nam color eſt ſymptoma libro de diff. ſymptom. cap.5. ſed fieri à morbo, quem Fernelius non explicat,ſed cum nihil dicat, valeat, nam oportebat aſſegnare morbum,neque ſic ſicco apede pertranſire. Nec etiam hanc veritatem deguſtare voluit Valleſius, qui libro 4. controuerſi capit.2. dicebat huius oppoſitum, ſcilicet deprauatam viſionem in ictero fieri immediate à colore, qui eſt morbus ſecundum Valleſium, & eſt morbus peculiaris oculi tantum, neque reducitur ad illa tria morborum genera, neque Galen.contradicere credit,qui colorem,eſſe ſymptoma ſuperius dicebat, nam Galen. in illa triplici morborum diuiſione morbos communes recenſebat, vt eſt mala intemperies,mala compoſitio,& ſoluta vnitas,cuiuſmodi non eſt hic proprius morbus. Sed præſens opinio ſatis eſt acuta,& docta,tamen cum poſſit reduci color ad illam communem diuiſionem,nõ erat Valleſio adeo inſudandum,vt à Galen.ſuo præceptore recedat, cum maxime habeamus morbum in deprauata viſione, vt ſupra diximus, & garriat quantum velit Fernelius quoque cum Valleſio aſſerens nequaquam reduci.

Fernelij lapſus. Notatur Valleſius.

Notatur Fuchſius.

Errauit etiam Fuchſius libro 3. inſtitut. dicens fieri læſionem inuidendo ab humore, qui morbus eſt, nam humores ſunt cauſæ morborum libro de differ. ſymptom.cap.7. deinde ſi humor eſt morbus, qui morbus eſt, an in ſoluta vnitate, an in mala compoſitione, an in intemperiem, neceſſe

est vt explicet. Quid vero dicat Argenterius contra Iulium Alexandrinum mitto nunc breuitatis ergo.

An Hydrops fiat ex intemperie frigida hepatis, an ex calida, et sicca.

Theorema XXI.



PRæsentis theorematis discussio fuit orta præcipue ex Gal. monumentis, habet enim sapientissimus Gal. libro 5. de loc. affec. cap. 7. hydropem omnem fieri à frigiditate, cuius oppositum conscripsit postea libro 6. eiusdem cap. 1. scilicet à calida, & sicca hepatis intemperie posse prouenire, quod etiam magnus senes Hipp. confirmare videtur, habet enim libro 2. prognost. in principio, aqua intercutem si ex acuto morbo ceperit periculosa est, neque enim febrem soluit, sed doloribus torquet, atque interficit, & c. Grauis quidem est controuersia, pro qua sedanda varij sunt modi dicendi. Vallesius libro 2. prognost. 2. quatuor, vel quinque enumerat, nos autem tres accipimus, primus fundatur in Gal. doctrina, habet Gal. libro 4. Aphor. 37. posse esse intemperiem in solidis partibus frigidam, & in humoribus calidam, loquitur enim ibi de sudoribus frigidis in acuta febri, sic ad propositum potest esse, quod in parte magis solida hepatis scilicet parenchymate vbi fit sanguificatio, quod sit intemperies frigida, & in vasis ipsius, quod sit caliditas, scilicet in humoribus, & sic hydrops generari potest ex calida intemperie, vt inquit Hip. & Galen. neque hoc est paradoxum, nam ipsemet Gal. lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. loquens de pestilentis febris pulsibus, dicit hosce pulsus fallere quam peritissimos medicos, nam sunt similes bonis, causam autem assignat propter inæqualem intemperiem solidarum, & humorum, ex quibus contrarijs intemperiebus fit quædam crasis, & symmetria, seu temperamentum, quod mortis est causa, & antesignanum. Potest etiam esse in abdomine pituita vitrea, & inflammatio in alijs corporis partibus, & sic potest sequi hydrops; Vel aliter dicendum fieri hydropem à calore, vt causa antecedenti, à frigore, vt causa coninncta, & immediata, & pulchrum datur exemplum à Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 13. & 14. de vino quod in acetum transit in æstate, potest enim esse, quod calor febris partes tenues absumat, nec non qualitatem, & substantiam caloris naturalis, ergo fit, vt hepar frigidum remaneat, vel aliter respondendum fieri hydropem à frigiditate, idest à natiui caloris defectu, & ex abundantia extranei caloris, cuius sententiæ videtur fuisse Auer. libro 2. collig. cap. 22. vel tandem cum Argéterio dicere possumus lib. 2. art. med. quod non omnis hydrops fiat à frigiditate, sed leucophlegmatia, quæ proprie hydropis nomine intelligitur, frustratæ generationis, & facultatis hepatis est nota, ascites autem, & tympanites fieri possunt à causa calida, nam in ascte, & tympanite videmus vrinas rubras, & admodum coloratas, quod excedentis caloris est inditium, quamuis istius symptomatis potest esse alia ratio.

An apertio venarum Hæmorrhoidum sit vtilis, et quomodo facienda.

Theorema XXII.



HAnc hæmorrhoidum apertionem satis esse proficuam, vtilemque in multis morbis Gal. aliorumque medicorum authoritas patet. Habet nanque Gal. libro 6. epidem. com. 5. tex. 25. in fine satis vtilem esse talem apertionem, idem etiam conscripsit libro 6. epid. com. 2. text. 2. & libro 4. de sanit. tuend. cap. 4. dicebat cum sanguinem mittere ex brachijs non possimus ob aliquod impedimentum, tantundem valet si hæmorrhoidas aperiamus, & libro 3. art. med. tex. 40. & libro 4. Aphor. 2. ars imitari debet naturam, sed natura quãdoque aperit tales venas, ergo & ars debet hoc facere, tunc præsertim quando natura, vel non operatur, vel male operatur. Hanc etiam veritatem confirmauit libro 6. Aphor. 11. & 12. & libro 2. de art. curat. ad Glauc. cap. 10. solet enim natura reponere in talibus venis talem humorem melancholicum, vnde ex ipsius humoris euacuatione sequi solet maxima tolerantia, & conferentia.

Sed contra ex Gal. libro 4. Aphor. 25. vbi inquit esse periculosam hanc sanguinis per hæmorrhoidas euacuationem si sanguis supra modum excernatur, itidem si ex toto supprimatur, sed respondetur Gal. hoc pacto esse intelligendum, scilicet si pluribus, & sæpe hoc tentauerimus, nõ est tamen inconueniens in quibusdam morbis præsertim in febribus putridis, & mali moris hoc quandoque tentare, sic testante etiam Gal. lib. 3. de humor. cap. 26. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed obijcies, an etiam si nunquam apparuerint tales venæ in ano, & nunquam tali euacuatione corpus laborauerit, an idoneum fuerit quandoque aperire, vel hirudines admouere his venis ani, an tan- *Pulchra obiectio.*

Refellitur Alexäder Massaria. an tantum hoc liceat exercere remedium, cum fuerint suppressæ. Alexander Massaria parte 2. suorum opusculorum tenet, quod tantum apertio conuenit venis suppressis, non autem venis, quæ nunquam effudere sanguinem atrum, & probat ex libro 6. epid. cap. 5. text. 25. & libro 4. de san. tue. 4. vbi vtrobique inquit esse aperiendas si suppressæ fuerint, Verum pace tanti viri dixerim non vidit alium Gal. locum libro 3. de humoribus 26. vbi habet, quod qui versatus est in Hip. doctrina tantum abest, vt sanet, vt si penitus non fuissent, aliquando debeat efficere, ex quibus colligitur, quod si quis nunquam passus fuerit tales hæmorrhoides, tu debes, & potes aperire, & quod hoc sit verum legamus Gal. paulò ante supradictum commentum referentem historiam mulieris Romanæ, cui consultauit, vt aperiantur venæ hæmorrhoidales, ex quo patet illam mulierem non habuisse eas antea, nam Gal. mentionem fecisset, & priores illi medici in curatione multum errassent, cum etiam Gal. tempestate optimi quidem medici videbant, vt habetur in eius vita, Vlterius ad maiorem præsentis theorematis intelligentiam sciendum est, distinctius hoc genus remedij non esse vsurpandum in mitibus, & chronicis febribus excepta quartana, è contra in ardentibus, & acutis, & pestilentialibus, & malignis, vnde in hoc maxime laudandi sunt medici Neapolitani, qui plurimum huic remediorum generi confidunt, vbi enim vigent melancholica symptomata, & adustio magna in humoribus, & febris maligna statim, & libenter confugere oportet ad hanc venarum apertionem, præsertim purgato corpore, eoque magis quando sunt tumefactæ, naturamque irritant, & quando vires sunt imbecillæ, quandoque etiam non purgato corpore ratione euacuationis vniuersalis, nam apertio harum venarum ex Gal. libro 4. de san. tue. cap. 4. totum euacuat corpus.

Medici Neapolitani laudandi.

Ante corporis purgationem quandoque conueniüt.

Vnde hic obiter vnum adnotatione dignum considero, ex anatome desumptum, scilicet reperiri duo genera venarum propè anum, alterum est ex vena porta, quæ ad lienem se extendit, alterum est à caua, vnde duæ sunt venæ, & vt clarius loquar, aliæ dicuntur externæ, & aliæ internæ, internæ sunt in fine intestini recti, & à ramo venæ portæ trahunt originem, externæ sunt in musculis ani, & à vena caua originem habent, internæ euacuant cacochymiam, & harum venarum apertio magis debet esse particularis, scilicet post venæ sectionem, & post medicamentum purgans, & hoc pacto possunt saluari medici Neapolitani, qui sempiterno fato semper post medicamentum purgans, & sanguinis missionem ad hoc remediorum genus confugiunt, eoque magis non aperiunt ante has venas, quia postea medicamentum succedit, quod poterit adaperire sua vi hasce venas. Externæ euacuant plethoriam, quas licet quandoque ante corporis purgationem euacuare ratione plenitudinis, si enim hoc pacto non distinxerimus, non poterimus saluare Gal. qui libro 4. de san. tue. cap. 4. harum venarum apertionem vniuersalem euacuationem esse ore rotundo fatetur.

Duæ venæ in ano obseruantur.

Sed dices, quomodo cognosci possunt ista duo genera venarum? Respondetur facillime externas esse magis ab ano remotas, internas magis ad caput intestini recti ascendere. Hac iacta distinctione saluatur vnum, quod nos medicinam exercentes in die experimur, quandoque scilicet apertis his venis exire sanguinem aqueum, & quandoque atrum, nigrumque, quod quidem discrimen non aliunde pendet quam ex his diuersis venis, quando enim externæ venæ inciduntur, tunc vt plurimum exit sanguis aquosus, nam à caua ducunt originem, quando internæ, tunc ater, & niger, & putridus, nam à porta orginantur. Vel dicendum ex Hipp. libro de vsu humidorum humorem melancholicum esse veluti aquam. Constat ergo ex his satis vtilem esse harum venarum apertionem.

Quomodo cognoscuntur istæ duæ venæ.

Cur istæ venæ quandoque fundunt sanguinem aqueum, & quandoque atrum.

Sed quo instrumento possunt tutius aperiri. Breuiter consulendus Mercatus capite proprio de suppressis hæmorrhoidibus, vel enim istæ venæ de foris patent, vel sunt satis intus, quæ cæcæ dicuntur, si deforis sunt facile possunt adapetiri cum potu ex matricaria, vel cum attritu foliorum ficus, & si his sanguinem non fundunt possumus ponere succum cæpe, cyclaminis, fel porci, tauri, &c. Verum inter omnia sunt vsualia scalpellus, & admotio hirudinum, hirudines tamen sunt securiores, eoque magis, quia trahunt humorem sibi similem, cum enim ipsæ sint animalia venenosa putridum, fæculentum, venenosum sanguinem trahunt.

Quo instrumento sunt incidendæ istæ venæ.

Neque valet quod habet Massaria scilicet Hipp. & Gal. & medicos antiquos non vso fuisse his hirudinibus. Dicendum hoc parum referre, nam multis nos, vtimur, quibus antiqui non vtebantur, & è contra. Addo etiam Oribasium, & Actuarium medicos veteres, magnique nominis hoc remediorum genus vsurpasse.

De medicamentis, an electiuè trahant humores.

Theorema XXIII.



Væ nostra, seu Hip. Arist. & Gal. sententia fuerit circa presens theorema breuibus explicetur. Dicimus ergo cum Hip. libro de nat. hum. com. 5. 29. & 30. medicamenta humores electiuè trahere, inquit enim Hip. dari medicamenta, educentia bilim, alia pituitam, aliaque melancholiam, hoc enim maxime sensata, & oculata experientia manifestum est in ipsis purgationibus.

Hanc eandem doctrinam insectatus est Aristot. in prima part. probl. probl. 40. 41. 42. 43. in quibus diffusè de modo purgandi medicamentorum exquisitè pertractat, omnia ab ipso Hipp. commutatur, quamuis honoris gratia nullibi ipsum nominarit, cum turpe non sit, teste Plinio, quinimo benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profecetis. Gal. noster quamplurimis in locis de hoc argumento pertractat, & præsertim libro de purgant. med.

med.fac.& libro 3.de simpl.med.fac.cap.25.& libro 3.de nat.fac.cap.15.& libro de theriaca ad Pisonem cap. 3. in quibus locis medicamenta trahere sibi determinatos humores affirmauit, & substantiæ similitudine, seu familiaritate hoc peragere, de qua re in sequenti theoremate. Dantur ergo medicamenta determinatos sibi allicientes humores. Dices, quæ simplicia, quæue composita medicamenta hunc trahunt humorem, & illum, & hunc nequaquam? Breuiter respondetur dari simplicia, & composita medicamenta. Simplicia, bilim trahentia, sexcenta sunt, quæ à Græcis dicuntur cholagoga, quæ magis sunt in artis vsu, scambrionum, rhabarbarum, manna, syrupus rosatus solutiuus persicus, viola, tamarindi, mirabolani, & c.

Composita, vt diacatolicon, quamuis hæc confessio omnes purget humores, & ob id dicta est diacatholicon ἀπὸ τῦ καθόλυ, diaprunis solutiuus, electuarium de succo rosarum, electuarium rosatum Mesuis, & c. Medicamenta verò simplicia, educentia pituitam à Græcis dicta plegmagoga sunt, vt agaricus, colocynthis, hermodactilus, cartamum, composita, diaphenicon, hiera Galeni, benedicta laxatiua, pillulæ de agarico & c. Simplicia medicamenta euacuantia melancholiam à Græcis melagoga, sunt, vt serum lactis, sena, epithymum, polipodium, Elleborus, &c. Composita, vt confect. ameth. syrupus de polipodio, & domini Augustini, diasena, pillulæ de fumaria, de lapide lasuli, &c. quæ breuitatis ergò mittuntur, neque liceat trascendere de genere, in genus, cum nos versemur in philosophiæ, & medicinæ theoria. Dices, dantur alia medicamenta, quæ trahunt alios humores? Respondeo, dari medicamenta hydragoga, scilicet aquam, & serosum humorem educentia, quæ commodè, in hydropicis exercemus, vt succus ebuli, & radix, succus palmæ Christi, esulæ, mezzereon, & c. de quibus consulendi practicantes.

Obijcies cur non dantur medicamenta educentia sanguinem, quæ hemagoga dicuntur? Respondetur ex Gal. libro de purg. med. fac. cap. 4. quod fortassis dantur, sed ignorantur, vel cælantur ob vniuersi bonum, sed de hoc aliàs est dictum. Habemus ergo hucusque dari medicamenta, quæ sibi proprios, & determinatos attrahunt humores. *Obiectio.* *Solutio.*

Quid alij senserint.

Erasistratus medicus Aristot. nepos in aliam abijt sententiam asserens medicamenta æqualiter omne genus humoris contenti in venis euacuare, hac tamen ratione, vt medicamentum primò emulgeat humorem tenuem, deinde crassum, & secundum hanc opinionem trahuntur omnes humores non secus, ac in phlebotomia. *Sententia Erasistrati*

Sed hæc opinio non est homine Philosopho, & Medico digna, primo nanque nos in dies factitantes medicinam exhibemus medicamentum, quod purget humores crassos, vt melancholicum, & non tenuem, & exhibemus quoque agaricum, & humores crassos purgamus. Deinde ex supradictis apparet manifeste esse contra Hip. Arist. & ipsam experientiam, seu αὐτοψίαν. *Cõfutatio.*

Secundo opinio fuit Asclepiadis, asserentis medicamenta purgare humores, qui generantur ab ipsis medicamentis, quæ quidem opinio magis est inepta, & contra omnem rationem, sensum, & experientiam, neque mirum si ita pueriliter medicus iste lapsus est, nam ex orandi magistro ad medicinam repentè se conuertere voluit. Sat tamen erit pro hac opinione, iuxta Gal. sententiam libro 3. de simpl. med. fac. cap. 24. quod quædam medicamentorum si purgatione frustrantur, vel in alimentum vertuntur, vel in corruptionem, & tanquam in venenum, vel talis producetur humor, qualem apta nata erant educere humorem, & hæc satis. *Sententia Asclepiadis.* *Cõfutatio.*

An medicamenta assumpta remaneant in ventriculo, an ad vniuersas corporis partes contendant.

Theorema XXIV.



Quoniam in hoc theoremate variæ sunt medicorum sententiæ, ideo breuibus nostra, seu Hip. & Arist. & Gal. sententia explicabitur. Ad aures igitur istorum virorum, dicant quicquid velint alij, defendimus, & authoritatibus, rationibus, & experientijs medicamenta contendere à ventriculo ad venas, & insimul ad vniuersum corpus. Hip. prius mouit hunc lapidem libro de nat. hum. cap. 29. & 30. nam medicamenta trahunt humores, sic vt plantæ trahunt nutrimentum, at plantæ non sunt separatæ, sed coniunctæ cum suo alimento, ergo & medicamenta trahentia humores sunt coniuncta cum ipsis humoribus, & quomodo quæso coniuncta esse possunt cum ipsis humoribus, nisi ad venosum genus contenderint?

Secundò ex eodem Hip. in eodem libro com. 28. & 29. multoties nos medicinam exercentes obseruamus ὑπερκαθάρσεις, seu superpurgationes, quę fieri solent cum medicamentum deuoratum fuerit validius, quam conueniat pro malitia, & exigentia humoris, tunc euacuabit & ipsum, & deinde alios humores, quare si medicamentum esset in ventriculo, & non vaderet ad venas, tunc nulla fieri

possent

poſſet ſuper purgatio, nam medicamentum, non traheret niſi humorem peccantem, & non alios humores, nam veluti magnes poſito argento, plumbo, ſtamno, & ferro non traheret niſi ferrum, illis derelictis, ita ad rem ſequi deberet, cuius oppoſitum in dies obſeruamus.

Tertiò ex Ariſt. prima ſec. probl. 43. manifeſtiſſime apparet medicamentum vniuerſas corporis partes permeare, nam ſtatim vt ſunt aſſumpta facultas agit in quantum poteſt comminuendo, & attenuando medicamenta, & hæc à nobis dicitur actratio medicamenti, quo actuato venæ miſeraicæ trahunt quicquid inueniunt, trahunt autem ſine cognitione iſtæ venæ miſeraicæ, & deinde fertui ad vniuerſum corpus, quoniam verò medicamentum non eſt aptum conuerti in ſubſtantiam alti, expellitur iterum tanquam crudum quippiam, & inconcoctile, & dum fit hæc expulſio, & agitatio, natura aggrauata, & ex humoribus, & ex ipſo medicamento ſtatim noxios expellit humores.

Quarto ex Gal. libro 3. de ſimpl. med. fac. cap. 18. veluti venena enecant animal dum eorum vis per arterias peruenit ad cor, ita ipſa medicamenta, & per venas, & arterias contendunt, & purgant humores cachoetes, dilatantur enim venæ, & arteriæ ope medicamenti, quod quidem ſaltim ſecundum partes tenues, ac ſubtiles permeat ad vniuerſum corpus, parte craſſa eiuſdem medicamenti remanente in ventriculo, & in tenuibus inteſtinis.

Obiectio. Solutio.

Dices quomodo medicamentum permeat cum ſit inanimatum? An quia trahitur, vt ſupradiximus, trahunt enim partes ſine cognitione, & omniſcius Gal. dicebat libro 1. de ſimpl. cap. 12. quod ſi parum piperis ad minutiſſimas partes redactum ſuper arterias poſueris ſtatim ab arterijs attrahitur, corpus enim noſtrum in eodem cap. dicebat eſſe proforatum ritu cribrorum, quam eandem ſententiam confirmauit lib. 6. epid. cap. 6. tex. 1. & libro de loc. in homine in principio.

Quorũdam error in remedijs topicis.

Vt hinc pateat error quorundam aſſerentium topica remedia non eſſe adminiſtranda, nam parum, vel nihil iuuant, cum totum obſeruemus oppoſitum, & cum ſit conſenſus vnus, conſpiratio vna, & omnia in omnibus.

Quintò principaliter experientia patet ab aſſumpto pharmaco ſtatim detumeſcere tumores, vel inflammatorios, vel eriſypelatorios.

Sextò in die pharmaci obſeruamus vrinam coloratam præſertim croceo colore, cum rhabarbarum deuoratum, & idem de commeſtis aſparagis, quæ ſapiunt quippiam medicamentoſum obſeruamus in vrinis redolentibus eorum naturam, odoremque. Mitto tanquam paradoxum de rubea tinctorum, quod dicit Simeon Iethi, quod ſi manibus rubea tinctorum cõtractetur vrinam in ſuum colorem tranſmutat. Tandem nonne nos obſeruauimus Neapoli in incurabilium ſacro hoſpitio plura corpora diſſecta, in quorum oſſibus non contemnenda Mercurij quantitas fuit reperta, ijque fuere inuncti ob Luem Veneream, quod etiam confirmat Falloppis libro de morbo Gallico.

Quid alij ſenſerint.

FVit Arabum ſententia celebris medicamenta deuorata remanere in ventriculo, ſeu in inteſtinis & inde trahere humores. Auic. lib. 1. fen. 4. doc. 5. cap. 4. Meſues libro 1. can. cap. 2. Sarapion. libro 7. cap. 10. Fernelius libro 3. de purg. rat. cap. 6. Fallopius libro de med. purg. cap. 3. & Coſtæus in Scholijs ſuper Meſuem aſſerunt in ventriculo, & in inteſtinis remanere medicamenta, & pluribus probant, nam ſi quis accipiens pillulas, deinde ſtatim euomat illas, accidit vt optima ſequatur expurgatio, ergo tacita quædam vis, & qualitas purgat, non autem medicamentum commeat per corpus.

Secundò Fallopius recenſet hiſtoriam de quadam Abadiſſa, quę medicamenta nunquam accipere poterat, ſed ex illis componebat, atque concinnabat placentulam quamdam, qua ventri applicata quatuor, vel quinque horarum ſpatio bene euacuabat.

Tertiò ex Galen. libro 3. de ſimpl. ſicut magnes attrahit ferrum, ita medicamenta trahunt humores, ergo medicamenta remanent in ventriculo, & inde trahunt humores.

Quartò inquit Serapion, quod ſi medicamenta fluerent ad humores, tũnc non fieret tractio, nam quotieſcunque ferrum eſt cum magnete coniunctum non fit amplius tractio.

Quintò ſi medicamenta contenderent ad humores euacuandos tunc natura exonerata ope medicamenti præſentis eijceret per partes viciniores, aut per nares, ſi eſt materia peccans in capite, ſed hoc non fit, ergo.

Sextò ſi vera ſunt Gal. dicta, quod ſicut magnes attrahit ferrum, ita medicamenta trahunt humores, ſed tota magnes permanet, & non pars magnetis mittitur, ergo medicamentum purgans trahit, non quia mittitur eius pars tenuis, nam tunc falſa eſſet Galen. ſimilitudo, ergo medicamenta remanent in ventriculo.

Soluuntur obiecta. Instantia. Reſponſio.

Cæterum ad hæc, ad primum reſpondeo, quod aliqui leues, & exigui vapores à vomitato pharmaco contendunt ad corporis partes, & ad aliquas venas, & inde ſequitur euacuatio, contra, nam ſtatim, & illicò eijcitur pharmacum, ergo non poſſunt ab ipſo exhalare vapores, cum ventriculi calor parum egit in ipſum.

Reſpondeo in primis hoc non contingere in omnibus, ſed fortaſſis ijs, qui lubricam habent naturam, vel talem habent ideo ſyncriſiam, vt ex leui pharmaco ſoluatur eis plurimum corpus, quemadmodum ſunt alij, qui ex odore medicamenti multum excernunt, quare etiam, quod parum moratur catapotium in ventriculo ſemper ab eo mittuntur vapores, & exhalant. Deinde addo, quod ſequitur aliquando illa, ratione agitationis, & vomitus, patiente enim ventriculo vomitum, & illam agitationem dolore corripitur, dolor autem veluti cucurbitula trahit humores ex libro ſeptimo, Aphor. 1.

Ad ſecundum ead em ferè reſponſio, nam admotum illud medicamentum ventri incipit à naturali

rali calore calefieri, & inde ratione apertionis pororum, secundum quasdam partes tenues, & secundum quosdam vapores sequi potest euacuatio.

Ad tertium similitudo magnetis cum medicamētis stat cum illa proprietate occulta, veluti enim magnes attrahit ferrum, à natura occulta, & à tota specie, & non qualitatibus manifestis, ita, & medicamenta trahunt humores, & Gal. inquit, quod trahant ratione similitudinis substantiæ.

Ad quartum est dispar ratio de re animata, & de re inanimata, cum enim natura nostra stimuletur, & à malitia humorum, & à medicamento aggrauata, & afflicta expellit, non sic est de magnete coniuncta cum ferro.

Ad quintum quoniam diuersa sunt medicamenta, & diuersas habent actiones, ideo cum alia sint vomitoria, alia deiectoria, ideo suas exercent operationes, & munia per loca sibi familiaria, quoniam autem medicamenta sunt deiectoria, vt plurimum, ideo per secessum magna ex parte expurgant.

An post medicamentum aßumptum conueniat aquam superbibere.

Theorema XXV.



Hvius theorematis veritas sic habet, si medicamentum non est de tardè soluentibus, si nulla adfuerit obstructio in aliqua parte, nec flatus multus, si virtus est robusta, & materia iam concoqui incipiat, & medicamentum sit in bona quātitate datum, & illa sequantur symptomata, scilicet sitis nimia ab accepto statim pharmaco, æstuatio, & in lypothimiam prolapsus, & nulla euacuatio, tunc audacter erit frigida exhibenda iuxta languentium, anni temporis, regionis, & consuetudinis naturam, necnon iuxta morbi ideam, nam ab assumpto potu attemperatur ventriculus, quo fit, vt euacuatio citetur, atque feliciter incedat. Si has conditiones omnes medici siculi (isti enim præcipue hoc frequentissime factitant) obseruant, non male faciunt. Experientia enim pluries nos medicinam facientes in Salentinis hoc obseruauimus. Idem etiam præcipit Auer. libro 7. colliget. Auic. Hali, & Rasis. Obseruare tamen nos solemus, vt præcipit Mesues in vniuersalibus canonibus, aliquid cibalis prius dare, vel Zaccari, vel aliquid aliud. Hic missam facimus distinctionem de triplici siti, quam ponit Mesues in vniuersalibus canonibus cum eius curatione. Nam tantum nostrum theorema intelligitur de siti illa, quæ ab assumpto pharmaco, & non operante succedit. Erat igitur prima conditio, quod medicamentum non debeat esse de tarde soluentibus cuiusmodi est in forma pillulari, quod vt plurimum maiorem moram in ventriculo facere solet, tunc axpectanda erit hora consueta operationis medicamenti.

Secunda erat conditio obstructio, & flatus, nam si apparuerint signa horum, tunc dubio procul malè ageretur cum ægrotis, si ab assumpto pharmaco superbibant, aqua enim ex lib. 3. de ratione vic. 40. si sunt flatus, & obstructiones magis æstuat, & auget hos affectus, atque hypochondria inflat, virtutes infirmat, vnde periculum erit, ne in hydropem ægri incidant. Erat tertia conditio, si virtus non est infirma, nam præceptum est generale Gal. sexcentis in locis remedia non solum oportere indicari, & etiam tolerari, cum enim vires sint oculus dexter Medici, illas derelinquere debemus, quales accepimus, vel paulò saltem meliores, ac firmiores. Erat quarta conditio, quod medicamentum debeat esse in bona quantitate exhibitum, clarum enim est quod operationem non molietur, cum non fuerit competens, & congrua dosis exhibita.

Quinta erat conditio, vt illa sequantur symptomata, scilicet sitis nimia, æstuatio, & nulla euacuatio. Si enim non est indicans, ad quid exhiberi debet indicatum? Quare his conditionibus existentibus deuenire oportet, & debet medicus ad vsum aquæ frigidæ, vt etiam ipsam laudat Mesues, eoque magis libenter si æstas fuerit, & in regione calida. Verum rogabis, quæ nam aquę quantitas potest exhiberi? Respondeo cum Gal. lib. 3. meth. med. quod quantitas medicamenti, nec calamo scribi, nec fere mente cogitari potest. Quare huius rei summa experti medici sano iuditio committatur, qui vires, ætatem, consuetudinem anni tempus, &c. oculatissimè contempletur oportet. Vnde quantum à vero aberrent medici illi, qui statim ab assumpto pharmaco indifferenter exhibent aquæ potum, ex his vnicuique patere arbitror. Nam si aquæ potus est in languentium gratiam, hæc gratia est maximi detrimenti plena, si hæc aqua est in adulationem, infelix est hæc adulatio, cum sexcenta secum ferat incommoda. Sed antequam finem huic theoremati faciamus sciscitaberis, quæ nā possunt esse causæ quare medicamentum assumptum moretur in solutione. *Quæ nam sit aquæ quantitas exhibenda.* *Nota quorumdam erratum.*

Respondeo ex quatuor causis hoc posse prouenire, aut ratione corporis, aut materiæ, aut virtutis, aut medicamenti. Ratione corporis, si adsunt fæces duræ, & obstructiones, & flatus, ratione materiæ, quæ si est concocta citius euacuatur, è contra non item, ratione virtutis, nam si est imbecilla, quis euacuationem tardare ignorat? Ratione medicamenti, nam si est de debiliter soluentibus non operatur, vel parum. *Cur quandoque medicamentū non operetur.*

De saporibus, et primo quid sint.

Theorema XXVI.


Oc præsens theorema, nonnullaque alia sequentia exagitantur, tum quoniam contemplatio de saporibus valde conducit ei medicinæ parti, quę præsertim est de medicamentis, tum etiam ab ea, quæ sumus in subsequentibus dicturi de amaro sapore, vt de aloe, &c. Eapropter satis accuratè de hoc argumento conscribemus, Deo semper nobis fauente, vbi per plura theoremata totam saporum naturã perscrutabimur, scilicet de essentia ipsorum, de causa efficiente, seu principijs, de speciebus, &c.

Sapor quid Dicamus itaque, quod sapor nihil aliud est si Arist. præceptis stare voluerimus libro de sens. & sens. cap. 4. & libro 2. de anima, nisi passio quædam corporum mistorum profecta ex miscella aquosi humoris, cum terræ siccitate calore interueniente, immutatiua gustus, seu facultatis gustatiuæ de potentia ad actum. O satis prolixa est præsens diffinitio. Certè non est hoc negandum, sed quandoque sic procedere oportet, vt melius res comprehendantur. Non igitur nobis vitio dare debent, nam ad maiorem notitiam, intelligentiamque rei hoc est peracutum. Gal. etiam nonne pulsus diffinitionem satis prolixam dedit?

Quid ergo mirum? Hæc igitur diffinitio exacta est, nam ex genere, & differentia constat, nec non in ipsa adsunt omnia quatuor causarum genera, vt rectè illam examinanti patebit. Genus itaque in hac diffinitione est ly passio, quæ generis locum tenet de specie tertia qualitatis, Differentiæ sunt cæteræ particulæ in diffinitione positæ. Sed clarius in hac diffinitione apparent quatuor genera causarum, primo apparet formalis causa, quæ quidem accidentalis est, scilicet passio, seu passibilis qualitas ex mistione qualitatum resultans, quæ quidem passio species est qualitatis, non tamen est illud prædicamentum seiunctum, scilicet pati, & agere.

Est adhuc causa materialis, quæ est ipsa aquosa humiditas, nam passio hæc, scilicet sapor subiectatur, tanquam in materia in humido, & in hoc sapores imprimuntur, causa efficiens quoque est terræ siccitas, quæ quidem ad aures Arist. est vera causa efficiens, de qua plenius, & exactius sequenti theoremate, concurrit tamen ad hanc actionem calor, vt concausa, commiscere, resoluere, & incrassare valens, nisi enim, vt causa efficiens adsit terræ siccitas, humiditas aquosa saporem non suscipiet, & adhoc vt suscipiat requiritur alteratio à contrarijs, quæ est siccitas terræ, quæ contrariatur aquosæ humiditati, in hac alteratione fit commistio à calore concoquente, & incrassante prius subtilioribus partibus resolutis. Maxime quidem requiritur hæc incrassatio in ex ortu saporum, vt ob id Alexand. Aphrodis. dixerit in regionibus frigidissimis fructus esse fere insipidos, nam est caloris defectus, qui quidem calor non exactè commiscet aquosam humiditatem cum terræ siccitate, vnde subtiliores partes nequeunt resolui.

Problema dissoluitur. Vt hinc soluamus pulchrum problema, vnde nam est, quod poma si gelanerint, post solutum gelu, tum proprios amittunt sapores, tum etiam quam cito putrescunt, & nonnulla alia arescunt? An superfluum frigus dissipat siccum, quod in illis humido erat commistum, vnde calorem hebetat, illaque immodice humescere facit, sapores autem non in secretione humidi à sicco, sed in concretione potius illorum à calido facta gignuntur. Marcescere autem post gelu solent eadem poma, quoniam superflua in illis humiditas, neque à calido moderata, neque sicco bene permista facilè putrescere nata est. Arescunt autem nonnulla poma, quæ exigui, & tenuioris sunt humoris propter frigus cum calido exhalante. Fuit tandem in hac diffinitione causa finalis addita scilicet immutatiua gustus, seu facultatis gustatiuæ de potentia ad actum, nam transitus de potentia ad actum perfectio est, finis autem quid optimum est ex libro 2. de anima text. 49. deinde finis sensus saporis ex Arist. libro 2. de part. animal cap. vltimo est cibi gratia, vt scilicet cognoscere sciamus, qui cibi sunt nutrientes, & qui non. Hactenus igitur est enarratum, quod sapor est passio quædam corporum mistorum profecta ex miscella aquosi humoris cum terræ siccitate calore interueniente, immutatiua gustus de potentia ad actum.

Dubitationes circa diffinitionem. Vbi autem fiat gustus, nunc non disputo. Sed objcies aduersus hanc allatam diffinitionem tripliciter, primo, nam multa sunt, quæ humiditate carent, & tamen saporem habent, ergo diffinitio non est exacta, patet antecedens, nam piper, cinamomum, cinis, ossa humida non sunt, & tamen sunt corpora saporosa.

Secundò ex Arist. lib. 2. phys. tex. 70. tria genera causarum coincidunt forma, finis, & efficiens, modo siccitas se habet vt materia, ergo non potest esse efficiens.

Tertiò siccitas est qualitas passiua, ergo non potest concurrere ad productionem saporis, vt efficiens, Antecedens est Arist. in lib. 4. metheor. consequentia est nota.

Solutiones. Adhæc, ad primum respondeo cum Buccaferreo in paruis naturalibus dupliciter, vel quod cinis non habet saporem actu, sed saporem acquirit ex humiditatibus ipsius linguæ, & quod dicimus de cinere intelligatur de cæteris, vel quod in cinere, & alijs remansit aliqua humiditas aquea, in qua sapot fundatur.

Ad secundum vera est Arist. authoritas pręsertim de efficienti principali quod non coincidit cum materia, attamen si fuerit efficiens instrumentale, vt est siccitas terræ in saporibus tunc potest cum materia coincidere.

Ad tertium respondent nonnulli qualitates dupliciter posse comparari, vel secundum se; vel respectum

ſpectum iſtorum, ſi primo modo conſiderentur tunc omnes ſunt actiuæ, & in hunc ſenſum locutus eſt Galen. libro 3. method. med. cap. 3. vbi omnes qualitates eſſe actiuas dixit, ſi verò ſecundo modo, ſcilicet reſpectu miſtorum, tunc duæ ſunt actiuæ, & duæ paſſiuæ, actiuæ caliditas, & frigiditas, paſſiuæ humiditas, & ſiccitas, & in hunc ſenſum inquiunt fuiſſe locutum Ariſtotel. libro 4. meteor. Sed nunquam mihi arriſit hæc reſponſio, primò, nam ex eodem Ariſtotel. loco citato habetur, quod ſiccum, & humidum ſecundum ſe conſiderata ſunt paſſiua, & non ratione miſtorum, ſic enim inquit textus, ſicca, & humida terminata, & alias dictas paſſiones patientia, & ipſa ſecundum ſe, & c. & in codice græco ἀυτάτε καθ' ἀυτα, hoc eſt ipſa ſecundum ſe, & non ratione miſtorum, ſecundo ex Ariſt. libro 2. de generation. & corrupt. cap. 8. habetur omnia elementa ſecundum ſe conſiderata eſſe actiua, & paſſiua, vbi de qualitatibus exemplificat, Galen. alibi ſcilicet libro 1. de nat. fac. cap. 3. duas eſſe actiuas, & duas alias paſſiuas affirmat. *Confutatur reſponſio quorundam.*

Quid ergo dicendum, cum videamus humidum facere humiditatem, & ſiccum ſiccitatem? An dupliciter reſpondendum, primo, quod non valet conſequentia, humidum facit humiditatem, ergo eſt actiua qualitas, nam ſicut non valet materia cauſat receptionem formarum, ergo eſt principium actiuum, nequaquam, ſic ad propoſitum, humidum cauſat humidum, ergo eſt actiuum, nego conſequentiam, ſed cauſat interminationem, quæ eſt paſſio propria, & forma humiditatis. Vel ſecundò, & forſitan melius cum Aluerniata dicendum ſiccum, & humidum eſſe minus actiua, magis autem calidum, & frigidum, nam ſi volumus ex rei natura philoſophari, certè inueniemus aliquales prouenire actiones ab humido, & à ſicco, cum alterum agat in alterum. Et ſatis. *Reſponſio vera ad argumētum.*

Quæ nam ſit præcipua ſaporum cauſa efficiens, quod eſt, de ſaporum principijs exactius diſputatur.

Theorema XXVII.



Am fuit ſupra in parte explicatum ſiccitatem cum humido aquoſo medio calore eſſe cauſam efficientem inſtrumentalem ſaporis, ſed rem altius repetamus, multiſque vijs, rationibus, & euidentijs rem hanc confirmemus ex Ariſtotel. deſumptis. Non igitur calor eſt cauſa afficiens ſaporis, ſed potius concauſa, non humidum abſolute, non calor, & humidum ſimul, ſed ſiccum terreum cum humido aqueo commiſtum medio calore, qui quidem concoquit, & incraſſat.

Vnde errant qui dicunt calorem eſſe cauſam efficientem, vt Maffeus libro 2. cap. 5. errat quoque Mercurialis libro primo, de compon. med. cap. 17. vbi ponit calorem cauſam agentem, & primo probatur, ex ijs, quæ à terra pullulant, vt à plantis, ſtirpibus, arboribus, oleribus ſingulis &c. quæ quidem omnia ideo ſunt vario, diuerſoque ſapore affecta, quia humore, ſeu liquore ad ſe attracto non eodem commiſcentur, fit autem commiſtio mediante terra, per quam humor ille nutrimentalis, qui plantas, arboreſque nutrit, tranſit, terra enim ratione ſiccitatis, & ratione humidi aquoſi eſt cauſa ſaporum omnium, eorumque varietatis, qui quidem humor imprimitur, ac imbibitur in ijs, quæ à terra pullulant, quare non aqua ſola eſt ſaporum cauſa. *Mercurialis & Maffei lapſus.*

Secundò idem patet experientia cuſtodum pomarij, qui quidem cuſtodes plantas aqua irrigant, & terram effodiunt circa radices, fimumque apponunt, vt ratione ſiccitatis fimi ſaporoſiores euadant fructus, plantæque citius ratione caloris fimi adoleſcant.

Tertiò idem patet experientia, nam ſunt quamplures fontes ſaporis amari, alij ſalſi, alij acetoſi, auſteri alij, qui quidem omnes ſapores non niſi ex terræ affectionibus varijs, quibus ipſa terra aqua inficitur, vnde non humor tantum, nec ſiccum tantum, ſed vtrumque miſtum cum calore ſunt ſaporum omnium cauſæ.

Quartò ſpecialius ad idem, nam ſalſus ſapor inquit Ariſt. quandoque efficitur, quia tranſit humor per terram huiuſmodi ſapore affectam, atque eumdem ſuſcipit ſaporem, quem ipſa terra habet, reperitur enim terra quædam ſalſuginoſa ſic producta ob commiſtionem exhalationis cum ipſa commiſtæ, veluti producitur mari ipſa ſalſedo.

Quintò ad idem, amarus aliquando euadit humor, quia per cinerem terræ huiuſmodi ſapore affectæ pertranſit ille humor. Sed dices, ſi terra eſt elementum, ergo ſapore, calore, & odore carebit. Quomodo ergo ab ipſa poſſunt ſapores prouenire. *Obiectio, et ſolutio.*

Reſpondeo vt diximus in theorematis de elementis, quod hæc elementa mundi non ſunt verè elementa, ſed miſta ſunt, quare poterit terra ſapores, colores, & odores retinere, vera tamen elementa, vt eſſe deberent carent illis affectionibus.

Sextò, & vltimò ſenſato exemplo idem demonſtratur eorum, qui coloratum aliquod corpus in aqua lauant, cuius corporis colore ſtatim aquam affici conſpicuum eſt, ſicut enim accidit his, qui pannos coloratos lauant, & his, qui corpus ſapore præditum aquis ſuper infundunt, ita à natura fieri credendum eſt, cum terræ ſiccum ab aquę humore lauatur calido mouente, principes tamen partes ſicco terræ debentur, cum humidum cum calore ſapores efficere nequeat, niſi terræ ſiccum intercedat. Patet igitur hucuſque rationibus, & experientijs ex commiſtione humoris cum terræ ſiccitate oriri omnes ſapores. Sed curioſè ſciſcitaberis, & magis ſpecialiter, quomodo hoc fiat.

X Re-

Specialior modus, quo modo fiant sapores.

Respondetur hoc fieri ratione cuiusdam alterationis, & contrarietatis, nam humidum sicco est contrarium, ideo cum per terram colatur humor patitur, & maxime à terræ siccitate, multoque magis ab hac, quàm à siccitate ignis, nam siccum primò inest terræ, secundariò igni, cum igitur fiant actiones à contrariò, meritò patitur humidum aqueum à sicco terræ.

Quis autem calor sit saporis concausa non oportet quærere, nam theorema est vniuersale de omnibus saporibus, ergo omnes calores concurrunt, natiuus, elementalis, solaris, & vniuersi. Vnum tamen hic memoriæ mandandum diligenter est, non quodcunque siccum cum humido mistum esse saporum causam, sed tantum siccum gustabile, nam si non est gustabile ab ipso producuntur odores, est autem gustabile, quatenus nutritiuum est, ex eo enim ali, atque nutriri debent animantia omnia. Est autem gustabilis, & nutritiuus maxime sapor dulcis.

Sapor dulcis maxime nutrit, & cur.

Hinc illud commune adagium omnia dulcia, & sola nutriunt, cæteri verò sapores, vt ponticus, salsus, acidus &c. condimenti gratia fiunt, vt propter illorum gustus excellentiam satietatem obtundant, appetentiamque progignunt. Soli igitur sapores dulces maximè nutriunt, & maxime sunt nutriendis corporibus accommodati, vt Arist. dicebat 21. sect. probl. 13. & Gal. libro 4. de simplic. med. fac. cap. 10. dulcia enim sunt suauia, & grata, iucundaque naturæ. Hactenus igitur dictum est sapores exoriri ex terrę siccitate aquea humiditate commista calore interueniente, & hæc siccitas est præcipua causa efficiens instrumentalis saporum.

Quid alij senserint.

Prima sententia Anaxag. Democriti.

ANaxagoræ atque Democriti opinio fuit, vt Aristotel. innuit libro de sens. & sens. capit. quarto, omnium saporum principium esse ipsam aquam, veluti eorum seminarium, actu tamen in ipsa nullum esse saporem, non tamen aquam, secundum vnam, & eandem partem, sed secundum varias, & diuersas saporũ omnium esse susceptiuum, in vna enim aquæ portione vnam saporis speciem contineri, in alia aliam, & sic deinceps seruari asseuerabant, aqua igitur secundum istorum priscorum philosophorum sententiam ex sui habilitate ad omnes saporum producendas species accipi, & intelligi debet, vt omnes sapores fiant ex aqua, alius autem ex alia illius producatur parte, & secundum aquarum differentias diuersi fiunt sapores. In hac tamen istorum opinione ex Theophrasto libro 6. de caus. plant. cap. 1. notandum est, quod Democritus, & cum eo Leucippus, Epicurus, & Lucretius in ea fuerunt opinione, vt asseuerauerint principia omnium rerum naturalium esse atomos illos diuersos ordine, & figura constantes, ideo ex diuersis atomis generantur diuersæ partes humidi, ex quibus diuersis partibus humidi generantur diuersi sapores. Ad hanc istorum supradictam sententiam possumus reducere neoterici cuiusdam Laurentij Grilli opinionem, quæ abstrusa, & incognita nobis quædam seminaria admittit, quæ pro vt sunt varia, & diuersa, ita varij, & diuersi oriuntur sapores, quæ quidem opinio non est adeo noua, vt antiquorum monumenta non redoleat, quæ rectè à Mercuriali confutatur libro de compos. med. cap. 19.

Cõfutatio.

Et vt aliquid aduersus priscorum supradictorum philosophorum sententiam dicamus, sciendum est, quod partium diuersitas, quam illi astruebant non est causa saporum diuersitatis cum ab vna, & eadem parte plures prodeant sapores, veluti hoc patet manifestè in plantis, quæ varios habent sapores ex eodem humore attracto, nam alius sapor est in folijs, alius in cortice, alius in fructibus, imo in eisdem fructibus sunt varij sapores, ergo non à diuersis humoris partibus fiunt diuersi sapores. Adde si placet, nam nos videmus ex eodem assumpto alimento diuersa nostri corporis nutriri membra, vt ossa, carnes, cor, pulmones, &c. quæ omnia varijs nutriuntur saporibus, nam pulmo, & cor sanguine bilioso, cerebrum phlegmatico, ossa melancholico, caro temperato, qui quidem humores varios sortiuntur sapores, vt diffusè diximus in tract. de humoribus, ergo partium diuersitas non est in causa saporum diuersitatis, neque ab aqua tantum fieri sapores credendum est, & hæc satis contra hanc Democriti, & cæterorum sententiam, qui plura videre cupit legat Theophrastum lib. 6. de caus. plant. cap. 2.

Secunda opinio Empedoclis.

Secunda sententia fuit Empedoclis, qui volebat aquam in se in actu continere omnium saporum species, quare secundum Empedoclem sapores in actu sunt in ipsa aqua. Vnde secundum Alexandrum hæc secunda sententia differt à prima, nam prima sententia in actu in aqua non ponebat sapores, sed potentia in aqua, atque volebat humorem esse materiam ex qua sapores educantur secundum diuersas partes. Secunda verò sententia vult sapores in actu existere in aqua, neque aquam se habere vt materiam, ex qua extrahi possint sapores, sed potius materiam esse, in qua sapores omnes continentur, & vt locus ad locatum se habet, ita aquam ad sapores se habere.

Cõfutatio.

Sed rectè hæc sententia impugnatur ab Aristotel. libro de sensu, & sens. nam inquit, si actu in aqua sunt sapores, tunc plantas, stirpes varias varijs saporibus affectas ab attracta aquã esse oporteret, quando non amplius trahunt, nullas in pomis, & fructibus fieri saporum permutationes, sed illos tantum permanere, qui à principio ab aqua fuere extracti, at experientia docet oppositum, nam post decerpta ab arboribus poma si in sole, vel aliquo loco calido constituantur ab illius caliditate multifariam permutari, quare nec ab aqua, nec ab alio in aqua existente fiunt sapores.

Idem etiam probat Alexander exemplo fructuum, nec non de vino, & oleo, quæ cum in vasibus coquuntur sapores permutant.

Quare falsissima protulit Empedocles.

Tertia opinio.

Tertia opinio quorumdam fuit asserentium aquam esse materiale principium, atque totale, eamque indifferenter ad varias saporum differentias se habere, non tamen vti præcedens opinio, quæ voluit secundum diuersas fieri partes, sed ex quacunque aquæ parte quemlibet saporem oriri posse, & subiungunt, quod causa quare in aqua varij innascãtur sapores est, aut sol, aut calor aliquid nunc

Cõfutatur.

magis, nunc minus concoquens.

Sed

Sed contra, nam manente sole, vel calido, & materia vt humore non fiunt sapores, ergo non est causa efficiens aqua, & calor, nam aqua nequit incrassari à sole inquit Aristotel. modo sapores incrassando, & concoquendo procedunt, & licet aqua, vt nunc est, non sit purum elementum, tamen non potest ad tantam crassitiem, & coctionem peruenire, vt inde sapores procreentur. Ergo calor, & aqua non sunt saporum causæ efficientes, ad superius igitur theorema recurrendum est, vbi veram causam demonstrauimus.

Quo pacto fiant singuli sapores.

Theorema XXVIII.



VT de saporibus exactior habeatur intelligentia discutiendum est, quo pacto saporum vnaquæque species fiat, deinde ad numerum eorum pertransibimus. Sciendum itaque est, varios procreari sapores, vel à varietate subiecti, vel à varietate causæ agentis, & concausæ vario modo in eius actione se habentis, etenim vel fit commistio humidi cum sicco, cum debili, & diminuto calore, vel cum excedente, vel commistio erit talium medio modo se habentium, si commistio fit humidi cum sicco, & cum diminuto calore, tunc vel fit actio in materiam crassam, & terrestrem, vel in materiam subtilem, aqueam, & aeream, vel in materiam medio modo se habentem inter subtile, & crassum, terrestre, & aquosum, si commistio fit humidi sicco à calore diminuto in materiam terrestrem, tunc acerbus gignitur sapor, qui sub alio nomine stipticus nuncupatur, qui propriè est in myrti fructu, necnon in immaturis herbis, vel fructibus, cuius officium est astringere, atque in vnum coarctando colligere, cuius causa est, quoniam sapor acerbus fit in substantia terrea, & à calore diminuto, cum autem terræ sit ad centrum exiccando trahere, cum sicca sit, non igitur mirum si tota lingua ex ipsius gustatu ligari videatur. *Acerbus, seu stiptic. sapor.*

Si autem commistio fiat humidi cum sicco à diminuto calore agente in materiam subtilem, siue sit aquea, siue aerea, cum ex supposito sit diminutus calor, & per consequens non possit dominari ipsi materiæ, ob ipsius diminutionem attenuabit, rarefaciet, & subtiliabit aliquo modo materiam ipsam, hæc enim sunt caloris proprietates, ex qua commistione acetosus pullulabit sapor, qui in aceto apertè conspicitur, cuius officium est morbicando penetrare, & ratio est, quoniam cum huiusmodi sapor ex subtili, & humida procreetur materia hinc facilè penetrabilis, qua ex parte ex frigido, seu diminuto calore factus est, sic morbicabit cum huiusmodi sit frigidi proprietas. Si vero commistio fiat humidi cum sicco à calore diminuto agente in materiam medio modo se habentem inter crassam, & tenuem, tunc ponticus, seu austerus generabitur sapor, qui in limonibus, & alijs fructibus conspicitur, cuius officium est exasperare linguam, causa est, quoniam austera habent humiditatem quamdam, ratione cuius linguam exasperant. Si verò commistio fiat supradictorum à calore non imbecillo, sed in excessu, & agat in materiam terrestrem, ita vt aduratur materia illa terrestris, tunc sapor amarus appellatus generabitur, qui maxime est in sicco distemperatus, vnde ex rei natura opponitur acido, qui reperitur in genista, absynthio, pellibus, & in melle combusta quod amarissum euadere testabatur Galen. Huius saporis est proprietas separare linguam, soluere continuum, & aperire, nec immeritò amarus, nam ab adurente calore concausatur, cuius proprium est à centro ad circumferentiam trahere dilatando, & aperiendo, quæ omnia soluere continuum valent. Si verò fiat commistio humidi cum sicco à calore adurente, sed in materiam subtilem, tenuemque, tunc fit acutus sapor, siue acris, qui in multis aduertitur, & præsertim in pipere, gingibere, nastursio, cinnamomo, pyrethro, &c. cuius officium est mordicare linguam, & easdem producere operationes, quas amarus producit, mitiori tamen modo, ratione tenuitatis materiæ. *Acetosus. Austerus, seu ponticus. Amarus. Acutus, seu acris.*

Si verò commistio fiat humidi cum sicco à calore medio modo se habente in aducẽdo materiam medio modo se habentem, tunc generatur sapor quidam medius inter amarum, & acutum, qui salsus venit appellandus, qui propriè in sale, & aqua maris reperitur, & easdem habet operationes, quas habet acutus, & amarus, sed mitiori modo, cum enim salsus sapor sit medius inter amarum, & acutum, consequenter est compositus ex causis medio modo se habentibus.

Si tandem commistio fiat humidi cum sicco à calore temperato, ita vt non sit in excessu, nec in diminutione, & temperata adhuc sit materia, non crassa omnino, nec omnino tenuis, dulcis sapor emergit, qui quidem medius est inter alios sapores, & omnium perfectissimus, cuius illud signum est, quod cum homo inter cętera animalia temperiem magis exquisitam habeat, dulci alimento maximè nutritur, ac oblectatur, tamquam quid magis simile, & magis conueniens suæ temperaturæ, qui in melle, & vuis, & alijs reperitur, cuius est proprium dilatare, aperire parum, & tandem corpus in suo temperamento conseruare.

Vnde ex tanta saporum varietate, & ex tantis diuersis operationibus, seu immutationibus, quæ à saporibus procedunt Platonis in Timæo opinioni assentiri non possum, qui ad duo genera communissima reduxit saporum omnium species, & eorum immutationes, seu affectiones, scilicet ad constrictionem, & ad dissipationem, nam sunt plures, vt patet ex singulis speciebus saporum. *A Platone recedit.*

Quot sunt saporum species, et quis sit eorum ordo.

Theorema XXIX.



Insipidus non est sapor.

X his, quæ supradicta sunt apparet septem esse saporum species, scilicet acerbum, seu stipticum, acetosum, ponticum, amarum, acutum, seu acrem, salsum, & dulcem, hoc testante etiam Plat. in Timæo, Arist. libro 2. de anima tex. 105. & in paruis naturalibus, & Theophrast. lib. 6. de caus. plant. cap. 4. Insipidus autem sapor non debet annumerari in hoc ordine, vt perperam fecisse videtur Auic. libro 2. tractat. 2. cap. 3. nam non est sapor, sed priuatio saporis, pinguis ad dulcem saporem reducitur, suauis quoque sapor, & lacteus, quos ponit Plinius libro 15. cap. 22. ad dulcem reduci possunt, sapor verò ille vinosus, piccans dictus non propriè dici debet sapor, sed qualitas tactus, nam penetrando linguam soluit continuum, modo cõtinui solutio ad sensum tactus pertinet; de piccante sapore videndus Hieronymus Confortus Brixiensis, sapor acris, & acutus sunt vnum, & idem, ergo male nonnulli tredecim saporum species multiplicant cum tantum sint septem, veluti, & septem principales species coloris, vt in tractatu de coloribus diximus, vnde entia absque necessitate non sunt multiplicanda.

Qui sunt maximèoppositi sapores.

Deciditur controuersia.

Illud tamen in hac materia maximam difficultatem facit, quæ quamplurimorum sapientum extorsit animam, scilicet qui sint mxime oppositi sapores inter se, nam Arist. videtur dicere libro 2. de anima, & cap. 4. de sensu, & sens. esse dulcem, & amarum. Gal. libro 4. de simpl. acutum, seu acrem, & ponticum, alij amarum, & acidum, omnesque suas afferunt rationes, suaque habent motiua. Nos autem, qui solide philosophari enitimur, hanc controuersiam sic componendam esse censemus ab ipsa rei natura exorsi. Cum enim sapor erat, vt supradiximus passio quædam humidi à sicco, medio calore, &c. nunc ab essentia rei tota litis discussio pendet, ita vt sapores possint tribus modis considerari, vel primò ratione causarum efficientium, & productiuarum ipsorum, & hoc est secundum eorum naturam, & secundum se, vel secundò ratione concomitantium, scilicet concausæ efficientis, vel tertiò ratione sensus gustus. Ratione primi clarum est oppositionem, seu distinctionem esse sumendam ex natura rei, & secundum se, & ex causis essentialibus, & efficientibus, modo causæ essentiales, & efficientes saporum, vt supradiximus sunt humidum cum sicco, ergo sapor ille, qui maxime sequitur distemperamentum in sicco est amarus præcipuè, nam in hoc est siccitatis excessus, sapor verò ille qui maximum habet distempetamentum in humido est acidus, vnde sapor amarus, & acidus maximè sunt adinuicem oppositi, atque contrarij, & hoc ex natura rei, nam effectus contrarij causant causas contrarias ex Arist. lib. 2. de generat. & corrup. tex. 56. & lib. 4. metheor. tex. 40. Ergo nos ex natura rei philosophantes asserimus amarum, & acidum sapores maxime esse contrarios, atque Arist. miramur, qui dulcem, & amarum esse valde oppositos autumauit, cum ipse fuerit maximus naturæ rimator, sed forsitan respexit ad communem dicendi modum, & ad sensum gustus. Ratione secundi scilicet cõcausæ effectiuæ caloris scilicet, clarum quidem est acutum, seu acrem, & ponticum esse maxime contrarios, & oppositos adiuicem, nam cum ad productionem saporum maxime requirebatur calor, vt concausa, tunc illi sunt maxime sapores oppositi, vbi multa est caliditas, & vbi vel nulla, vel exigua, sed acutus, & ponticus sunt huiusmodi, nam acutus, seu acris maximam habet caliditatem teste Gal. lib. 4. de simpl. med. fac. ponticus è contra, quare acutus, & ponticus sunt maxime contrarij, & inter se distantes, & non dulcis, & amarus, nam dulcis consistit in calido temperato, amarus in calido in excessu, & hanc oppositionem in saporibus aduertit Gal. quam infringere nixus est Auer. lib. 2. de anima, & libro 5. colliget. cap. 27. vbi hanc oppositionem, seu distinctionem saporum non esse per essentialia confessus est demonstratiuè inquit ipse, nam amaritudo modo est ex calore, modo ex frigore, vt inopio, & absynthio. Verum Gal. dicta, vt plurimum sunt intelligenda, quamuis de opio aliàs à nobis dictum est, quid sit sentiendum. An verò omnes sapores amari à calido fiant, nec ne videndus Valleriola lib. 1. enarat. med. enarat. 4. & Mercurialis lib. 1. de compos. med. c. 19. vbi hanc materiam exactè disputat. Gal. ergo rectè processit, vt enim medicus considerauit corporum tamperamenta per sapores esse dignoscenda. Vnde fortassis minus errauit. Galen. quàm Arist. cum Arist. non sumpsit distinctionem ex natura rei, sed à sensu gustus, & à communi dicendi modo. Gal. autem magis accessit ad rei naturam in hac saporum oppositione, verum neuter attigit scopum.

Sapor amarus, & acidus ex rei natura sunt oppositi.

Mirandus est Aristot.

Acutus, & põticus sũt etiam oppositi.

Amarus, et dulcis sunt etiam oppositi ratione sensus gustus.

Ratione vero tertij scilicet sensus gustus, maxime quidem videntur oppositi dulcis sapor, & amarus, nam dulce est naturæ amicum, & delectabile maxime, è contra amarum, & hos dixit esse valde oppositos Arist. Sed tamen secundum rei naturam dulcis non videtur esse ex rem è oppositus amaro, nam quemadmodum viridis color oblectat sensum visus, quia est in medio, & in mediocritate, & temperie consistit, & tamen non dicitur oppositus albo, ita de dulci & amaro philosophandum, sed fortassis Arist. ad communem dicendi modum respexit. Cum itaque secundum rei naturam, & essentialiter nõ opponatur sapor dulcis, & amarus, sed potius aeidus, & amarus ex his valde extremis, & oppositis, cæteri sapores medij generantur, & non ex dulci, & amaro, verum medij sapores non generantur ex extremis saporibus, actu ibi inexistentibus, sed potentia, & virtute, nam oriuntur ex commistione causarum extremarum, vt de medijs coloribus diximus, & hæc satis.

De salsedine maris.

Theorema XXX.



QVoniam per plura theoremata de natura saporum diuagati sumus, doctrinæ affinitatis ergo, nonnulla de maris salsedine disputanda haud ab re fore duximus, eoque magis hanc prouinciam suscepimus, quoniam in se præclarum, & celebre satis est hoc problema, non mediocri difficultate scatens ob varias varie sentiētium opiniones. Nos itaque breuiter quid ex vberrimo Peripateticorum fonte diu, noctuque hausimus in medium afferre non grauabimur. Salsedinis igitur maris vera putanda illa causa est, euaporatio partis tenuis, subtilis, ac dulcis solis actione perenni, ipsaque sicca exhalatio à calore combusta.

Itaque mare non immeritò redditur salsum, cum enim ab ipso assidue sol attrahat dulces, leues, subtilesque partes, remanet ipsum, vt subsedimentum quoddam, superuenit deinde ad mare spiritus siccus, & adustus, qui causa adhuc est ipsius salsedinis. Siccus verò iste halitus sursum attractus à terra ope radiorum solarium in nubem, & aquam cogitur, deinde cum aqua pluuiali commistus descendit ad maria, efficitque salsedinem. Auer. addit non solum siccas exhalationes cum aquis descendere, sed repelli à frigiditate nocturna. Cum enim in die halituum magna copia in superum deferatur locum, in æstate potissimum, & in regionibus calidis noctis frigiditate grauescunt, & sic illorum magna pars cadit in maria, veluti ros diluculo cadit in terram, huncque descensum, ac ascensum exhalationum ordine quodam fieri, dicebat Arist. libro 2. metheor. Hæ igitur sunt salsedinis causæ, & hic est modus. Quæ quidem sententia pluribus experientijs, rationibusque confirmatur, & primò videmus sensata experientia cadentes è cælo imbres tēpore Autumni austris præsertim flantibus, tūc esse salsiusculos, & non ob aliam causam, quam ob magnam exhalationum copiam, quam secum spiritus ille siccus includit.

Secundo maris aqua non ob aliam rationem est calida, nisi ob fumidam exhalationem, calidum esse mare, iam sæpe sæpius decantauit vbique Philosophus, tunc cap. de salsedine maris libri 2. metheor. & libri 3. de generet. animal. cap. vltimo, tùm etiam sexcenties in problematis, cuius causam retulit, & in spiritum siccum, & in maris crassitiem, atque corpulentiam. Quinimò experientia sensata constat ipsum esse calidum, nam regiones ad mari sitæ magno frigore non infestantur, idem etiam confirmant in eo se lauantes, qui citius, quam in alia aqua resiccantur. *Mare cur calidum.*

Tertiò ex eademmet experientia, si quis enim vas cereum effinxerit, & vndeque ipsum bene stipatum in mare posuerit, dubio procul post aliquod temporis spatium cum humor aliqualis in vas ingrediatur, ille humor dulcis, & potabilis erit, quam experientiam docuit nos omniscius Arist. cap. de salsedine maris, & libro 8. de hist. animal. cap. 2.

Quarto non ne maris aqua longe grauior, atque crassior est fluuiali? Hinc oritur, commodius nos posse supernatare in maris aqua, quàm in fluuiali, hinc est nauigia onusta facilius in maris, quàm in fluminum aqua sustineri.

Id ipsum Palæstinæ lacus nobis ostendit, si quis enim in tale stagnum obligatum hominem, aut iumentum immerserit, supernatat, & non demergitur, imaque petit. Quod etsi fabulosum visum Arist. fuerit, verum tamen esse ab omnibus scriptoribus posterioribus est memoriæ mandatum. Testatum reliquit hoc Plinius naturalis hist. libro 5. cap. 16. Strab. & Galen. libro 4. de simpl. med. fac. Patet igitur ex his sufficienter, arbitror, ad aures peripateticorum, & eorum Principis Arist. maris aquæ salsedinem fieri ob euaporationem tenuis, subtilis, & dulcis partis solis actione continua, & ob siccam exhalationem à sole combustam, ita vt non sit quælibet exhalatio, sed illa, quæ à nimio calore est combusta.

Sed obijcies sunt ne aliquæ causæ, præter has dictas, quæ videntur esse efficientes. Respondeo esse formalem, finalem, & materialem. Formalis causa est ipse met sapor, cum genus in accidentibus locum habeat formæ, finalis est ipsamet varietas, & differentia specierum saporis, materialis causa est ipsamet aqua, in qua tamquam in subiecto salsedo subiectatur. *Obiectio. Solutio.*

Quid alij senserint.

QVorumdam opinio fuit teste Aristotel. libro secundo, de salsedine maris asserentium maris aquam sua natura dulcem esse, & fuisse, sed fluminum terram varijs saporibus affectam secum deferentium in cursu salsam esse factam. Quæ sententia nullo pacto est recipienda, iureque optimo ab Arist. inculcatur. *Prima sententia. Cōfutatio.*

Nam fieri nullo modo potest, vt in tanta aquarum copia sapor ille salsus sentiatur, qui tamen in singulis fluminibus, in quibus maxime percipi debebat, non persentiatur, constat enim fluuios omnes esse dulces.

Secunda fuit opinio Anaximandri teste Gal. libro de hist. philosophica asserentis, mare fuisse reliquias quasdam, nam maiori parte, quæ dulcis erat, igni scilicet, solari actione consumpta, reliquum quod extenuari non potuit amarum substitisse, & ad hanc opinionem conuocare possumus Anaxagoram, asserentem continua solis ob ambulatione mare vri cepisse, atque ita factum est, vt dulci, & pingui in vapores oblato reliquum, & amarum, & salsum remansisse. *Secūda opinio Anaximandri. Cōfutatio.*

Verum hæc istorum opinio stare neutiquam potest, nisi aliam concesserimus causam, scilicet exhalationem calidam, & siccam, quæ aquæ maris immiscetur. Vnde diminutè sunt philosophati, tantum vnam causam ponentes.

Tertia opinio. Tertia opinio fuit Empedoclis, Heracliti, & Antiphonis asserentium mare ideo salsum esse, quoniam est sudor terræ, æstuat enim terra à solari calore, vnde sudorem fundit, eumque maris fluctibus elutum salsedinis causam esse.

Cõfutatio. Sed contra hanc opinionem istorum argumenta multa sunt pugnantia, primò patet hanc istorum opinionem totam esse certè ridiculosam, cum metaphoris, quæ non philosophorum, sed Poetarum in explicanda causa salsedinis maris vtatur. At hæc reprehensio congruit Empedocli, quippe qui Poeta fuerit ipse, & carmine philosophiam conscripserit, ob id fortius secundò contra ipsum arguo. Si quando philosophi translationibus vtuntur earum causam, explicationemque afferant oportet, quod quidem non expressit Empedocles. Idcircò nobis, qui nam fiat sudor iste salsus cum Arist. breuiter est explicandum. Aut enim fit aliquo tamquam eius parte dulci abscedente, & in animalis corpus assumpto, aut aliquo admisto, vt aquis, quæ per cinerem colantur contingit. Qua ex re patet, sudorem, atque vrinam esse salsas. Illud enim in corporibus salsum, amarumque remanet, quod à vi naturalis caloris non vincitur, & cum dulcissimæ, leuissimæque partes totæ ad corpus alendum confestim sint assumptæ, remanent alienæ, & crudæ, quæ partim deorsum collabuntur, vt vrinæ, & fæces, partim in corporis summa emergunt, quæ sudores appellantur. Itaque in cruditatem, atque rei crudæ admistionem salsi saporis causa referenda erat, quæ cruditas, quæ ve rei crudæ mistio quomodo insit terræ, aut maris aquæ, quam terræ sudorem ineruditè statuit Empedocles, nec docuit ipse, nec satis plenè ab ipso poterat explicari.

Tertio si mare sudor est terræ, tunc sequeretur de ratione excrementi, quod sit in minori quantitate constitutum mare eo humore, qui continetur in ipsa terra, quod quantum pugnat sensui nemo est, qui non videat, quamuis enim multi intra terram lacus, ac stagna esse concederentur immò tota sit humecta terra, omnique ex parte stillet, non eam tamen aquæ molem, quanta est maris vastitas intra se illam coercere probabile videtur.

Sequeretur quarto, vt inquit Arist. eisdem semper causis manentibus, eundem effectum semper existere oportere. Cum igitur terra nunc sole ex calefacta, & exiccata non sudet, nec salsum humorem ex se reddat, colligitur, ne primò quidem vlla excalfactione, aut exiccatione exudasse. Hæc in Empedoclem.

Quarta sententia. Quarta opinio Platonicis attribuitur, & præsertim Metrodoro asserentibus mare salsum esse ob multas terræ partes, quæ sunt in imo maris, salsas, & in centro terræ, mare salsum esse effectum, & fieri salsum, & crassum, non aliter, atque transmissa per cineres, montesque salinos, aqua fieri salsa solet.

Cõfutatio. Quæ quidem opinio probabilis est, attamen non est ex omni parte vera, cum non vndique reperiantur tales partes salsæ, montesque salini. Diximus hanc opinionem esse probabilem, nam claro videmus granum exiguum salis magnam aquarum quantitatem salsam efficere. Non tamen negamus partes has terræ salsas conducere aliquantulum ad maris salsedinem, cuius veræ causæ in priori parte theorematis fuere explicatæ, & hæc sufficiant.

Quæ contra dicta de salsedine maris pugnant.

Theorema XXXI.



VErum quoniam aduersus explicatam sententiam de salsedine maris multę sunt, atque perarduæ difficultates, ideo illas in medium afferemus, atque pro viribus soluemus, & primo dubitatur aduersus primam causam, scilicet euaporationẽ, nam aqua est corpus homogeneum, & simplex, ergo non potest diuidi in partem tenuem, & crassam, si ergo non habet hanc partium diuersitatem, proculdubio erit expers omnis saporis, non ergo pars tenuis erit dulcis, nec pars crassa erit salsa.

Secundo nam sequeretur quamlibet aquam dulcem, & bullientem salsam fieri actione ignis, nam ebulliens aqua conuertitur secundum partes leues in vaporem, & secundum crassas remanet.

Tertio ipsemet Arist. aduersus antiquos disputans reiecit hanc causam, scilicet euaporationem, tanquam non sufficientem.

Quarto contra siccam exhalationem, nam cum non semper sint exhalationes, mare aliquando foret dulce, vt tempore hyemis, cum nullæ ferè cadant è cælo exhalationes, tempore tamen æstatis mare salsum esset, cum maximę sint exhalationes.

Quinto non potest esse in tanta quantitate hæc exhalatio, vt totum reddat mare salsum, aut enim prouenit exhalatio ista in fundo maris agente sole, & hoc non, cum non possit esse tanta solis actio, vt in fundum maris agat ob aquarum magnam vastitatem, aut hoc est ex pluuia, & hoc non, cum omnis è cælo cadens pluuia sit dulcis, aut hoc ex ventis est suo flatu deferentibus tantam siccam exhalationem, sed hoc nequaquam, quia cessantibus ventis, mare redderetur dulce tot fluuijs præsertim ingredientibus ipsum, aut hoc est ex partibus terræ mari vicinis, sed hoc minimè, cum sit exigua exhalatio

exhalatio illa educta respectu magnitudinis aquarum, ergo non potest colligi tanta spiritus sicci copia, vt salsum reddatur mare.

Sexto cum exhalatio sit leuis, sursumque petat, equidem non video modum, quo possit aquæ maris admisceri.

Septimo contra vtranque causam arguitur, nam si hæ duæ causæ sufficientes essent proculdubio fluuiales aquæ essent salsæ, cum ipsæ possint recipere vtranque salsedinis causam, & euaporationem & siccam, & adustam exhalationem, sed experientia docet oppositum, cum aquæ fluuiales semper sint potabiles, ac dulces.

Octauo tunc ob duas istas salsedinis dictas causas, mare salsius semper euadere deberet, cum iterum, atque iterum fiant euaporationes, atque denuò cadant exhalationes assiduè, sed sensus hoc non docet, cum semper mare habeat æqualitatem salsedinis. Sed ordine respondeatur cunctis obiectis.

Ad primum negatur mare, vt nunc est, esse corpus simplex, & homogeneum, nam saltem secundum sensum esset homogeneum, simplex tamen non est ob cælorum, & astrorum perennes actiones. *Solutiones argumentorum.*

Ad secundum de aqua dulci, & bulliente dicimus, ipsam ex se solam euaporationem non sufficere, sed siccam, & adustam exhalationem requiri, quæ sunt duæ causæ sufficientes salsedinis, modo aqua dulcis, & bulliens vnam tantum habet causam, & ideo salsa non redditur.

Ad tertium patet solutio, nam Aristotel. illam causam reiecit, quia se sola non sufficit, nisi adsit secunda causa.

Ad quartum dicimus, quotidie euocari exhalationes, negamus ergo tempore hyberno non descendere, immò si plures in hyeme, quàm in æstate decidere dixerimus, paradoxum non erit, ęstatis tempore sursum elatæ exhalationes à nimio solis ardore accenduntur, atque in flammam vertuntur, quod non contingit hyberno tempore.

Ad quintum dicimus ex omnibus illis quatuor cap. emergere spiritum siccum. Nec obstant probationes, nam dicimus pro primo capite solem posse agere non in omnes imas maris partes, vt Albertus, & alij dicunt, cum maris imum aliquando sit saxosum, sed in partes illas præsertim, quæ littoribus sunt vicinæ, quæ ve limosæ, & non saxosæ sunt.

Ad secundum caput dicimus pluuiam ex se solam de cælo cadentem non esse causam salsedinis, sed spiritum illum siccum, & adustum, quā secum ipsa gerit, quemve ipsa plerumque ad mare propellit, cum iam à terra sit spirirus ille excitatus.

Ad tertium caput dicimus nunquam cessare ventos, at si ipsos cessare dixerimus, quod proculdubio non erit, cum si in vnico die cessant, in alio resurgant, nonne sufficientes esse poterunt aliæ dictæ causæ?

Ad quartum caput dicimus non esse exiguam exhalationem illam eductam è partibus illis mari vicinis, at si exigua erit, nonne coadiuuatur ab alijs?

Ad sextum principale respondetur cum Olympiodoro, fumidam exhalationem misceri cum aqua cadenti, ipsamque aquam ipsam propellere, & sic aquæ maris misceri, & cum Auer. exhalationes sursum elatas de die, nocturno tempore grauescere, & decidere in maris aquam.

Ad septimum, aliorum omissis responsionibus, ne nostra in immensum excrescat oratio dicimus, aquas fluuiales non reddi salsas ob hanc potissimam causam, quia cadens è cælo spiritus siccus non immiscetur internis partibus ipsius aquæ fluuiorum, nam frequentissimè placidè fluunt, & inrer cæteras conditiones requiritur, vt illa cadens exhalatio singulis partibus immisceatur, quod fieri non potest aquæ fluuiorum partibus non fluctuantibus, idque contingere dicimus, ne dum in fluuialibus aquis, sed etiam in lacustribus, stagnantibus, & palustribus, & cadens è cælo pluuia in superficie harum aquarum detinetur, & profundo non immiscetur, motu deficiente, vt dictum est. Quod si quis obijceret in superficie debere esse saltim salsiusculas.

Nos dicimus id non euenire eo, quod solares statim succedunt radij, iterum attollentes sursum partes illas salsiusculas, & hanc veram esse responsionem duabus experientijs demonstratur, nam irruentibus fluminibus in mare aqua in superficie recipitur, vt experientia constat, quod si motus maris non sequeretur, tota superficies dulcis esset. Adhuc est experientia compertum, maris aquam in fundo potabilem magis esse, quod ab alio prouenire non potest, nisi quia fluctuatio non est in ima maris parte, vt est in superiori. Hæc ex Olympiodoro, & Buccaferreo. Ad octauum dicimus cum Aristotel. salsedinis æqualitatem seruari ex eo, quia maris, idest aquæ salsæ pars quædam vna cum dulci attollatur, quæ quidem pars salsa dulci parte tanto est minor, quanto in pluuia decidente id, quod est salsum ab eo, quod dulce est superatur, & sic secundum hunc ordinem salsedinis æqualitatem ser uari dicebat Aristotel. Sed non plura.

An amara omnia interficiant fœtum.

Theorema XXXII.



Quæ sunt ista amara.

DIffinitiua sententia Gal. est libro 8. de simpl. med. fac. cap. de cucumere agresti amara omnia, & quæ subtilium sunt partium, si quam habet caliditatem, fœtum interimere. Hanc eandem sententiam confirmat luculenta satis oratione Auic. libro 3. fen. 21. trac. 2. capitul. 12. vbi dicit amara, & acuta interficere fœtum. Hic tamen vnum adnotandum est, amara ex Iacobo de Partibus in expositione illius loci esse veluti absyntium, aloem, semen contra lumbricos, folia persici, centauream minorem, genus omne fellis, amygdalas amaras, acuta, vt Euphorbium, piper, pyrethrum, staphisagriam, nigellam, gentianam, sinapim, aristolochiam, & inter omnia præcipuè primum locum habet ex Gal. libro 8. de simpl. med. fac. cap. proprio elaterium, & myrrha, hæc enim per amaritudinem occidunt fœtum, & lumbricos, quæ omnia tàm per intro, quàm si foras admoueantur abortum faciunt, medicamenta etiam composita amara faciunt abortum, vt theriaca, pillulæ omnes, & hiera Arthigenis, & Gal. Sed quomodo amara enecant fœtum, & lumbricos? An quia amarum hominibus, & viuentibus est inimicum ex Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 20. est autem adeo infensum, & inimicum, quia cum animal omne plus, minusve sit humidum, vita enim est mansio calidi in humido, amarum autem in sicco præpolleat, non aliter quàm cinis, & puluis. Hinc Gal. dicebat loco supra citato in lacu quodam Palæstinæ esse aquam adeo amaram, vt nullum animal ibi viuere possit.

Dubitatur de Rhabarbaro, & agarico.

Sed dubitatur de rhabarbaro, & agarico, quæ amara sunt, & tamen de rhabarbaro inquit Mesues conuenire grauidis, & medici in dies illud propinant ægrotis fœmellis grauidis. Certè non est contemnenda præsens difficultas inter Mesuem, & experientiam ex vno latere, & ex altero inter Gal. & Auic. An dicendum Gal. & Auic. esse intelligendos de summe amaro sapore, quo pacto non est rhabarbarum, & agaricum, nam rhabarbarum præter amaritudinem, quæ ferri potest habere videtur stipticitatem quamdam, & Agaricum ex Mesue primo gustu est dulce, quamuis ego semper amarum obseruo, attamen non habet tantam amaritudinem, & quia tantam amaritudinem hæc medicamenta non possident, ideo possunt exhiberi, eoque magis, quia cum tantam non possideant amaritudinem, non est credendum protinus amarorem ad fœtum peruenire, & si perueniat satis refractus, atque remissus, castigatusque peruenit.

Solutio.

Quinimo nos obseruamus, quod de se sola hæc non exhibemus, sed cum dulcibus admiscemus, vt est syrupus de nouem infusionibus rosarum rubearum, vel persicarum, vel cum manna. Et addo quòd nos damus de his medicamentis paruam quantitatem.

Mercati præceptum obseruandū.

Addo etiam hæc duo medicamenta, scilicet rhabarbarum, & agaricum non esse aperitiua, vt est myrrha, & supradicta medicamenta. Si verò Ludouici Mercati præceptum obseruabimus tutiores, & feliciores in medendo progrederemur, inquit enim vir hic grauissimus libro de affec. mulier. præsertim cap. de prægnantibus morbo acuto correptis, vt rhabarbarum, agaricum, & sena si occurrerit in cotoneo præparentur, & postea carne cotonei vtamur in prægnantibus, quæ quidem præparatio satis est tuta, & nos antequam hunc librum legeremus felicissimo successu, hac praxi pluries vsi eramus, & postquam de sapore amaro verba facta sunt opere pretium esse duximus, si non nulla de aloe dicamus.

De Aloes temperamento secundum primas qualitates quid sentiendum.

Theorema XXXIII.



VT ad huius theorematis veritatem indagandam accedamus scire oportet, aloem esse herbam quamdam, à qua triplex hauritur humor, ex eadem herba concretus, quidquid alij dixerint, & portio seu pars istius succi, quæ supereminet aloes succutrina vocatur, quæ vocatur flos succi, quæ succi pars in medio est, mediumque occupat locum hepatica dicitur, quæ verò subsidet, & infra manet pars, quæ terrestrior est, dicitur cabballina colore flaua. Dicitur autem Aloe succutrina, quia oritur in Succutri, & est nigri coloris, vocatur hepatica, quia similis est in colore hepatis parenchymati, dicitur cabballina, quia iuuat artem veterinariam. Hic totus succus concretus veluti, & alia omnia suas habet qualitates, scilicet primas, secundas, & tertias, & quartas secundum alios.

Aloe est calida, & sicca.

Quoad primas qualitates, & primas intelligo tùm actiuas, tùm passiuas, Aloe est calida, & sicca ex Gal. & Auic. Sed ratione probatur, nam corpora calefacit, siccat verò, vt plurimum. Amplius amara sunt calida, & sicca ex Gal. libro 4. de simpl. med. fac. cap. 18. vt patet de absyntio (licet esset de opio difficultas) de quo infra dicitur.

Deinde ex libro 8. de compos. med. sec. loc. cap. 2. Gal. concessit aloem lotam febricitantibus, si febris non sit multum valida, nam aloe est calida. Est autem quoquo pacto frigida ratione partis terrestris, non tamen frigida est frigiditate aquea, sed frigiditate terrestri. Humida non est nisi illa humiditate, quæ est partium contentiua. Galen. etiam libro 6. de simpl. med. fac. de aloe idem dicit, scilicet aloem calefacere.

Idem Plinius libro 27. cap. 4. Auic. Mesues &c. Aloem etiam siccare ijdemmet authores fatētur, & clarius Gal. libro, quod animi mores corporis sequantur temperaturam cap. 1. humidas enim palpebras aloe exiccat, aloem quoquo pacto refrigerare ipse docet Gal. 6. de simpl. med. fac. cap. de aloe, nam inquit, aloem repellere, & adstringere, & ex Aetio oculorum inflammationes compescit, reprimit simul, discutit, & abstergit, modo quæ repellunt, & inflammationes compescunt necesse est, vt sint frigida. *Aloe refrigerat.*

Adde his si placet Gal. authoritatem libro de catharticis, si tamen Galen. ille liber est, vbi dicit aloem esse stipticam, ergo quoquomodo frigida, sed frigidam Gal. & alij medici non dixerunt, nam semper sumunt denominationem ab eo, quod magis, & magis in misto excedit. Quare hucusque quoad primas qualitates pertinet, habemus aloem calefacere, exiccare, & quoquo pacto refrigerare. In his primis qualitatibus errauit Dioscorides, dum manifestè non dixit aloem calefacere, sed fortassis excusandus, dum aloem amarissimam esse dicit, ex quo eius caliditas arguitur. Sed dices, in quo ordine, seu gradu aloe excalfacit, exiccatque? *Dioscoridis lapsus.*

Respondeo in tertio gradu, calfacere, & exiccare, quod inde probamus, sapores acres sunt calidi in quarto, & sicci ex libro 4. de simpl. med. fac. cap. 18. & ex ipsamet experientia, sed sapores amari sunt propè acres, ergo, nam sapores acres sequuntur amari sapores ex eodem Gal. loco citato, ergo si non sunt in quarto saltem in tertio, hic est totus Galen. discursus, modo aloe est amara, ergo aloe, vel est propè quartum gradum calida, & sicca, vel in tertio. Amplius quæ sunt amara valde calida sunt ex Gal. libro supra citato. sed aloe est valde amara ex libro 6. de simpl. med. fac. ergo est valde calida, sed valde calidum non est in primo, nec in secundo, sed plusquam in tertio. Ad hanc sententiam accessisse videtur Aetius, dum inquit aloem esse calidam in secundo intensè, in tertio remisè, licet etiam errauerit, nam intensè calida est in tertio, quia de sicco clare constat, & hanc sententiam sequitur Auic. dum dicebat, & dicitur quidem aloe calida, & sicca in tertio, sed postea hanc sententiam non secutus est, sed illam Gal. qui autumauit aloem in primo calidam intense, in secundo remisè, in tertio siccam. Ex quibus patet Gal. errasse in gradibus aloes, & Plinium etiam dicentem, aloem leuiter calefacere. *Quo gradu aloe est calida, & sicca.*

Quod autem Gal. de gradibus aloes errauerit, inde patet, nam libro 8. de simpl. med. fac. cap. de myrtha dixit calidam, & siccam in secundo, & libro 5. de compos. med. per genera cap. 2. dans differentiam inter aloem, & myrrham dixit, myrrham exiccare plusquam aloem. Sed an aloe magis calefacit, quàm siccat? *Gal. & Plinij lapsus.*

Respondetur plus exiccare ob euidentiores effectus siccitatis. Sed oritur difficultas aduersus dicta, nam si verum esset, quod quæ sunt valde amara, sunt valde calida, tunc absyntium esset calidum in tertio, quia est valde amarum, cuius oppositum Gal. dixit, scilicet esse calidum in primo. Amplius opium est amarissimum, & tamen est frigidum. Tollatur prima difficultas ex Gal. libro 6. de simplic. med. fac. nam absyntium est multum astringens, magis enim est astringens, quàm sit amarum Gal. ait, quod non contingit de aloe, nam aloes modice adstringit, fortiter autem amara est. Vel dicas ex Gal. libro 5. de simpl. med. fac. cap. 12. absynthium non tantum esse amarum, sed acerbum, quam rem clarius confirmauit libro 6. de simpl. cap. de Abrotano. Vt hinc veniat Mesues reprehendendus, qui aloem primo gustu dulcem esse dixerit cum semper amarissima dijudicetur. *Aloe an magis calefacit, an siccat. Dubitationes duæ. Solutiones. Mesues lapsus est.*

Ad secundam difficultatem accedo, dicens de opio satis esse controuersum inter authores, & cum Mattiolo ausim dicere hoc opium, quod ad nos vehitur potius calidum, quàm frigidum esse, vt ex sapore amaro, ex qualitate acri, nam mordicat, & vlcerat. Hùc vsque ergo habemus aloem quoad primas qualitates calefacere multum propè tertium gradum, & in eodem exiccare, & magis. Verum quoniam scriptores, & graduatores simplicium semper ab excellentijs rerum ordines, vel gradus sumere consueuerunt, ideo frigidam aloem esse non dixerunt, sed calidam, & siccam, & hæc de primis qualitatibus.

De aloes temperamento secundum secundas, et tertias qualitates, & alias.

Theorema XXXIV.


Quoad secundas, & tertias qualitates ipsius aloes dicendum aloem modicè adstringere, spissare, condensare, fluentem sanguinem sistere, discutere, & amaram esse, & etiam aperire ora venarum.

Quæ omnia partim sunt supra probata, & partim infra probabuntur. Mirum igitur non est hoc nobile medicamentum has omnes vires haberet, nam etherogeneum est ex libro 6. de simpl. med. fac. cap. de aloe, & iuxta illud Galen. libro 3. de simpl. med. fac. cap. 14. omne enim medicamentum etherogeneum est. Aloe itaque adstringit, verum modicè ratione partium terrestrium, quæ quoniã non sunt in ipsa in prædominio, ideo non multum adstringit, & hoc est illud, quod dicebat Galen. ipsam scilicet repellere, & Aetius *Aloe adstringit, spissat sanguinem sistit, discutit est amara & aperitiua.*

& Aetius compescere oculorum phlegmonas,& hoc habet Dioscorides,& Plinius,scilicet ipsam spissare, & condensare, & ratione huius adstrictionis fluentem sistere sanguinem,& ideo Dioscorides, & Plinius ipsam exhibent sanguinis screationibus, sed hoc melius infra declarabitur. Aloe etiam discutit ratione partium calidarum,vulnera glutinat,& os ventriculi roborat libro quod animi mores corpor.sequ.temp.c.1. & ex Dioscoride, Gal.Plinio,Paulo, Mesue,Auic. Serapione, aloe etiam amara est, immo amarissima,vt aliquid de tertia eius qualitate dicamus, & hanc amaritudinem sequuntur abstersio, expurgatio,extenuatio, & tandem apertio, abstergit aloe, nam amara est, terminus enim amaritudinis est abstergere ex libro 4. de simpl.med.fac.cap.18. extenuat etiam,& expurgat,& incidit ob eandem amaritudinem & ob id Gal.lib.de med. paratu facil. laudauit aloem, ad acrium sordem.

An aloe aperiat. Ad has omnes sequitur diuisio, & apertio, sed de hoc res altius repetatur. Non enim me latet Manardum,& Fuchsium oppositum opinantes. Dicamus tamen nos cum Gal.Mesue,& Auicen.& Serapione, aloem aperire ora venarum apertione sanguinem emanare facientem, & pluribus hæc sententia probatur. Gal.libro 4. de simpl. med.fac.cap.18. inquit saporem amarum, quo prædita est aloe eos effectus, quos in vlceribus præstat, in corpore facere, sed in vlceribus abstergit, expurgat, incidit,ergo & in corpore,quare subiungit in fine cap. amari sapores abstergunt, & quæ in venis est crassitiem incidunt,quamobrem menses mouent,& educendo puri ex pulmone, & ex pectore conducunt,ex his sic arguo,quæ sunt amara, & valde amara menses mouent, sed aloe est valde amara, ergo, ex his sic prosyllogizo, quæ menses mouent aperiunt ora venarum, sed aloe menses mouet,ergo aperit ora venarum.

Obiectio. Solutio. Hic dices non omnia, quæ sunt amara menses mouere. Certè verum est, sed inter hæc non est aloe,nam hæc ex supradictorum scriptorum authoritate aperitiua est, absynthium excipitur, quia est potius abstringens,quàm amarum.

Probatur etiam ex ipsomet Gal. libro de curand. rat. per sanguinis missionem cap.18. vbi dicit hieram simplicem esse ex valentioribus medicinis, quæ menses mouent, & hoc non ob aliud potissimum nisi ratione aloes, cuius centum dracmas poni iubebat. Quamuis non negarem cætera ingredientia in hieram plurimum conducere menstruorum prouocationi.

Hanc veritatem vidit omniscius Gal. & ob id libro 4. de simpl. med. fac.cap.18. dixit quasi Dioscoridi,& Plinio contradicens,sapores amaros ijs qui sanguinem spuunt noxios esse, quippe hi adstringentia, & viscosa,non incidentia,& diuidentia exposcant. Quo circa in Gal.praxi,eiusque doctrina ad sanguinis spuitiones, seu excreationes, & proiectiones præsertim illis, quæ sunt ab eruptione,siue propter saltum, siue propter plethoram, siue ob aliam causam non potest tuto exhiberi,& non nisi cum maximo languentium periculo.

Obiectio. Solutio. Dices nonne Gal. dedit ipsam sputo sanguinis ex vulcere pulmonis libro 5.meth.med.cap.14.& Dioscorides, & Plinius ad sanguinis excreationes exhibent? Quoad Gal. respondetur verum esse, sed non dedit illam simpliciter,sed mistam varijs medicamentis, & cum scamoneo, agarico, colocynthite,bdelio, & gummi, quorum gratia amisit vim aperitiuam, nam ex Mesue aloe inter cætera nocumenta,quæ habet illud est, scilicet aperit ora venarum, quod tollitur admotione bdelij, & gummi. Vel aliter dicas illud sanguinis sputum fuisse per erosionem, & non per ruptionem, nam ibi curat pulmonis vulcus ex distillatione factum,quæ destillatio erat calida,acris,& mordax,& Galen.rationem non habuit morbi præsentis,sed imminentis, & ob id dedit aloem,quæ humorem biliosum,& acrem educeret.

Ad Dioscoridem, & Plinium dicimus vel ipsos intellexisse per screationes hanc speciem sanguinis proiectionis,quæ ab erosione fit, vel ideo dedisse,quia mistam dederunt, vel cum aqua frigida, vel cum aceto,quæ omnia compescunt,& obtundunt, quam habet aloe apertionem; Vel aliter dicendum, quod in aloe est pars stiptica, & pars quæ soluit, modo potest esse, quod pars stiptica per virtutem,quæ diuidit, transeat ad pectus, & sistat sputum. Dices cur dixit Plinius aloem conducere sanguini vndequaque fluenti. Dico Plinium intellexisse de sanguinis profluuio,quod fit à dextra, vt ex progressu verborum Plinij patet, nam aloem laudat ad ducendas cicatrices,ad rimas sedis,ad condylomata,&c.

Obiectio. Solutio. Dubitatio. Solutio. Dices si aloe aperit, vt supra fuit dictum ex Gal. & ratione, cur Gal. qui fuit Dioscoridis studiosus,& omnia, quæ Dioscorides litteris mandauit, excussit, talem apertionem manifestis verbis non expressit,& Dioscoridem non increpauit.

Respondeo tacitè Gal. impugnasse Dioscoridem, nam in Galen. doctrina, vix semel reperies vtilem esse aloem ijs,qui sanguinem spuunt, cum sapores amaros dixerit esse noxios ad spuitiones sanguinis. Concludamus ergo ex his aloem aperire,& rectè Serapionem,Mesuem,& Auic. autumasse, nec à Gal. dissensisse, nec paradoxa scripsisse, vt perperam Fuchsius, & Manardus autumarunt.

An aloe aperiat venas hemorrhoidales. Illud autem,quod scribit Serapio reprehensione non vacat, dum ex Paulo asserit aloem ora venarum hæmorrhoidalium aperire, nam hoc in Pauli codice non reperitur, quare adducor vt credam deprauatum esse Serapionis codicem,vel illum Pauli deprauatum habuisse,& si quandoque hoc accidit,vt ora venarum hæmorrhoidalium aloe aperiat, illud esse,vel ex excrementorum acredine, vt quandoque cuidam atrabiliario ab assumpto pharmaco accidit referente Gal. libro 6. Aphoris.47. quare dicere aloem particulariter aperire ora venarum hæmorrhoidalium absurdum est, quemadmodum magis absurdum dicere hoc facere aloem à totius substantiæ proprietate, vt Montuus opinatus est,qui rectè à Manardo, & Fuchsio impugnatur.

An magis aperit, quã astringit. Dubitabis etiam postquam aloe aperit, & astringit, an magis aperit, quàm astringit, an è contra? Respondeo plus aloem foris admotam astringere,quàm intus, è contra intus admotam plus aperire,minus adstringere,& ratio huius est, quia si foris apponatur, non ita belle à calore naturali demolitur, ita vt ad venas contendat, vt possit aperire,& purgare,è contra intus assumptam,& hoc est illud,quod Iacobus de Partibus dicere volebat,neque à ratione alienum est, vnum medicamentum ratione partium diuersarum, & ratione variæ partium positura diuersa, & opposita efficere-

non

nonne dicebat Gal. libro de theriaca ad Pisonem cap. 4. sunt quædam medicamenta, quæ ratione partium diuersarum, quas habent, dissimiles ostendunt, & efficiunt operationes, vt contrarios effectus ab eisdem fieri videamus, quæ res inspicientibus admirationem excitat, si quis enim lapatij folia comedit, aluum deijcit, si autem manducet eius semina retinebit, aloes etiã puluis, & æris squama carnium excrescentiam in vlceribus comprimunt, & adstringunt, & illuc confluentes humores siccant, ore autem assumpta corpus totum emolliunt, & expurgant, vbi per ly (expurgant) Galen. loco citato debet de necessitate intelligere apertionem, nam aliter non concluderet eius oratio oppositum, nam si foris admota aloe adstringit, & comprimit, ergo intus aperit, licet libro de simpl. med. ad Paternianum clarè dicat aloem duplicem habere effectum, alter si bibatur, & deglutiatur, & alter si extra illiniatur, si bibatur ventrem soluit, si foris admouetur constringit, quamuis possim dicere, hunc librum non esse Galen. nam inter spurios recensetur, vel persoluere ventrem etiam intelligit author ille apertionem.

Namque in aloe præter apertionem adest adhuc purgatio humorum, expurgat enim humorem biliosum in tunicis ventriculi ex libro 6. de san. tuend. cap. 10. & libro 8. de compos. med. Secundum locos, quare cum apertione stat virtus expurgatoria, neque vllum est inconueniens, vt de multis medicamentis legimus, & præter humorem biliosum expurgat phlegma vitiatum ex Mesue, & Auic. primario tamen respicit bilim, deinde phlegma, vt rectè dixerit Gal. libro 6. de sanit. tuend. cap. 10. aloem non conducere ventriculo pituitæ pleno.

An lota, an nõ lota magis, & minus purgat.

Sed dices, vnde est, quod aloe non lota magis purgat, & minus roborat, lota verò è contra ex libro 7. meth. med. 11. & libro 8. de compos. med. secundum loc. cap. 2.

Respondeo cum Gal. & Andronico ratione lotionis aloem deponere vim purgatoriam, & remanere vim roborandi magis, & libro 3. de simpl. med. fac. cap. 15. dicebat si aloe accuratè lauetur, aut debiliter, aut planè nihil ventrem subducit, & libro octauo, de compos. med. sec. part. capitulo secundo, dicebat aloem lotam posse exhiberi febricitantibus, si multum vehemens febris non fuerit.

De aloes temperamento aliorum dogmata.

Theorema XXXV.



TAntam video inter antiquos & neotericos scriptores de qualitatibus, & temperamento aloes controuersiam, vt difficile, atque perarduum nobis videatur singulorum opiniones adamussim insectari; Vt tamen methodo aliqua incedamus omnes quotquot sunt, qui de aloe scripserunt ad duas rediguntur classes.

Prima classis Auctorem.

Prima classis est Græcorum, & Latinorum existimantium aloem leuiter calefacere, multum exiccare, corpora densare, aluum resoluere, sanguinis reiectiones sistere, vulnera glutinare, cicatrizare, & hæmorrhoidum abundantem sanguinem compescere, inter quos est Dioscorides Anazarbeus libro 3. de plantarum hist. cap. 22. inter Latinos Plinius omniscius libro 27. naturalis hist. c. 4. hæc omnia affirmans, & præter hæc inquit aloem vndecunque fluentem sanguinem sistere.

Hos illustres viros sequitur Manardus Ferrariensis libro 1. epist. epist. 1. & libro 9. epist. 5. in adnotationibus in Mesuem c. de aloe, & lib. 12. epist. 3. asserit has omnes, quas supradiximus facultates aloem habere, & vim aperitiuam non habere, ita vt ora venarum aperiat. Huius opinionis acerrimus insectator est auctor ille Germanus lib. 1. paradox. paradox. 1. in sua apologia aduersus Puteolanum Gallum, Ioannes Baptista Theodosius libro suo epist. epist. 19. & Aloysius Mundella in adnotationibus in Mesuem, & ad hanc opinionem trahunt Galen. & Paulum. Verum quid de hac istorum senteutia sit dicendum, & quomodo aliquid boni contineat, iam à nobis supra duobus theorematibus est demonstratum.

Secunda classis auctorum.

Secunda classis est Arabum, & multorum latinorum existimantium aloem præter illas facultates, quas ex primæ classis authoribus recensuimus, hanc scilicet aliam habere ora venarum aperiendi apertione sanguineam manare facientem. Princeps quorum est Serapio libro de simpli. c. 201. qui præter hanc, quam diximus facultatem aperiendi ora venarum addere ausus est hoc aliud, scilicet aperire ora venarum, & hæmorrhoidalium, & hoc ex mente Pauli. Inter hos est Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 67. dicens venarum ora aperire maxime in temporibus frigidis, sed dicit venarum hæmorrhoidalium ora. Hos sequitur Mesues libro de simpl. cap. de aloe, vbi ora venarum aperire dixit, verum absolutè non dixit aperire ora venarum hæmorrhoidalium, vt multi ex Mesuis doctrina contendunt, nunquam enim Mesues hoc dixit, dixit tamen aloem nocere hæmorrhoidibus, & ano, ex quo fortassis illi sumpsere aloem ex Mesue aperire ora venarum, nam hæc noxa alia non est, quàm illa, quæ fit ab aloe, apertio, vel ab excrementorum acrimonia.

Huius opinionis fuerunt Sebastianus Montuus, Syluius in Mesuem, & Gratiopolitanus, qui Manardi, & Fuchsij rationem contra Mesuem soluunt, hos sequitur Ioannes Baptista Theodosius libro suo epist. epist. 1. & epist. 9. Hæ sunt aliorum opiniones de aloes natura. Verum nos abundè ni fallor, & sufficienter quid de aloes facultatibus sit sentiendum superioribus theorematibus disputauimus, quo fit vt non oporteat eadem sæpe sæpius repetere.

Quid vero hæc secunda classis istorum grauissimorum virorum secum boni ferat iam ex supradictis lector colligat.

De

De venenis quid sint.

Theorema XXXVI.



Vamuis prauum, impiumque de venenis conscribere sit, teste Gal. libro 2. de antidotis cap. 7. quippe quæ subticenda, nullique hominum propalanda esse videantur, tamen nos minime impiū esse crederimus, si eorum essentiam, & causas, & alia perscrutabimur, silentio omnino inuoluentes eorum compositiones, modos, & vsus, quæ quidem fortassis sunt lege vetita, neque probamus, quinimmo detestamur cum Hip. in iure iurando, & cum Heliodoro ad Nicomachum scribente dicere non erubescimus.

Mitia per Tricen habitantia numina testor,
Quique Deos late conspergit lumine Phæbum,
Sceptrigerumque Iouem Saturno Rege creatum,
Nec me muneribus quispiam, nec viribus vllis
Flexit amicitiæ vinclumve adduxit vt ista
Conscius efferrem, ac tollens ad sydera palmas,
Immunem sceleris mentem pro pectore seruo.

Sed hæc missa fiant, disquiramus quæso quid sit venenum, sed antequam ad veneni essentiam accedamus nonnulla de nomine quæramus.

Venenū vnde dicatur. Venenum latinè dicitur, græcè autem φάρμακον, quamuis φάρμακον priscis, & hisce temporibus medicamentum purgans significet, sed hoc derelicto, de pharmaco, quod venenum significat verba faciemus, hoc etiam diuersis solet nominibus circumferi, quandoque dicitur venenum maleficum græcè κακοῦργον, interdum lethale, græcè θανάσιμον, vt Hip. in iure iurando vsus est, interdum medicamentum corruptorium, & deleterium. Mitto hic quæ alij diffusè dicunt, quod venenum dicitur, quia per venas vadit, & arterias, vel venenum dicitur, quia nectit venas, cum enim venenum sit formæ hominis corruptiuum, est in causa, vt venæ, & arteriæ non deferant ad membra sanguinem, & spiritus congruentes, vel venenum dicitur cum Gal. libro de dynamidijs quasi mortis vocem inferat.

Venenum quid. His missis ad essentiam accedamus. Definit Gal. libro 3. de temp. cap. 4. quod sit venenum, quod naturam vincit, ipsamque subuertit, oppositum de alimento, quod à natura vincitur & superatur, & sicut cibus efficitur pars nostri corporis, seque totum assimilat parti nutritæ, & nutriendæ, vicem habens partis dissolutæ, ita venenum nostrum corpus, seu partem, cui approximauit ad sui ipsius deleteriam, venenosamque naturam totum trahit, & conuertit, calor enim noster veneno ingesto, vt optime Conciliator inquit transit per modum passiui, venenum autem se habet per modum actiui, verum ex his omnibus hanc exactam veneni diffinitionem colligamus, est itaque venenum substantia mista, seu composita, non naturalis, cordi inimica, & humanæ naturæ corruptiua. Sed singula examinemus, est igitur substantia, & non accidens, vt quidam falso sunt imaginati, cum enim alimentum, & venenum sint inter se contraria, & à se maxime distent, reponuntur in eodem genere prædicamenti, sed alimentum in substantiæ prædicamento ponitur, ergo, & venenum illi oppositum est substantia mista, seu composita ad differentiam substantiæ simplicis, est non naturalis ad differentiam rerum naturalium.

Sciendum tamen est medicamentum, alimentum, & venenum reponi in genere rerum non naturalium, verum cum res non naturales erant duum generum, aliæ enim necessario alterabant, quæ euitari non poterant, vt aer, cibus, & potus, somnus, & vigilia, &c. aliæ verò euitari poterant, vt enses, venena, & exitiales feræ, Galen. dicebat libro 3. art. med. tex. 4. quare venenum erit res non naturalis, nec etiam aberrabis, si venenum dixeris esse rem toto genere præter naturam. De illis tamen in hoc loco pertractans ratione contrarij, & affinitatis doctrinæ, nam de medicamentis nonnulla sunt facta theoremata, cordi inimica, nanque venena omnia cor tanquam principem partem petunt, vnde recte Conciliator tract. de venenis dicebat ex veneno assumpto sequuntur palpitationes, syncopes, debilitas cordis, deiectio pulsus, &c. nam cum constet venena conspirasse veluti in omnimodam corporis humani euersionem, verisimile est illis vltimum hunc scopum esse propositum, vt principem arcem, in qua vita sedem suam possideat, euertant, ac destruant. Sed antequam eò perueniant, vel eam adoriantur partem, primum illi subiectas destruere conantur, vt negandum non sit quædam esse venena, quæ parti cuipiam determinatæ sint infesta, ac obnoxia, quemadmodum sunt medicamenta quædam, quæ parti determinatæ opitulantur, vt Crocus, & hyacintus cordi, smaragdus, stæcas, & betonica cerebrum iuuant, corallus, cinnamomum, gingiber ventriculo opem ferunt, quam veritatem Gal. aperuit libro de theriaca ad Pisonem, tales etiam proprietates in venenis reperiri non est certè negandum.

Namque cantharides præcipuè noxam inferunt vesicæ, cicuta cerebro, lepus marinus pulmoni. Sed ignorandum non est, quod etsi huiuscemodi reperiantur venena, quæ suaptè natura his fruantur proprietatibus, & seorsum vnumquodque membrum determinatum lædant, non tamen propterea fit, quin noxam etiam cordi communicent, nam si secus esset, neminem sanè de medio tolleret, non enim moritur animal nisi cor varijs, diuersisque intemperiebus afficiatur, vt ex libro 5. de loc. affec.

affec. cap. 1. & libro 3. de simpl. med. fac. cap. 18. quare meritò dictum est in diffinitione, cordi inimica. Tandem fuit alia apposita dictio, humanæ naturæ corruptiua. Nam quamuis medicina se extendat circa brutorum valetudinem, vt in primis theorematibus primi libri diximus, tamen præcipuè circa humanum corpus versatur, & si sunt quædam venena, quæ interimunt æque, & bruta, & homines, sunt tamen aliqua, quæ sola bruta, vel solos homines interimere valent, nam saliua humana venenum est multis insectis in Gal. libro de inæquali intemper. cap. 6. homini tamen non est venenum, cicuta homines enecat, sed sturnos & capras alit, hyosciamum venenum est hominibus, quod nutrit porcos, elleborus suauis est coturnicibus, sed hominibus medicamentum alioquin venenosum, diximus tandem, naturæ corruptiua, vt per naturam, & materiam, & formam, scilicet temperamentum intelligamus, venena enim, & materiam, & formam euertunt, corrumpunt, atque pessundant. Erit igitur venenum substantia mista, seu complexa non naturalis, cordi inimica, & naturæ humanæ corruptiua.

Cur uenenorum quædam non interimant, & cur aliqua citius, alia tardius interimant.

Theorema XXXVII.



PRimæ partis theorematis multiplex potest esse causa, Prima quidem est quædã proprietas indiuidualis, seu ideo syncrisia, quæ indicibilis est, quam scire Galen. multum cupiebat lib. 3. meth. med. cap. 7. Sunt enim a natura adeo egregiè constituti, & conformati, vt tacita, & arcana quadam ratione ab ijs nequaquam offendatur: Refert sextus Empiricus lib. 1. suarum hypotheseon quandam fuisse vetulam, quæ succi cicutæ dragmam vnam sæpe sæpius sorbebat sine corporis læsione. Similiter Lysidem quemdam fuisse, qui opij drachmas quatuor absque noxa sumebat, & authoꝛ simplicium, quæ ex India occidua feruntur cap. 4. scribit maximum esse vsum opij per totam Mauritaniam, Asiamque, nam ita sunt in esu opij assuefacti, vt se abstinentes ab illo in vitæ discrimine magno versentur.

Quinimo alij sumunt de industria opium vt laborum obliuiscantur, & fortiores ad opera insurgant, & non, vt nonnulli falsò credunt ad excitandam libidinem, nam potius semen extinguit, ac somnolentos homines reddit.

Secunda ratio potest esse quia corpus, quod venenum assumpsit antea erat præparatum, vt aquisierit vel facultatem, corruptiuam veneni, vel sanè illi familiarem, vt de Rege Mithridate narrant historiæ, quia venenis non lædebatur ob suæ confectionis Mithridaticæ continuum vsum. Idem venit intelligendum de illa puella, si modo res vera est, quæ napello vescebatur ex Auic. libro 4. fen. 1. c. 6. de qua re infra diligentius disputabitur.

Tertia ratio potest esse, quia venena prius è corpore foras truduntur, quàm cor afficiant, vel quia cum cibo, & potu ita immiscentur, vt eorum vis, aut penitus suffocetur, aut magna ex parte frangatur.

Vltima causa potest esse, quia non capiuntur in ea copia, aut quantitate, qua capi deberent. Illud enim pro certo tenendum est, alia esse venena, quæ maiorem dosim, alia verò quæ minimam exposcunt pro suis obeundis actionibus, & in hunc sensum locutus est Arist. 1. part. probl. problem. 48. dum dicebat, quædam reperiri venena, quæ in pauca quantitate interimunt, & Conciliator dicebat esse quædam venena, quæ insensili quantitate enecant, quam rem etiam confirmauit Arnoldus de Villanoua trac. de venenis, vt alios omittam.

Secundæ partis theorematis multiplex potest esse causa cur scilicet aliqua venena citius, alia verò tardius interimant. *Cur aliqua citius, & cur aliqua tardius interimant.*

Prima desumitur ex varietate quatuor qualitatum, vel primarum, vel secundarum, quam veritatem aperuit Gal. libro 3. de simpl. med. fac. dum inquit, venena quædam esse, quæ postquam sunt assumpta statim non interficiunt præcipuè ea, quæ viscidam, & terrestrem naturam habent, ex quo colligendum est, venena quæ statim occidunt vt plurimum esse calida, & leuia, quippe quæ facilius venas, & arterias ingrediantur, & indecor. Huiusmodi erat venenum illud, quo vtebatur mulier illa dicta Locusta, vt in vita Claudij Neronis apud Suetonium legimus, quod quidem venenum statim & repentè occidebat. Sunt etiam alia venena, quæ arte componi possunt ita tenuia, vt in stapedibus posita interficere valeant.

Secnnda causa desumitur ex natura, forma, & vi veneni, est enim aliquod venenum tantæ efficacissimæ potentiæ, vt citissimè interimat, vt de illo etiam patet, de quo meminit Aristotel. libro de admirandis auditionibus, & de illo puluere, quem habuit Franciscus Ordelephus, qui statim, ac in carbones inijciebatur, enecabat omnes ibi præsentes, ad quos suffitus perueniebat.

Tertia ratio est dispositio corporum, corpora enim calida facilius à venenis corripiuntur, vtque habeant poros apertos, & hæc est ratio, quæ ex Gal. colligitur lib. 3. de simpl. med. fac. c. 18. de cicuta, quæ sturnis non est venenum, hominibus autem è contra.

Quarta ratio est dosis, quæ si magna fuerit citius sequitur affectus, nam 8. phys. tex. 78. in maiori quanto maior est virtus.

Quinta est tempus, multa enim venena in vno tempore collecta non faciunt suas operationes, ita citius, vt in alio tempore, vt ex Theophrasto libro 9. capitulo decimoquinto, & hinc est, quod in

confectione theriacæ Nicander,& antiqui medici iubebant,ne viperę æstiuo tempore colligantur, vt quæ venenum immanius,& ferocius habeant.

Vltima ratio potest esse modus præparandi, & componendi venena, quæ ex suis corrigentibus non ita cito suas faciunt operationes. Sed quoniam hæc vltima ratio de modo componendorum venenorum mentionem quamdam fecit, iure meritò quæritur hic, an possint ante componi quædam venena,quæ certo,& stato tempore,& die interimant. Mitto hic quæ Conciliator, Mattiolus, & alij dicunt. Illud vnum semper verum autumaui posse reperiri venena, quæ celerius, aut paulo tardius suas obeant operationes, sed quod certa die venena interimere possint, nec sensus dictat, nec mens humana capit. Quamuis Theophrastus libro 9. de plant.hist.cap. de aconito approbauerit, & Aulus Gelius libro 6. noctium acticarum cap.4.in hist. Actilij Reguli, & Hermolaus Barbarus libro 4. in Dioscoridem,& Amatus Lusitanus libro 4.com.8.in com. super Dioscoridem, & centuria 6. centuria 88. Quomodo enim sciri à mente humana potest indiuidua illa natura, & ἰδιοσυγκρισία, quæ indicibilis est,quomodo scitur caloris illa symmetria,& robur, & tonus, vt illo mensurato possit componi venenum ad certam diem occidens. Ego quidem comprehendere non valeo, & hæc satis.

An reperiātur venena, quæ statuto tempore occidant.

An venena nutriant, & quomodo interimant.

Theorema XXVIII.



Vantum ad primam theorematis partem dicamus dupliciter intelligi posse nutrire, vel vere, vel non vere, nutrire vere & propriè est cum alimentum in substantiam nutriti mutatur, vbi appositio, & assimilatio interueniunt, nutrire non vere dicitur quando aliquid nutritur,quod tamen si in substantiam minime conuertatur, nō offendit tamen, si ergo nutrire impropriè accipiatur,dici potest venena quædam nutrire,si nutrire propriè accipiatur,tunc videndum est, an venena offendāt tota substantia, ita vt nullam partem alimentalem habeant, an potius etiam cum ijs copulata sit aliqua pars alimentalis,si enim nihil alimentalis habeant,nunquam verè nutrire possunt, & hoc fit contra Auic. loco supra citato de puella nutrita napello, nanque napellus nullam habet partem alimentalem, estque tota substantia contrarius naturæ nostræ, præter id quod sit extremè calidus,& siccus. Si enim illa puella nutrita fuisset napello, tunc sequeretur hominem non esse amplius hominem,nam quidquid nutritur suo simili nutritur,quod si illa illo veneno nutrita fuit tunc necesse est, vt veneno sit similis, atqui si venenum tale est, quale diximus, idest naturæ humanæ contrarium, rectè sequitur, hominem cum veneni natura induitur non esse amplius hominem, sed quod homo viuus degeneret in aliquid suæ naturæ contrarium, id absque omni ratione profertur, quare si venena nihil habent alimentalis nunquam verè nutrire possunt, sed si etiam sit ijs aliqua pars alimentalis coniuncta,tunc dicendum est venena posse nutrire, hanc autem partem alimentalem, vt plurimum habent,nenena,quæ in genere potius frigidorum,quàm calidorum locantur. Hinc est vetulam illam nutritam fuisse cicuta ex Gal. libro 3. de simpl.med.fac. cap. 18. & præsertim cum corpus confirmatum, & corroboratum fuerit, vel assuetudine, vel alia ratione tunc potest partes alimentales à deleterijs segregare,atque ita frui alimentalibus,& à deleterijs non offendi, & hinc est, vt supra quoque innuimus multos Ægyptiorum opium sine læsione assumere, quinimmo ijs persuasum est,vt ab assumpto opio multa in somno spectra videant, vt optata viridaria, puellas,&c. Verum hæc crediderim esse deliramenta. Addimus etiam, quod si quando opium non assumunt,tunc illa hora, quæ erat eis consueta, in grauissima symptomata incurrunt, scilicet in animi deliquium, anxietatem,& angorem,& nullo auxilio liberantur,nisi iterum opium assumpserint.

Aduersus Auic.

Hæc quoad primam theorematis partem. Quantum verò pertinet ad secundam, de modo scilicet,quo venena interimant,multi multa dicunt Gal. videtur asserere venena citra intemperiem nō esse lethalia,mortemque inferre ex libro 3.de simpl.med.fac.cap. 18. Auer. libro 5. colliget. cap. 22. quatuor ponit modos,quibus venena interimunt.

Quomodo venena interimant.

Primus est cum qualitatibus manifestis,vt cicuta verbi gratia ratione frigiditatis intensæ enecat.
Secundus est à tota substantia, vt napellus,& aurum conuersum in calcem.
Tertius est à fortitudine attractionis,vt Elleborus niger.
Quartus est remouendo calorem naturalem. Sed clarius, & prius, & melius philosophatus est Auic. super hoc argumentum libro 4. trac.2. cap.primo, vbi diuidit venena inoperantia secundum qualitates manifestas,& operantia secundum proprietates.

Quæ secundum proprietates agunt, ita operantur, quoniam vbi aliquam partem semel infecerint, pars ea proximam inficit, & proxima aliam, ita vt se hunc in modum propaget, atque dilatet vsque quo in cor perueniat, quod tandem inimica, & deleteria facultate vitiant, pessundant, atque corrumpunt. Quæ autem manifesta qualitate interimunt id faciunt, vel quia calida sunt, vel quia frigida, vel quia sicca. An autem humida venena reperiantur non ita planè apud medicos constat, cum humiditas non sit propriè actiua qualitas. Quare potius in contrariam sententiam abeundum. Calida venena in excessu duobus modis perimunt, vno quod intus in corpus assumpta excalfaciunt, vrant, corrodantque vsque ad cor, alio modo extrinsecus ad mota corrodunt,& excedunt carnes vsque ad ossa, id quod lepori marino adscribitur.

Vel

Vel quod summè calefacientia, tàm intus, quàm extra corpus adurant, quemadmodum Euphorbium, & elleborus donec inflammato tandem corde animal interimant. Frigida similiter bifariam necem afferunt, vno modo exuperante frigiditate sua corpus gelidum, algidum, stupidumque reddunt, quod simul etiam cor congelascit, vt vel opium, vel cicutæ succum deuorantibus accidit, altero, quod obstructis meatibus anhelitum prohibeant, atque strangulent, quod accidisse constat edentibus exustum plumbum, & fungos. Sicca quoque venena dupliciter operantur vno modo totum assumendo humidum, vt calx viua, vel separant, & diuidunt partes, vt risagallum facit.

Quæ sit causa materialis, efficiens, et finalis uenenorum.

Theorema XXXIX.



QVantum ad causam materialem venenorum hæc duplex est, quædam est communis, & vniuersalis, & quædam particularis, materia communis sunt elementa, ex quibus cum omnia mista componantur, non est dubitandum etiam ipsa venena componi, atque constare, cum ipsa quoque mista sint, propria verò, & peculiaris materia est triplex, vapor, humor, siue succus, & pars terrestris, quidquid enim veneni inuenitur siue sit ab animalibus, siue à plantis, siue à mineralibus, siue ab alijs, situm est tanquam in propria materia, vel in vapore, vel in humore, vel in aliqua parte terrestri. De causa efficiente mitto quæ Astrologi dicant, quæve Theologi. Illud tantum ex mente elegantissimorum medicorum, & præstantissimorum philosophorum asserã, causam efficientem esse vniuersalem naturam, quæ solari calore, tanquam proprio instrumento vtitur ad producenda omnia mista, inter quæ cum etiam sint venena, iure statuendum est ipsa quoque ab hac vniuersali natura medio hoc calore produci. De causa finali mitto quæ impiè Plinius, & ethnicè lib. 2. cap. 23. exarauit, vt quando scilicet homo in fame, & tormentis, & ærumnis detinetur posset miserias omnes euadere venenum assumendo. Illud tamen dicam, venena duobus modis considerare posse, vel vt nostræ naturæ inimica, & lethalia, velut corpora naturalia, primo modo considerata vel nullum habebunt finem, vel ad bonum, & pulchrum vniuersi sunt procreata, si secundo modo considerantur, sic suis finibus gaudent qui tres esse possunt, primus est vtilitas nonnullarum artium quamplures enim inueniuntur artes, quibus vtiliter inseruiunt huiusmodi venena, vt tinctoria, pictoria, sutoria, &c. Secundus finis, seu vtilitas propter animalia multa, quæ victitant, & nutriuntur ijs, vt sturni vescuntur cicuta, sues hyosciamo, hirundines cantharidibus, coturnices elleboro, tertius finis est, quoniam non pauca sunt venena, quæ homini ipsi vtilia sunt ad depellendos, & fugandos varios morbos, elleborus insaniam, vnde natum est adagium, Tu indiges elleboro, quasi es insanus aconitum scorpionis morsus, hydrargyrum, scabiem ferinam, & lepram, morbumque gallicum superat, agit enim venenum contra humorem peccantem ratione cuiusdam secretæ, & tacitæ antipathiæ. Similiter vbi quispiam afficitur diuturnis vigilijs, aut suffocante distillatione, aut mensiũ profluuio, aut dysenteria, aut coli dolore, aut renum, vbi alia non contulerint medicamenta, si opium, mandragora, hysciamus, vel antidota aliqua, quæ hæ simplicia excipiunt, vt Philonium persicum, Requies Nicolai, Mycleta adhibeantur sæpè numero missellos ægrotos à subitanea morte ad optatam vitam reuocant. Quemadmodum etiam si quis scammoneo, colocynthide, turpeto, veratroque & alijs id genus deijcientibus pharmacis vtatur, nam quamuis hæc omnia malefica sint, tamẽ morbis quibusdam contumacibus tantam afferunt vtilitatem, vt ægri deperditam ferè salutem recuperent. Nonne etiam vipera dempto capite, & cauda contusa, & imposita suos sanat morsus, similiter nonne castoreum, alioquin venenum ad sanitatem reducit illum, qui opium assumpserat. Et Cantharides quamuis solæ exulcerant vesicam, tamen alijs medicamẽtis mistæ eijsdem morbis medentur teste Gal. lib. de theriaca ad Pis. Sed quid pluribus verbis est opus? Nonne hæc omnia confirmat indignum, impiumque facinus illius scelestæ mulieris, quæ cum vellet enecare maritum dedit ei primum toxicum, quod cum mortem tardaret, vt eam accelerarett dedit argentum viuum. Sed quod illa putabat mortem acceleraturum, vitæ potius misero illi, & insonti marito auctor extitit, vnde doctissimè cecinit Ausonius ille Poeta Gallus.

Plinius vt ethnicus improbatur.

Toxica Gelotipo dedit vxor mæcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum,
Miscuit argenti lethalia pondera viui
Cogeret vt celerem vis geminatam necem,
Diuidit hæc si quis, faciunt discreta venenum
Antidotum sumit, qui sociata bibet.
Ergo inter se dum pocula noxia certant
Cessit lethalis noxa salutiferæ
Protinus, & vacuos alui petiere recessus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum? prodest crudelior vxor,
Et cum fata volunt bina venena iuuant.

Plinius lib. 27. cap. 2. idem inquit, nam ea est natura veneni, vt hominem occidat nisi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna est cum venenum in visceribus reperit, mirumque, exitialia per se ambo cum sint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo supersit. Verum ipse nec cum Ausonio, nec cum Plinio sum, qui volunt venena ob mutuam eorum actionem sanitatem inferre, sed mea est sententia in hac historia Ausonij, in qua etiam Horatius Augenius conuenit, hæc duo venena marito salutem attulisse ob grauitatem hydrargyri, quæ fecit vtrumque statim descendere, quia primum nondum erat actuatum eo modo, quo potest actuari, si sic loqui liceat, suasque vires cordi nondum impresserat vxore nimium festinante, & alterius veneni potum intempestiuè porrigente, & hæc satis.

A quibus fontibus uenenorum differentiæ sumuntur.

Theorema XL.



VT in his indagandis methodus aliqua seruetur, sciendum breuiter est omnes venenorum differentias à veneni diffinitione esse sumendas. Erat enim venenum substantia, corporea, mista, non naturalis, &c. Sed quoniam omnis substantia, vel est à natura, vel ab arte, ideo duplex oritur venenorum differentia, alia nempe sunt naturalia, alia artificialia, naturalia voco, quæ spontè fiunt, artificialia quę ad arbitrium, intentionemque artificis, atque venefici componuntur. Quantum ad venena artificialia pertinet, hæc, aut sunt vapores, vt erat fumus ille, quo Franciscus Ordelephus interficiebat omnes proximos sibi, vt supra diximus, aut sunt succi, qualia sunt vina venenata, quale etiam erat mel, de quo narrat Gal. lib. 11. de simplic. med. fac. cap. 1. peremptos esse duos imprudentes medicos, aut sunt pulueres, vt puluis adamantis medicatus secundum communem vulgi sententiam, quamuis secundum nos non sit venenū, & secundum Garziam de Horto de simplicibus indicis c. 48. puluis argenti sublimati, & innumera alia venenorum genera, quæ praui, atque, venefici homines excogitarunt, atque in dies impiè vtuntur. Quantū verò pertinet ad venena naturalia, ab his quamplures differentiæ sumuntur, vt à materia, quantitate, qualitate, præparatione, & operatione. Materia venenorum naturalium, aut est in corpore humano vbi fit, aut extra corpus, in corpore humano fieri venena docuit Gal. lib. 6. de loc. aff. c. 5. de qua re nos infra disputabimus, extra nos materia venenorum, aut est in aere, aut in aqua, aut terra, vel supra terram, si est in aere, vel in aere vniuersali, vel proprio, in vniuersali, vt tempore pestilentiæ, in particulari, vt in cauernis, foueis quibusdam, & hinc est quod in agro puteolano quibusdam cauernis moriuntur statim animalia, quia aer ille inclusus est venenatus, siue propter calcanthum, siue propter sulphuris minerum, nunc non disputo, in foueis, vbi frumenta conseruantur, est etiam aer venenatus, quem si quis imprudenter hauriat, ac inspiret subito interficitur, qua de re possum esse ipse testis oculatus, cum Messapiæ nostro oppido sæpe sæpius nonnullis hæc infelix, ac miseranda mors contingat. Aer etiam cubilium, in quibus carbones illi male præparati incenduntur solet esse venenatus, de quo breuitati incumbens multas prætermitto historias. In aqua adhuc venena fiunt, & præsertim in illa, in qua vel degunt, vel intereunt animalia venenata, vt inquit Arist. libro de admirandis auditionibus, & Vitruuius lib. 8. In terra etiam sunt venena, vt mineralia, vt arsenicum, calcanthum, auripigmentum gypsum, supra terram, vt fungi, quorum magna ferè pars solet esse lethalis, vt Plinius inquit, & meus Auus fęlicis memoriæ Epiphanius ioco dicere solebat ob id esse dictos fungos quasi fugiendos, sed seriò mea sententia loquebatur bonus iste senex. In plantis etiam insunt venena, vt flores violarum albarum, fructus, vt poma mandragoræ, succi, vt opium, succus lactucæ, cicutæ, semina, vt semen hyosciami, radices, vt aconitum, &c. Sunt etiam in animalibus, & hæc vel secundum totum, vel secundum partem, vel secundum excrementa, vel secundum partes vtiles.

Frigidi fugiendi.

Secundum se totas, vt cantharides, pestinaca marina, secundum excrementa, vt fel Leopardi, vrina muris, sudor equi irati in gladijs, & ensibus solet venenare, vt refert Albertus Magnus, secūdum partes vtiles, vt saliua canis rabidi, saliua viperæ, sanguis tauri, quo Themistoclem Atheniensium Ducem se se iugulasse scribit Plutarchus in Chęronæo, oua aspidum sunt venena ex Isaia cap. 59. sui operis. Ex sensibus aliæ differentiæ sumuntur, nanque Basiliscus, si modò verum est, quod non arbitror, vt aliàs diximus visu enecat, qui dam item Regulus sibilo enecat, torpedo tactu stupefacit, atque venenat, & quædam species fungi odoratu interficit, vt inquit Sante de Ardoynis in tractat. de venenis. A quantitate differētiæ sumuntur, quoniā aliqua venena minima dosi interimunt, alia paulò maiori, alia verò magna. A qualitate differentiæ sumuntur, nam alia sunt calida alia sicca, alia frigida, alia grauem odorem habent, alia sunt odoris expertia, alia sunt amari saporis, vt opium, alia aeris, vt arsenicum, & argentum sublimatum, alia crocei, vt auri pigmentum, alia nigri, vt opium, alia tandem viridis, vt æs viride. A præparatione differentiæ sumuntur, verum de his dictum est in ijs, quæ ab arte fiunt, alia enim in vna forma, alia in puluere, alia in potu, alia in cibis. A modo tandem operandi differentię emanant, nam alia interimunt dissoluendo, alia corrodendo, & putrefaciendo, alia stupefaciendo, & calorem natiuum strangulando, alia immodicè euacuando, alia inflammando, & hæc de differentijs.

Quæ sint venenorum signa in uniuersali, et præsagium.

Theorema XLI.



Lia quidem signa possunt esse, quæ indicant illa, antequam sumantur, alia verò, quæ docent postquam sunt assumpta. Quæ docent, atque significat venena antequam sumantur, tria præcipua ab authoribus fide dignis excerpsi, quæ potius experientia constant, quam rationi innitantur.

Ad veneni præseruatione quæ conducant.

Vnum est cornu serpentis, quod si teneatur in mensa protinus sudat, aliud est auricalcum, ex quo fiunt vasa, quæ varios colores contrahunt, si in cibis sunt permista venena.

Tertium est smaragdus, qui si habeatur in manu, & offerantur venena statim viriditatem propriam admittit, alioque induitur colore. Mitto etiam duo alia non contemnenda inditia, quæ docet Monardus in cap. de scorzonera, vt fiant cocleæ, & furcinæ, & crateræ ex quatuor partibus auri, & vna argenti, quæ si epulas veneno infectas tetigerint, statim aurum pamore corripitur, & amittit fulgorem, euaditque leonatum, azurrum, aut nigrum, vel vt in aqua, & vino quoties comeditur immittatur frustum cornu vni cornis catenella auri alligatum. Multasque alias docet obseruationes, quas ibi legere est.

Signa veneni assumpti.

Quantum verò pertinet ad signa venenorum postquam sunt accepta multa docentur à Gal. libro 6. de loc. affec. cap. 5. vbi inquit. Quotiescunque homo sano corpore, sanæ mentis, temperans in victu, absque vllis prauis humoribus repente moritur, & præsertim si post mortem eius cadauer, aut liuidum, aut nigrum, aut rubris, & varijs maculis conspersum fuerit, tunc venenum ei fuit exhibitum, vel ipse sponte, vel in curia assumpsit, quare in his Gal. verbis quatuor sunt signa, primum est quod repentè moritur, secundum est corpus liuidum, aut nigrum, tertium est varium, ac defluens, quartum est fætor ingens corporis mortui. His quatuor signis adde aliud Plinij signum lib. 2. cap. 63. quod si cadauera veneno interremptorum non tentantur, neque à feris, neque ab auibus tunc venenata corpora sunt, cuius rationem Mercurialis assignat, inde petatur.

Sed quoniam hæc signa sunt potius signa defunctorum ex veneno, ideo alia erunt assignanda, quæ monstrent venenum esse in corpore hominis adhuc viuentis. Doctissimus Auic. loco citato, & Aetius libro 17. c. 47. multa ponunt signa, primo adest syncopes, palpitatio cordis, vomitus prauus, reiectatio sanguinis, singultus, tremor, stupor, impedimentum vrinæ, excretio rerum frigidarum, virium casus, seu pulsus defectio, feruor totius corporis, frigus, maculæ variæ, tremor, apparitio exanthematum, mordicatio ventriculi, rosiones intestinorum, dolores, quos malignos vocat Gal. libro 6. epid. 6. text. 5.

Signa differentiarum.

Vt enim varia, atque diuersa sunt venena, varios, atque diuersos affectus producere valent. Signa verò differentiarum, seu specierum venenorum in vniuersum sunt medico valde animaduertenda pro eorum curatione. Si igitur febris, mordicatio, incisio, & punctura, & corrusio accidunt in tuo languente, tunc coniecturare tibi licebit esse venenum de genere calidorum mordicantium, & vlcerantium, vt arsenicum, sublimatum, vel quid consimile. Si verò inflammatio vehemens sit, & exuberatio sudoris, & oculorum rubor, & sitis, idem argues, scilicet esse venenum de genere calidorum, vt euphorbium, &c. Si verò accidat profunditas somni, stupor, frigus, conijcies esse de genere frigidorum, & narcoticorum, vt hyosciamus, papauer, &c. Si verò aderit intensissima sitis erit venenum siccum, vt calx viua, alumen. Si verò accidunt affectus misti, scito venena esse mista. Si verò adest virium debilitas, sudor frigidus, syncopes, palpitatio, tunc erit venenum aliquod à proprietate occulta agens, vt napellus &c. Sed de præsagio nonnulla dicantur. Certè certa sequitur mors si venenum è corpore nullo modo exeat, si symptomata perseuerant, & augeantur, si remedia nullam afferant vtilitatem, si syncopes perduret, refrigeretur corpus, sudores frigidi, pulsus interceptiones, si lingua intra os vix detineri potest, quoniam ita languet cerebrum, vt partes relaxentur, si sursum oculi contorqueantur 4. part. probl. probl. 1. fortassis quia calor foras exit, & expirat superna petens tunc in propinquo mors est, si verò vel non fuerint hæc omnia, vel remissa, vel praua, spes erit salutis.

Hæc in vniuersum de venenis sint dicta, de curatione non opus est, vt in his theorematis agamus, nam fortassis alias. Nunc autem nonnulla alia theoremata circa naturam venenorum prosequamur, quæ quidem erunt satis curiosa.

An veneno alta animalia comedi possint, et an in humano corpore possit generari venenum.

Theorema XLII.



Occasio dubitandi quantum ad primum ex quotidiana experientia desumpta est. Videmus enim anates, quæ in stagnantibus, & palustribus aquis degunt, deuorare bufones, hyrundines vesci cantharidibus, ciconius, venenosis, & mortiferis serpentibus, gallinas, scorpionibus, & araneis, sturnos cicuta nutriri, coturnices elleboro, erinaceos terrestres, & catos, serpentibus, palumbos, & suos hyosciamo videmus ali. Vt iure merito dubitari possit, an hæc supradicta animalia tuto comedi possint. Certè si volumus magis credere sensui, quàm rationi, vt par est, dicendum est posse comedi, experientia enim constat hæc animalia esse comesta, & in dies comedi, nihilque damni fuisse consecutum, quam etiam veritatem confirmat exquisitissimus medicus Ioannes Langius suo libro epist. epist. 69. Ratio tamen experientiæ fauet, nam quamuis hæc animalia venenis vescantur, tamen illa venena conuertuntur in sui naturam, deuincuntur, conficiuntur, vt non amplius venena dicantur, vt etiam dixit Theophrastus libro 9. cap. 18. Omnium enim inquit pharmacorum vires debiliores in assuetis fieri, & in nonnullis omnino inertes. Quin etiam addendum, venenosæ contagionis seminalia calore concitata in viuorum corporibus energia esse longe vegetiora, in defunctorum corporibus calore extincto esse ferè consopita. Amplius addiderim, cum hæc animalia cruda non comedantur, & si quæ veneni sunt seminaria ignis actione diffluantur, dissipantur, & euanescunt. In his tamen experientijs, atque supradictis rationibus, si meam sententiam, atque censuram interponere fas est, equidem pro certo, & indubitato affirmauerim nonnulla, scilicet horum animalium nuper dictorum non esse assiduè, atque frequenter comedenda, quippe quæ ex toto non sunt laudanda, vt caro sturni, cati, erinacei terrestris, & pisces taxati, vt vulgò dicuntur, nam ex vsu assiduo horum animalium non contemnenda quandoque sunt symptomata consecuta, vt doctè Mattiolus aduertit super Dioscoridem in trac. de venenis.

Censura supradicta.

An in corpore humano possint generari venena.

Quantum ad secundum an scilicet in corpore humano possit generari venenum. In hac materia mitto quæ Fernelius libro 2. de abditis rerum causis dicat, mitto quæ Iacobus Greuinus libro dè venenis cap. 1. Illud tantum asseram venena verè, & propriè dicta non generari in corpore humano, nam auctor horum vel est calor natiuus, vel præter naturam, non natiuus, nam huius proprium est vita, & salus, non præter naturam, nam nihil agit vltra suam naturam potentiamque, vis autem veneni est maior, quàm facultas caloris præter naturam, dicimus tamen in corpore generari quædam veneno similia, quam veritatem cognouit Gal. lib. 3. epid. com. 3. tex. 75. vbi cum Hip. refert quemdam prima die factum fuisse phreneticum, cuius morbi generationem admirandam vocauit Gal. & huius reddens causam dixit, quandoque in corpore nostro generari humores veneno assimiles, quam rem etiam confirmauit libro 3. fen. 1. doc. 2. cap. 6. & Auer. libro 3. colliget. cap. 9. & Galen. libro 6. de loc. affec. cap. 5. de noxa loquens, quam semen retentum, atque muliebria menstrua inferunt, dixit generari quandoque humores, & vapores veneno similes, & idem libro 5. de loc. aff. cap. 7. dixit eadem esse signa eius, qui venenum hausit, & humorum cacoethicorum existentium in corpore. Hinc est, quod mulieres menstruatæ inficiunt speculum, & segetes corrumpunt, vt columella inquit, Plinius, & Albertus, aliasque herbas, & plantas si per hortum inambulent. Quinimmo homines, qui cum supradictis mulieribus menstruatis rem habent quandoque morbis lethalissimis afficiuntur, & tempore Hesiodi Poetæ, & apud Hebræos erat lege sancitum, ne viri in eodem balneo versarentur, in quo mulieres menstruatæ.

Eadē signa sunt febris cacothicæ, & veneni assumpti.

Verum hoc quoque censura sua non caret, non enim de omnibus mulieribus menstruatis indifferenter intelligitur, sed tantum de cacoethicis, & prauis succis refertis, & ad ætatem declinantem accedentibus. Porrò hæc similitudo in duobus posita est, primum est in celeritate motus, nam veluti ille, qui phreneticus fuit tertia die mortuus est, ita, & ante, qui venenum assumpsit, secundum est, quia sicuti venena grauissima symptomata afferunt, & dolores malignos excitant, lypothimias, & dementias, & sexcenta alia, quæ supra sunt tacta, sic quoque humores praui veneno adsimiles similia pariunt symptomata. Sed dices iam multa sunt de venenis dicta, duo restant profliganda problemata, vnum est, cur quædam in quadam sui parte sunt venenosa, & ipsæ plantæ in vna regione sunt venenosæ, & in alia nequaquam.

Duo pulchra tāguntur problemata.

Secundum an incantatio, quæ species veneni est aliquid possit in nostro corpore. Quantum ad primum vere mirari licet quasdam plantas radice tantum, alias semine, alias fructu, alias folijs esse venenosas, immò inter animantia ipsa, & plantas hoc est discriminis, quod in vna regione sint venenosa, in alia verò nequaquam.

Respondetur, quod ratio primi dicti desumitur ex generali naturæ prouidentia, quæ in constitutione humani, cæterorumque corporum, certas quasdam partes, quæ excrementa totius corporis suscipiunt destinauit, quæ sicut corporis natura varia est, ita illa quoque malignitate variant, idest aut totius substantiæ proprietate, aut qualitatibus manifestis, proprietate substantiæ vt cauda cerui venenum est, fel canis marini, qualitate manifesta, vt fel calidorum animalium ob caloris excessum venenum est.

Idem

Idem sentiendum de plantis, fructibus, folijs, seminibus, & radicibus. Cur verò hæ plantę, & hæc animalia in vno loco sint venenosa, & in alio nequaquam sumitur responsio tum ex climatum, tùm ex nutrimenti varietate. Nam vbi aer benignior, & mitior, clima temperatum magis, & consecutione quadam terra quoque melior ibi certè tàm animalia, quàm plantæ mitiores redduntur. Sic Aristot. conscripsit, plurimum morbus bestiarum differre ob locorum, & regionum diuersitatem, quod exemplo scorpionum probauit, qui in Bharo, & multis alijs in locis non ita pestiferi sunt. Idem etiã nos philosophari possumus de Tarantula, cuius morsus in Apulia tantum manifestus adeo est, vt mirabilia symptomata inducat, in quo enim statu, & opere tarantula hominem morderit, in ea semper se conseruet vsque quo venenũ à corpore pulsum sit, ita vt si mordet aliquem ambulantem semper ille ambulet, si tripudiantem, semper tripudiet, si ridentem semper rideat, maxime æstatis quibusdam certis diebus, quamuis Mercurialis libro 2. de venen. cap. 6. huic historiæ non multam fidem præstet; Nos autem Messapiæ nostro oppido habemus, & videmus sexcentos dixerim propè homines tarantatos, vt nos loqui consueuimus, qui huiusmodi habent symptomata, eosque curiosius cum interrogauerim, rem ita se habere, vt dixi adinueni. De plantis Gal. dicebat libro 3. de caus. sympt. cap. 2. esse quandam plantam in Perside lethalem, sed in Ægyptum translatam mansilem euasisse. *Morsus Tarantule, quæ symptomata pariat.*

An incantatio, quæ species veneni est, aliquid in nostro corpore possit, vbi non nulla de fascinatione tanguntur.

Theorema XLIII.



PVlchra quidem, atque curiosa est præsens contemplatio de incantatione, seu veneficio, an scilicet aliquid in nostro corpore operentur. Appello tamen veneficium magiæ quamdam speciem, quæ etsi peculiariter sub eo incantationum genere, quę verborum opera, & alijs quibusdam ceremonijs, & medicamentis vtitur, comprehendatur, latius tamen aliquando patet, & pro omni magia tàm naturali, quàm supra naturali capitur. Huius veneficij ope homines ita incantãtur, vt & apud se non sint, & in vniuersum sensibus careant, & in morbos mirabiles, & incognitos, plerumque incidant, maximis cruciatibus, & odio, & amore capiantur. Qui copiosè de occulta philosophia scribunt, vt Thebit Philosophus summus, & magiæ antistes. Albertus libr. 2. mineralium, Conciliator diff. 156. Arnoldus de Villa noua proprio libro, & Ioannes Bodinus in quatuor libris de sua dęmonomania, qui sanctissimè fuere nuper prohibiti, & nouissime omnium Ioannes Baptista Porta Neapolitanus libro proprio dicatur de Magia, pluribus, varijsque modis vti mago affirmant, vtuntur enim venenis verbis commistis, vtuntur collirijs, potionibus, alligationibus, suspensionibus, anulis, fascinationibus, fortibus animi imaginationibus, imaginibus, characteribus, incantationibus, imprecationibus, luminibus, sonis, numeris, verbis, nominibus, inuocationibus, sacrificijs, adiurationibus, exorcismatis, consecrationibus, deuotionibus, innumerisque alijs superstitionum generibus, quas breuitatis gratia omitto. Sed vt nostra breuior, ac facilior oratio fiat, hosce modos omnes ad duo capita reducemus ad medicamenta, & venena, & ad verba. Per medicamenta, & venena quidquid vel intro assumitur, vel extra applicatur intelligimus, per verba omne ceremoniarum genus intelligimus. Sed vt proprius ad theorematis supra positi intelligentiam, facilioremque declarationem accedamus, examinemus quæso nũ fieri possit, vt aliquis à venefico, verbis medicamenris adiunctis, aut nudo, aut simplici aspectu, quem fascinationem appellant inficiatur. Complura sunt exempla, & testimonia, è quibus manifestum est veneficos medicamentis vti, quod Virgilius manifestum fecit dum cecinit. *Veneficij effectus.*

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto,
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis exire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Idem scribit Lucanus de muliere quadam Tessalica venefica, & Apuleius. Plura etiam testimonia sunt de verborum efficacia, quorum verborum virtute venefici frumenta, vineas, & alia terræ bona corrumpere creditum est à non nullis. Nonne Horatius sydera verbis esse subdita pronuntiauit, & Virgilius alibi.

Carmina, vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutauit Vlissis.

Quam rem etiam sapientissimus Vates Homerus antea in toto Odysseaco opere testatus est. Quinimmo Seruius Honoratus libro 4. Æneidos dixit homines quosdam fuisse, qui hac ratione ab aduersa fortuna se tueri, & præseruari posse existimarunt. Et nonne Sanazarus Poeta doctissimus multos incantationum modos in vnum collegit in suo Poemate Arcadia dicta. Qui plura videre cupit Plinium legat. Sed certè vt ad veritatis declarationem accedamus, dubium non est medicamenta

quibus

Medicamẽta quid poſſint. *Verba à veneſico prolata nullã uim habẽt.*

quibus venefici vtuntur in malignitate poſſe homines inficere, atque cruciare, vt Nicander, Dioſcorides, Plinius, & alij tradunt, & rei veritas eſt. Habent enim quædam medicamenta talem vim, vt vel phreneticos, vel maniacos, lupiſque ſimiles efficiant. Quare medicamenta inficere poſſe credimus. Sed quod verba, ſeu carmina hoc præſtare per ſe poſſint fundamento caret, præter id quod eſt aduerſus ſanctorum patrum concilia, ſacramque totam ſcripturam. Quam enim obſecro malignitatem verba tenere poſſunt, qua vel ſpiritibus, vel humoribus, vel ſolidis corporis partibus noxia eſſe poſſint?

Verba etenim per ſe nihil ſunt, nam cũ primum verba ſunt prolata nullam poſſunt habere vim, nullam inferendi noxam. Quare ſi à veneficis adduntur id ex ſuperſtitione fit, quæ minimè neceſſaria eſt. Mitto quæ in hac re perdoctè dicit Aquinas libro contra Gentes, mitto quæ Symphorianus Campegius aduerſus Conciliatorem perperam aſſerentem verba vim multam habere. Ex his ergo patet verba nullam vim habere, nec poſſe habere, nullam agendi poteſtatem, inde Goetiam Negromantiam, Pyromantiam, Stercomantiam, Idromantiam, Acromantiam, Onomantiam penitus à mentibus noſtris arcendas eſſe ſacrum ſtabiliuit Concilium regula 9. in indice librorum prohibitorum. Negandum tamen nõ eſt, vt ſupra diximus veneficos, atque magos multa facere poſſe cum medicamentis, & venenis, vnde multa operantur per ſuffumigia, colliria, vnctiones, & potiones, vt de Strigibus, & lamijs mulieribus patet ex hiſtorijs. Fieri enim inquiunt hiſtoriæ potiones quaſdam amatorias, quas Græci φίλτρα appellant, quæ bibẽtes calefaciunt, & in furorẽ agunt, cũ enim è medicamentis calidis componantur, ita proculdubio humores corporis adurunt, vt ſæpe numero delirio, & mentis amiſſione laborent, & amore erotico capiantur. Nonne cerebrum cati, Conciliator inquit, ſtoliditatem, & præſtigium affert? Mitto multa hic de induſtria, quæ ſcribi non debent.

Quid de faſcinatione ſentiendũ.

Sed quid de faſcinatione dicendum? Nonne hæc abſque medicamentis, & venenis noxam in corpore inducit? Quo pacto hæc cauſis naturalibus, & naturæ rationibus innititur? Vt huius difficultatis deciſio habeatur, ſciendum, faſcinationem fieri ex immiſſione ſpirituum, qui per faſcinantis oculos egrediuntur, radios, & oculos eius, qui faſcinatur petunt, indeque in reliquum corpus effunduntur, & ratio faſcinationis melius habetur ex cauſis amoris. Marſilius Ficinus, quem ipſe præter alios admiror in ſympoſio Platonis loquens de amatoria faſcinatione inquit, ſanguinem iuuenum, vt plurimum ſubtilem, clarum, calidum, & mitem eſſe, radioſque viſorios eiuſdem naturæ procreare affirmat, qui ab oculis exeuntes facillime illis, quos aſpicimus, communicantur, & quia reliquis corporis humoribus permiſcentur eundem affectum in intuente concitant. Hinc Poetæ oculos primos in amore duces appellarunt, Hinc Franciſcus Petrarcha in quodam ſuo carmine teſtatur ſe ſtatim, ac Lauram ſuam inſpexiſſet eodem protinus vitio correptum fuiſſe.

Che i be' veſtr'occhi Donna mi legaro,
Et aperta la via per gl'occhi al core. Et in eodem.

Hinc cecinit Virgilius.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

& alibi.

Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos.

Tria notanda pro natura faſcinationis.

Sed vt faſcinationis natura melius, exactiuſque pernoſcatur tria ſunt valde notanda.

Primum eſt, quod non poteſt quilibet homo, ſeu aliquod animalium hominem, aut brutum animal faſcinare, ſed quædam ſunt, quæ vim hanc habent faſcinandi, quædam vero non, vt de vetulis, & alijs hominibus patet.

Secundum eſt, qui talem vim habet faſcinandi non poteſt faſcinare quodlibet, ſed illud, quod huic faſcinationi ſuſcipiendæ diſpoſitum eſt, nam ex Ariſt. lib. 2. de anima actus actiuorum fiunt in patiente bene diſpoſito.

Tertium eſt, qui habet hanc faſcinandi vim non à longinquo, ſed à propinquo faſcinare poteſt, nec præciſè hominibus hoc euenit, ſed etiam alijs animalibus, & ratio primi dicti eſt, nam à longinquo vis diſperditur, quod non contingit de propinquo, ſi vero maxima fuerit vis in faſcinante poterit aliquantulum de longinquo faſcinare, vt optimè aduertit Toſtatus Numeri cap. 21. vbi per extenſum, & diuinè de hoc argumento pertractat.

Cur pueruli, & mulierculæ ſæpius faſcinatione infeſtãtur.

Sed dices cum pueruli, & mulierculæ maxime à faſcinationis vi tanguntur, & maximè cum conuerſantur cum vetulis, namque ſæpe ſæpius infantulos in tabem incidere obſeruamus. An ob eorum corporum carnem molliſſimam, & tenerrimam, vt Alexander inquit in problematibus. De vetulis dicamus illas emittere fędum oris halitum, vnde vulgus credit, pueros eſſe faſcinatos. Hinc Rubetam paluſtrem teſte Æliano tantam in oculis habere malignitatem legimus, vt ſi quis eam intueatur, vel ipſa illum, ſubitò pallor faciem occupat, ſunt enim ab oculis animalium noxij: Spiritus, & maligni, tetrique afflatus exire ad res viſas. Hinc Hieronymus Albæ Epiſcopus in ſecundo Bombyeum volumine elegantiſſimè cecinit.

Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſemel vidiſſe feram, cui dira vigebant
Ora, graueſque oculi ſuffecti ſanguine circum
Fronſque obſcena ſitu, hirtique in vertice cani
Ille truti (ſcelus) ob tutu genus omne necabat
Reptantum, tenueſque animas, paruaſque volantes.
Quin etiam ſi quando hortos ingreſſus, vbi annus
Exuit expleto turpem nouus orbe ſenectam
Floribus, & paſſim per agros incanuit arbor

Ille

Ille hortis stragem dedit, arboribusque ruinam,
Spemque anni agricolæ mæsti fleuere caducam,
Nam quocunque aciem horribilem intendißet, vbi omnes
Cernere erat subito afflatos languascere flores

Plutarchus quoque narrat, vt memini me quandoque legisse libro 5. sympos. cap. 7. fuisse quemdam, qui tactu, visu, & halitu defædabat gentes, de pactu patet, nam sicuti videmus luem gallicam, scabiem, lepram, pestem tactu communicari, ita etiam istæ vetulę cacochymę, & morbidæ possunt puerorum tenera corpora tactu, visu, & halitu corrumpere.

Sic quoque legimus familias quasdam in Creta, quæ laudando fascinum inferebant, quod quidem verum esse potest ex his, quæ supra diximus, nam exeunt ex ore, oculis, & facie tetri spiritus, qui quidem maximè in lætitia, & laude vigent. Qua è re natum est illud, quo in ore omnium est, cum aliquem laudamus, Deus tibi benedicat, vt Fracastoreus innuit de sympat. cap. 23. Quare vt vnde nostra effluxit oratio redeat, dicamus veneficas posse multa mala inferre, quandoque etiam occidere infantulos, & bruta, sed hoc non fieri verbis, sed vel simplici tantum aspectu, & tactu, & halitu, vaporesque tetros, atque corruptiuos, qui vel ex oculis, vel ex ore, vel aliunde exierint concurrere. An uero fieri possit fascinatio alio scilicet medio, quam supra nobis dicto scilicet cum Dęmone cooperante, nunc non disputo. Credimus tamen occulto Dei, sed iusto iuditio Dęmones multa posse operari, & per consequens huius modi fascinationes pestilentiores, & ad occidendum potentiores fieri Dæmonum auxilio, ac imprecatione, à qua doctrina non dissentit D. Hieronymus, & D. Chrysostomus D. Pauli locum illum exponentes, ò insensati Galatæ quis vos fascinauit? Qui plura de hac re legere cupit legat Cardanum, Langium, librum illum inscriptum, Malleolus ueneficorum, & Arist. 20. part. probl. 34. & Alex. 2. libro probl. 54. & locupletissime omnium Alfonsum Tostatum paradox. libro paradox. 4. *Familia integra solēt fascinare.*

De Antimonio.

Theorema XLIIII.



HActenus de venenis est in vniuersum dictum, nunc particulari omnium venenorum consideratione omissa, nam nimis in longum cresceret oratio nostra, tantum de vna specie veneni, si modo venenum est, de antimonio scilicet verba faciemus, de quo duo perpulchra quæremus, primum de nomine, & essentia generationis loco, speciebus, & c.

Secundum an antimonium præparatum sit venenositatis particeps. Aggredior primum. Stibium latinè à Celso, Plinio, & Marcello vocatur, græcè dicitur stimmi, & stibi, ab Hipp. sua lingua vocatur τετράγονον, ab Arabibus verò vocatur aitruad, & agman, & achmadion, & ab hac voce antimonium tandem Arabes vocarunt. Plinius libro 33. cap. 6. appellat ipsum platyophtalmon, & Lauarson, vocatur platyotalmon, vt inquit Plinius, eo quod faciat ad oculorum apertionem, vt infra dicemus, vocatur Lauarson, eo quod copia maxima istius reperitur, nam vox Lauarson copiosum significat. Hæc quantum ad nomen. *Vnde Antimonium dicatur.*

Quantum verò pertinet ad eius essentiam, alij dicunt antimonium esse metallum, reponendumque omnino in genere metallorum, & hoc duabus rationibus probare nituntur, prima est, quod eliquatur ab igne inter metalla reponi debet. Sed antimonium liquatur ab igne, ergo, maior patet ex metalli essentia, certum enim est apud omnes ferè metallum esse corpus durum, & ab igne liquabile, dicat tamen quidquid sibi velit Georgius Agricola libro 1. de nat. fossil. minor experientia patet, antimonium scilicet corpus esse liquabile, liquarique ab igne. *Antimonium quid.*

Secunda ratio desumitur ex Antimonij virtute, atque natura. Cum enim facilè cum metallis commisceatur, & cum stamno, & ære, & reliquis, dicendum omnino esse arbitror, Antimonium semper in genere metallorum esse locandum. Scimus enim Campanarum constructores semper aliquid Antimonij commiscere, vt eas magis sonoras reddant. Alij in aliam venerunt sententiam. Brasauolus namque Ferrariensis Antimonium esse metallum, illudque plumbeum autumauit, verum non liquari ab igne, veluti plumbum liquatur. Sed equidem dicerem omnes fuisse hallucinatos, errauit magis Brasauolus, antimonium non eliquari asseuerans, cum illud sit contra certam, et quotidianam experientiam omnium Chymicorum, qui semper antimonium liquant in suis arcanis operationibus conficiendis, & hac de re testis est ipse Mattiolus, qui in compositione sui olei ex stibio semper antimonium eliquauit. Quare dicamus, antimonium esse de genere fossilium, quæ mediam sapiunt naturam inter metalla, & lapides, quatenus antimonium igni admotum eliquatur metallicam sapit naturam, quatenus verò corpus est friabile, & puluerizabile lapidis sapit cognationem, refert enim Marchesitam, seu pyritem, vel lapidem plumbeatum.

Dices si antimonium est fossile, ergo duas habebit formas, à quibus specificatur, quod est absurdum, cum vnum ens vnam habeat formam. Respondetur duas habere, nec est inconueniens, nam magis specificatur à metalli forma, quàm à lapidis forma, & metalli forma nobilior est forma lapidis, quare forma lapidis videtur esse subordinata ad nobiliorem scilicet ad metallicam, & sic non est inconueniens in vno ente esse duas formas. Illud tamen latere nos non debet, hoc antimonium habere, & partes terrestres, & sulphureas, & arsenicales, vt ex eius calcinatione apparet, addunt alij constare ex parte mercuriali, nam chymici separant euidentissimè à stibio Mercurium, sed à quibus *Obiectio. Solutio.*

istarum

istarum partium emanat vis solutiua, & violenta in stibio nunc non disputo. Accedo ad locum, *Locus.* comportatur antimonium ex Germania, vbi sunt fodinæ hac materia abundantes, oriebatur antiquitus in Bithynia prope Chalcedonem vrbem, oritur autem nunc in magna copia in agro senensi, idque præstantissimum vt Mattiolus inquit.

Species Antimonij. Ad species deuenio Antimonij, dua asse genera tradidit Plinius libro 33. cap. 6. marem, & fæminam, sed fæmina magis laudatur, quod debet esse nitens, splendidissimum nitedularum more emicans, friabile, quodque facile frangatur, de quo tantum mentionem fecit Dioscorides, mas verò est horridum, scabrosum, minus ponderosum, minusque rabians, & arenosius. *Vsus stibij.* Vsus stibijs multiplex est, confert enim ijs, qui campanas construunt, atque bombardas, vt facilius ferrum eliquetur, confert etiam ijs, qui conficiunt platinas ex stamno, vt sonum argenteum imitentur, confert litterarum impressoribus confert etiam multum chymistis, & multis alijs artibus. Medicæ etiam professioni plurimum conferre etiam me latente notissimum est, puluis enim stibij cum succo verbasci curat hæmorrhoidas inflatas teste Matthæo de Gradi libro de ægritudinibus ani cap. 20. *Quæ sint qualitates stibij.* De stibijs temperamento est controuersia, nam Auicen. frigidum in primo, & siccum in secundo reponit, alij in secundo gradu intense frigidum, & siccum existimant, ita vt ad tertium accedat, vt Ioannes de Vigo libro 7. de nat. simpl.

Verum vt methodo duce, & ex natura rei philosophemur, cum operationes in simplicibus aliæ sint manifestæ, aliæ occultæ, de manifestis dixerim cum stibium habeat metalli, & lapidis naturam proculdubio erit frigidum, & siccum, & aqueum, & virtutem pollebit valde adstrictoriam, vnde potius colligo esse frigidum, & siccum ad tertium gradum, & plus, quemadmodum omnia id generis metallica, quæ ad quartum vsque gradum ascendunt ex libro 4. de compos. med. secundum loc. Quare recedendum putauerim ab Auic. qui in primo gradu frigidum, & siccum in secundo reposuit. De occultis qualitatibus iam non possumus sufficientes rationes reddere, certum est stibium purgare, vimque deiectoriam sortitum fuisse præstantissimam, quam nullus antiquorum, nec recentiorum agnouit, præter Paracelsum, & Mattiolum, qui libro 5. cap. 59. super Dioscoridem quatuor pulcherrimas affert historias. Euacuat enim omnes humores indifferenter stibium, neque quidem est incongruum, nam sicuti ars nouit medicamenta componere, omnes fere humores euacuantia ita, & à fortiori ipsa natura.

An Antimonium etiam præparatum sit venenum.

Theorema XLV.

Videtur esse venenum ex pluribus ex diffinitione veneni.



SI nos mente tenemus quæ de veneni essentia in superioribus theorematibus diximus, facilè quidem fuerit hanc dirimere litem, erat enim venenum omne id, quod cum in corpus ingressum est vim naturæ infert, illamque vincit, &c. modo antimonium est huiusmodi, tantam enim vomendi vim concitat, vt ferè mori languentes videantur, aluus mirum in modum concitatur, virium magnam relinquit iacturam, atque debilitatem, quare hac ratione concludo venenum esse.

Quin etiam adderem, antimonium quoad qualitates manifestas adhuc esse venenum, Nonne Mandragoram eo nomine venenum esse dicimus, quia frigida est in tertio, eo etiam nomine antimonium venenum erit, cum in tertio, vel in quarto fortassis frigidū sit, & siccum. Idem etiam philosophamur de cæteris medicamentis. Quantum verò pertinet ad occultas qualitates etiam ex his antimonium esse venenum asseuerandum, illud enim occulta qualitate venenum dicitur, quod facit suas operationes semper easdem in omni tempore, omni ætate, iuxta tamen horum diuersitatem secundum magis, & minus.

Hoc enim modo venena agentia à natura non vincuntur, non demoliuntur, hæc violenter agunt etiam in pauca quantitate, quæ omnia in antimonio clarissime conspicimus. Nonne hoc cum assumptum fuerit supra, & infra hominem defatigat, idque, vt plurimum, nonne etiam in diuersis morbis in omni ætate, sessu, & quouis anni tempore, nullo adhibito discrimine statim suas exercet operationes, & tam in tabido, quàm in melancholico, bilioso, omnes expurgat humores, & præsertim serosam humiditatem.

Quarto nonne idem colligere poteris ex odore fædo, & tetro, cum præparatur antimonium sentitur enim fumus, & odor sulphuris, & arsenici derelicta parte mercuriali, quæ omnia ipsum venenum esse arguunt.

Quinto ex cognatione, & similitudine substantiæ ipsum esse venenum patebit, maximam enim habet affinitatem, & substantiæ similitudinem cum ipso plumbo, ita vt multi dixerint antimonium esse plumbum, imminò erit plumbo venenosius, nam antimonium coctione mutatur in plumbum, vt Chymici dicunt.

Sextò exceleri, & violenta operatione idem arguitur, nam in dimidiæ ferè horæ spatio tantū concitat agitationem, tanta grauia inducit symptomata, quam aliud, quodvis venenum præstantissimum, & dubio procul si in corpore detineretur diutius omnes enecaret. O dices præparatione antimonium venenositatem admittere. Sed hoc nihil est, nam vsitati, & frequentes modi, quibus antimonium præparatur, duo sunt præcipui, vel simplex coctio, vel admistio alicuius substantiæ. Non primo nec secundo modo potest tolli antimonij malefica qualitas, non simplici coctione, quæ assatio, seu calci-

calcinatio dicitur, nam per hanc humiditas, quæ ligabat, & in vnum cogebat partes crassiores, & terrestres expellitur, ergo dum antimonium hoc modo præparatur, quid aliud quæso fit, quam durius, & siccius, & pars arsenicalis, & sulphurea magis exasperantur, & insæuiunt. Non ergo tollitur eius malefica qualitas. Non secundo modo, scilicet admistione alicuius extranei, si quod enim adiungitur, vel borrax, seu chrysocolla est, sed hoc non, nam borrax ex Dioscoride 5. libro cap. 64. est adhuc venenum, & vomitum prouocat, ventriculumque ostendit. Nec dicere poteris à substantiæ proprietate adiungi borragem ipsi antimonio, quippe quæ sit antimonij antidotum, nam additur ipsa ratione coloris, & non alterius, quare nec præparatum antimonium venenositatem admittit, concludendum ergo, antimonium esse venenum etiam præparatum.

Quid alij senserint.

QVi contrariam partem tuentur, conantur primo ex Dioscoride lib. 4. cap. 149. ostendere Dioscoridem cognouisse in antimonio vim solutiuam, ergo non tantum neoterici hoc cognouerunt, vt supra dictum est, nam inquit Dioscorides loco citato, si vis, vt elaterium magis soluat pone stimmeos parum. *Dubitationes.*

Secundo antiqui cum de venenis scripserint ne verbum quidem fecerunt, an ipsum sit venenum necne. Cæterum ad primum respondeo Dioscoridis locum esse corruptum, & deprauatum, & loco stimmeos legendum esse σινίπιος, vt optime aduertit Mattiolus in fine capitis de antimonio. *Solutiones.*

Ad secundum mitto multas responsiones, quas affert Iacobus Greuinus proprio tractatu de venenis, ego tamen aliam responsionem afferam. Certè friuola est præsens dubitatio, nam cum antiqui occultam antimonij qualitatem, mediante qua vim habet incredibilem deiectoriam, non agnouissent, dubio procul venenum esse illud existimare non potuerunt. At si certè illi tot, tantaque symptomata, quæ stibium gignit suis oculis vidissent, dubio procul amentes fuissent, si illud inter venena non annumerassent. Quis enim stibium venenum non dijudicasset cum tantam naturæ vim inferat. Illud tamen non negligendum, quod quamuis antimonium venenum, seu medicamentum venenosum sit, non ob id ab eius vsu penitus abstinere debemus, vt quamplures sunt hodie Neapoli medicinam facientes, illud non antimonium, sed plusquam Dæmonium vituperantes. Nanque potest optimè præparatum exhiberi multis morbis, & præparatum magnam venenositatis partem admittet. Vtilissimè igitur datur morbis ab atra bile, & diuturna febre consumptis, & asthmaticis, Iue gallica confectis, hydropicis, & morbis omnibus existentibus in parte naturali, & vitali, infelici tamen successu datur morbis partis animalis, & vno verbo dicam morbis deploratis, à quamplurimis Dei manus solet nuncupari. *Quibus affectibus sit vtilis stibium. Quibus dādum.*

Illud denique adnotandum est, antimonium non esse ijs dandum, qui thoracem angustum habent, ijsque, qui difficiles sunt aduomendum, nec in consuetis, nec gracilibus, nec ijs, qui animi deliquio laborant, pusillanimesque sunt. Abstinerem ego præsertim à solstitio æstiuo ex Hip. authoritate libro de medicamen. purgantibus, vbi prohibet esse danda medicamenta fortia à canis ortu per quinquaginta dies, quod etiam lib. 4. Aphor. 5. confirmauit, dum dixit, sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes. *Quo tempore.*

Finis omnium Theorematum.

Opium 2 — 1 — 15

St. facena 2 7-15

In uncynello — 2 12

Boroni 1 — 12.

Skeny 27 — 10

Frascon 3 — 2

Colori 2 — 10.

Comilie · 10 — 4.

Podra — 6 — 4

fondo — 64 — 4.

106 — 12